Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/sapientiaangelic00swed

SAPIENTIA ANGELICA

De Divino Amore et de Divina Sapientia

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG

CUJUS EDITIO PRINCEPS EXIIT AMSTELODAMI, ANNO MDCCLXIII

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

NO. 3 WEST TWENTY-NINTH STREET.

MDCCCXCIX

EDITORIS PRAEFATIUNCULA.

Errores typothetae, qui poterant nulla temeritatis nota emendari, in nostra editione silentio correximus: ubi gravius quid latebat, rem diligenter significavimus. Modum scribendi, ad verba nonnulla, usui horum temporum optimo accommodavimus. Grandes litteras, oculis et consuetudini nostrae aetatis obsequentes, parcius usurpavimus. Verborum quidem interpunctiones ad certam normam redigere conati, non mutavimus ubi periculum ne sententiae mutarentur. Commutationes, quas enumeravimus, factae sunt ut auxilio sint studioso.

In editione principe, capita singularum sectionum, ut principia articulorum quae iisdem pertinent, sistuntur; in nostra, distincta.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., 1 *mensis Martii*, 1890.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

JAN 29 1932

4108

CONTENTA.*

Pars Prima.

QUOD AMOR SIT VITA HOMINIS (n. 1).

QUOD DEUS SOLUS ITA DOMINUS SIT IPSE AMOR, QUIA EST IPSA VITA; ET QUOD ANGELI ET HOMINES SINT RECIPIENTES VITAE (n. 4).

QUOD DIVINUM NON SIT IN SPATIO (n. 7).

QUOD DEUS SIT IPSE HOMO (n. 11).

QUOD ESSE ET EXISTERE IN DEO HOMINE DISTINCTE UNUM SINT (n. 14).

QUOD IN DEO HOMINE INFINITA DISTINCTE UNUM SINT (n. 17),

QUOD SIT UNUS DEUS HOMO A QUO OMNIA (n. 23).

QUOD IPSA DIVINA ESSENTIA SIT AMOR ET SAPIENTIA (n. 28).

QUOD DIVINUS AMOR SIT DIVINAE SAPIENTIAE, ET QUOD DIVINA SAPIENTIA SIT DIVINI AMORIS (n. 34).

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA SIT SUBSTANTIA ET QUOD SIT FORMA (n. 40).

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA SINT SUBSTANTIA ET FORMA IN SE, ITA IPSUM ET UNICUM (n. 44).

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA NON POSSIT ALITER QUAM ESSE ET EXISTERE IN ALIIS A SE CREATIS (n. 47).

QUOD OMNIA IN UNIVERSO A DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA DEI HOMINIS CREATA SINT (n. 52).

QUOD OMNIA IN UNIVERSO CREATO SINT DIVINI AMORIS ET DIVINAE SAPIENTIAE DEI HOMINIS RECIPIENTIA (n. 55).

QUOD OMNIA QUAE CREATA SUNT IN QUADAM IMAGINE REFERANT HOMINEM (n. 61).

QUOD USUS OMNIUM QUAE CREATA SUNT, ASCENDANT PER GRADUS AB ULTIMIS AD HOMINEM, ET PER HOMINEM AD DEUM CREATOREM, A QUO (n. 65).

QUOD DIVINUM IMPLEAT OMNIA SPATIA UNIVERSI ABSQUE SPATIO (n. 69).

QUOD DIVINUM SIT IN OMNI TEMPORE ABSQUE TEMPORE (n. 73).

QUOD DIVINUM IN MAXIMIS ET MINIMIS SIT IDEM (n. 77).

Pars Secunda.

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA APPAREANT IN MUNDO SPIRITUALI UT SOL (n. 83).

QUOD EX SOLE, QUI EX DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA EXISTIT, PROCEDAT CALOR ET LUX (n. 89).

QUOD SOL ILLE NON SIT DEUS, SED QUOD SIT PROCEDENS EX DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA DEI HOMINIS: SIMILITER CALOR ET LUX EX ILLO SOLE (n. 93).

QUOD SPIRITUALIS CALOR ET LUX, A PROCEDENDO A DOMINO UT SOLE, UNUM FACIANT, SICUT IPSIUS DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA UNUM FACIUNT (n. 99).

---

* Ab editore collecta.

QUOD SOL MUNDI SPIRITUALIS APPAREAT IN MEDIA ALTITUDINE, DISTANS AB ANGELIS SICUT SOL MUNDI NATURALIS AB HOMINIBUS (n. 103).

QUOD DISTANTIA INTER SOLEM ET INTER ANGELOS IN MUNDO SPIRITUALI SIT APPARENTIA SECUNDUM RECEPTIONEM DIVINI AMORIS ET DIVINAE SAPIENTIAE AB ILLIS (n. 108).

QUOD ANGELI SINT IN DOMINO, ET DOMINUS IN ILLIS: ET QUIA ANGELI SUNT RECIPIENTES, QUOD SOLUS DOMINUS SIT CAELUM (n. 113).

QUOD IN MUNDO SPIRITUALI ORIENS SIT UBI DOMINUS UT SOL APPARET, ET QUOD RELIQUAE PLAGAE INDE SINT (n. 119).

QUAE PLAGAE IN MUNDO SPIRITUALI NON SINT A DOMINO UT SOLE, SED QUOD SINT AB ANGELIS SECUNDUM RECEPTIONEM (n. 124).

QUOD ANGELI FACIEM SUAM JUGITER VERTANT AD DOMINUM UT SOLEM, ET SIC HABEANT MERIDIEM AD DEXTRUM, SEPTENTRIONEM AD SINISTRUM, ET OCCIDENTEM A TERGO (n. 129).

QUOD OMNIA INTERIORA TAM MENTIS QUAM CORPORIS ANGELORUM AD DOMINUM UT SOLEM VERSA SINT (n. 135).

QUOD UNUSQUISQUE SPIRITUS, QUALISCUNQUE SIT, AD AMOREM SUUM REGNANTEM SIMILITER SE VERTAT (n. 140).

QUOD DIVINUS AMOR ET DIVINA SAPIENTIA, QUAE PROCEDUNT A DOMINO UT SOLE, ET FACIUNT CALOREM ET LUCEM IN CAELO, SIT DIVINUM PROCEDENS, QUOD EST SPIRITUS SANCTUS (n. 146).

QUOD DOMINUS UNIVERSUM ET OMNIA EJUS MEDIO SOLE, QUI EST PRIMUM PROCEDENS DIVINI AMORIS ET DIVINAE SAPIENTIAE, CREAVERIT (n. 151).

QUOD SOL MUNDI NATURALIS SIT PURUS IGNIS, ET INDE MORTUUS; ET QUOD NATURA, QUIA EX ILLO SOLE DUCIT ORIGINEM, SIT MORTUA (n. 157).

QUOD ABSQUE BINO SOLE, UNO VIVO ET ALTERO MORTUO, NON DETUR CREATIO (n. 163).

QUOD FINIS CREATIONIS EXISTAT IN ULTIMIS, QUI EST, UT OMNIA REDEANT AD CREATOREM, AC UT SIT CONJUNCTIO (n. 167).

Pars Tertia.

QUOD IN MUNDO SPIRITUALI SINT ATMOSPHAERAE, AQUAE ET TERRAE, QUEMADMODUM IN MUNDO NATURALI; SED QUOD ILLAE SINT SPIRITUALES, HAE AUTEM NATURALES (n. 173).

QUOD GRADUS AMORIS ET SAPIENTIAE SINT, ET INDE GRADUS CALORIS ET LUCIS, TUM GRADUS ATMOSPHAERARUM (n. 179).

QUOD GRADUS DUPLICIS GENERIS SINT, GRADUS ALTITUDINIS ET GRADUS LATITUDINIS (n. 184).

QUOD GRADUS ALTITUDINIS SINT HOMOGENEI, AC UNUS AB ALTERO IN SERIE, SICUT SUNT FINIS, CAUSA ET EFFECTUS (n. 189).

QUOD GRADUS PRIMUS SIT OMNE IN OMNIBUS GRADUUM SEQUENTIUM (n. 195).

QUOD OMNES PERFECTIONES CRESCANT ET ASCENDANT CUM GRADIBUS ET SECUNDUM ILLOS (n. 199).

QUOD IN ORDINE SUCCESSIVO PRIMUS GRADUS FACIAT SUPREMUM, AC TERTIUS INFIMUM; AT QUOD IN ORDINE SIMULTANEO PRIMUS GRADUS FACIAT INTIMUM, AC TERTIUS EXTIMUM (n. 205).

QUOD GRADUS ULTIMUS SIT COMPLEXUS, CONTINENS ET BASIS GRADUUM PRIORUM (n. 209).

QUOD GRADUS ALTITUDINIS IN SUO ULTIMO SINT IN PLENO ET IN POTENTIA (n. 217).

QUOD UTRIUSQUE GENERIS GRADUS SINT IN OMNIUM MAXIMIS ET MINIMIS QUAE CREATA SUNT (n. 222).

QUOD TRES GRADUS ALTITUDINIS INFINITI ET INCREATI SINT IN DOMINO, ET QUOD TRES GRADUS FINITI ET CREATI SINT IN HOMINE (n. 230).

QUOD TRES ILLI GRADUS ALTITUDINIS IN QUOVIS HOMINE A NATIVITATE SINT, ET QUOD SUCCESSIVE POSSINT APERIRI, ET QUOD SICUT APERIUNTUR, HOMO IN DOMINO SIT, ET DOMINUS IN ILLO (n. 236).

QUOD LUX SPIRITUALIS INFLUAT PER TRES GRADUS APUD HOMINEM, SED NON CALOR SPIRITUALIS, NISI QUANTUM HOMO FUGIT MALA UT PECCATA, ET SPECTAT AD DOMINUM (n. 242).

QUOD HOMO, SI NON APUD ILLUM SUPERIOR GRADUS, QUI EST SPIRITUALIS, APERITUR, FIAT NATURALIS ET SENSUALIS (n. 248).

(i.) *Quid homo naturalis, et quid homo spiritualis* (n. 251).
(ii.) *Qualis naturalis homo est, apud quem spiritualis gradus apertus est* (n. 252).
(iii.) *Qualis est homo naturalis apud quem spiritualis gradus non apertus est, sed usque non occlusus* (n. 253).
(iv.) *Qualis est naturalis homo, apud quem spiritualis gradus prorsus occlusus est* (n. 254).
(v.) *Quale discrimen est inter vitam naturalis hominis et inter vitam bestiae* (n. 255).

QUOD GRADUS NATURALIS MENTIS HUMANAE IN SE SPECTATUS SIT CONTINUUS, SED QUOD PER CORRESPONDENTIAM CUM BINIS GRADIBUS SUPERIORIBUS, DUM ELEVATUR, APPAREAT SICUT SIT DISCRETUS (n. 256).

QUOD MENS NATURALIS, QUIA EST CONTEGENS ET CONTINENS GRADUUM SUPERIORUM MENTIS HUMANAE, SIT REAGENS; ET QUOD SI NON APERIUNTUR GRADUS SUPERIORES, AGAT CONTRA ILLOS; AT SI APERIUNTUR, AGAT CUM ILLIS (n. 260).

QUOD ORIGO MALI SIT EX ABUSU FACULTATUM, QUAE HOMINIS PROPRIAE SUNT, ET VOCANTUR RATIONALITAS ET LIBERTAS (n. 264).

(i.) *Quod malus homo aeque ac bonus duabus illis facultatibus gaudeat* (n. 266).
(ii.) *Quod malus homo abutatur illis facultatibus ad confirmandum mala et falsa, et bonus homo utatur illis ad confirmandum bona et vera* (n. 267).
(iii.) *Quod mala et falsa confirmata apud hominem permaneant, ac fiant amoris et vitae ejus* (n. 268).
(iv.) *Quod illa, quae facta sunt amoris et inde vitae, ingenerentur proli* (n. 269).
(v.) *Quod omnia mala et inde falsa, tam ingenerata quam superinducta, in mente naturali resideant* (n. 270).

QUOD MALA ET FALSA IN OMNI OPPOSITO SINT CONTRA BONA ET VERA, QUIA MALA ET FALSA SUNT DIABOLICA ET INFERNALIA, AC BONA ET VERA SUNT DIVINA ET CAELESTIA (n. 271).

(i.) *Quod mens naturalis, quae in malis et inde falsis est, sit forma et imago inferni* (n. 273).
(ii.) *Quod mens naturalis, quae est forma seu imago inferni, descendat per tres gradus* (n. 274).
(iii.) *Quod tres gradus mentis naturalis, quae est forma et imago inferni, oppositi sint tribus gradibus mentis spiritualis, quae est forma et imago caeli* (n. 275).
(iv.) *Quod mens naturalis quae infernum, in omni opposito sit contra mentem spiritualem quae caelum* (n. 276).

QUOD OMNIA, QUAE TRIUM GRADUUM MENTIS NATURALIS SUNT, OPERIBUS, QUAE FIUNT PER ACTUS CORPORIS, INCLUSA SINT (n. 277).

BX
8712
.D3
1899

Pars Quarta.

QUOD DOMINUS AB AETERNO, QUI EST JEHOVAH, CREAVERIT UNIVERSUM ET OMNIA EJUS A SE IPSO, ET NON A NIHILO (n. 282).

QUOD DOMINUS AB AETERNO SEU JEHOVAH NON POTUERIT CREARE UNIVERSUM ET OMNIA EJUS, NISI ESSET HOMO (n. 285).

QUOD DOMINUS AB AETERNO SEU JEHOVAH EX SE IPSO PRODUXERIT SOLEM MUNDI SPIRITUALIS, ET EX ILLO CREAVERIT UNIVERSUM ET OMNIA EJUS (n. 290).

QUOD TRIA IN DOMINO SINT, QUAE DOMINUS, DIVINUM AMORIS, DIVINUM SAPIENTIAE, ET DIVINUM USUS; ET QUOD ILLA TRIA SISTANTUR IN APPARENTIA EXTRA SOLEM MUNDI SPIRITUALIS, DIVINUM AMORIS PER CALOREM, DIVINUM SAPIENTIAE PER LUCEM, ET DIVINUM USUS PER ATMOSPHAERAM, QUAE CONTINENS (n. 296).

QUOD ATMOSPHAERAE, QUAE TRES SUNT IN UTROQUE MUNDO, SPIRITUALI ET NATURALI, IN ULTIMIS SUIS DESINANT IN SUBSTANTIAS ET MATERIAS, QUALES SUNT IN TERRIS (n. 302).

QUOD IN SUBSTANTIIS ET MATERIIS, EX QUIBUS SUNT TERRAE, NIHIL DIVINI IN SE SIT, SED QUOD USQUE ILLAE SINT A DIVINO IN SE (n. 305).

QUOD OMNES USUS, QUI SUNT FINES CREATIONIS, SINT IN FORMIS, ET QUOD FORMAS ACCIPIANT EX SUBSTANTIIS ET MATERIIS QUALES SUNT IN TERRIS (n. 307).

(i.) *Quod in terris sit conatus producendi usus in formis, seu formas usuum* (n. 310).
(ii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago creationis* (n. 313).
(iii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago hominis* (n. 317).
(iv.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago Infiniti et Aeterni* (n. 318).

QUOD OMNIA UNIVERSI CREATI EX USIBUS SPECTATA REFERANT IN IMAGINE HOMINEM; ET QUOD ID TESTETUR QUOD DEUS SIT HOMO (n. 319).

QUOD OMNIA QUAE A DOMINO CREATA SUNT, SINT USUS; ET QUOD IN EO ORDINE, GRADU ET RESPECTU SINT USUS, QUO SE REFERUNT AD HOMINEM, ET PER HOMINEM AD DOMINUM A QUO (n. 327).

Usus ad sustentandum Corpus (n. 331).
Usus ad perficiendum Rationale (n. 332).
Usus ad recipiendum Spirituale a Domino (n. 333).

QUOD MALI USUS A DOMINO NON CREATI SINT, SED QUOD UNA CUM INFERNO ORTI (n. 336).

(i.) *Quid super tellure intelligitur per usus malos* (n. 338).
(ii.) *Quod omnia quae usus mali sunt, sint in inferno, et quae usus boni, sint in caelo* (n. 339).
(iii.) *Quod influxus continuus sit e mundo spirituali in naturalem* (n. 340).
(iv.) *Quod influxus ex inferno operetur illa quae usus mali sunt, in locis ubi sunt illa quae correspondent* (n. 341).
(v.) *Quod ultimum spirituale separatum a superiori suo id operetur* (n. 345).
(vi.) *Quod binae formae sint, in quas operatio per influxum fit; forma vegetabilis et forma animalis* (n. 346).
(vii.) *Quod utraque forma, dum existit, propagationis media accipiat* (n. 347).

QUOD VISIBILIA IN UNIVERSO CREATO TESTENTUR, QUOD NATURA NIHIL PRODUXERIT, ET NIHIL PRODUCAT, SED QUOD OMNIA DIVINUM EX SE, ET PER MUNDUM SPIRITUALEM (n. 349).

Pars Quinta.

QUOD A DOMINO APUD HOMINEM CREATA ET FORMATA SINT DUO RECEPTACULA ET HABITACULA IPSIUS, QUAE VOCANTUR VOLUNTAS ET INTELLECTUS; VOLUNTAS PRO DIVINO AMORE IPSIUS, ET INTELLECTUS PRO DIVINA SAPIENTIA IPSIUS (n. 358).

QUOD VOLUNTAS ET INTELLECTUS, QUAE SUNT RECEPTACULA AMORIS ET SAPIENTIAE, SINT IN CEREBRIS IN TOTO ET IN QUALIBET PARTE EORUM, ET INDE IN CORPORE IN TOTO ET IN QUALIBET PARTE EJUS (n. 362).

(i.) *Quod amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus, faciant ipsam vitam hominis* (n. 363).
(ii.) *Quod vita hominis in principiis sit in cerebris, et in principiatis in corpore* (n. 365).
(iii.) *Quod qualis vita est in principiis talis sit in toto et in qualibet parte ejus* (n. 366).
(iv.) *Quod vita per principia illa sit ex qualibet parte in toto, et ex toto in qualibet parte* (n. 367).
(v.) *Qualis est amor talis est sapientia, et inde talis est homo* (n. 368).

QUOD CORRESPONDENTIA VOLUNTATIS CUM CORDE, ET INTELLECTUS CUM PULMONE SIT (n. 371).

(i.) *Quod omnia mentis se referant ad voluntatem et intellectum, et omnia corporis ad cor et pulmonem* (n. 372).
(ii.) *Quod correspondentia voluntatis et intellectus sit cum corde et pulmone, et inde correspondentia omnium mentis cum omnibus corporis* (n. 374).
(iii.) *Quod voluntas correspondeat cordi* (n. 378).
(iv.) *Quod intellectus correspondeat pulmoni* (n. 382).
(v.) *Quod per correspondentiam illam detegi possint multa arcana de voluntate et intellectu, ita quoque de amore et sapientia* (n. 385).
(vi.) *Quod mens hominis sit ejus spiritus, et quod spiritus sit homo, et quod corpus sit externum per quod mens seu spiritus sentit et agit in suo mundo* (n. 386).
(vii.) *Quod conjunctio spiritus hominis cum corpore sit per correspondentiam voluntatis et intellectus ejus cum corde et pulmone ejus, et disjunctio per non correspondentiam* (n. 390).

QUOD EX CORRESPONDENTIA CORDIS CUM VOLUNTATE ET INTELLECTUS CUM PULMONE, SCIRI POSSINT OMNIA QUAE DE VOLUNTATE ET INTELLECTU, SEU DE AMORE ET SAPIENTIA, ITA QUAE DE ANIMA HOMINIS, SCIRI POSSUNT (n. 394).

(i.) *Quod amor seu voluntas sit ipsa vita hominis* (n. 399).
(ii.) *Quod amor seu voluntas in humanam formam continue nitatur, et in omnia quae humanae formae sunt* (n. 400).
(iii.) *Quod amor seu voluntas absque conjugio cum sapientia seu intellectu non possit per humanam suam formam aliquid facere* (n. 401).
(iv.) *Quod amor seu voluntas praeparet domum seu thalamum pro futura conjuge, quae est sapientia seu intellectus* (n. 402).
(v.) *Quod amor seu voluntas praeparet omnia in humana sua forma, ut conjunctim cum sapientia seu intellectu possit agere* (n. 403).
(vi.) *Quod cum nuptiae factae sunt, prima conjunctio sit per affectionem sciendi, ex qua affectio veri* (n. 404).

(vii.) *Quod altera conjunctio sit per affectionem intelligendi, ex qua perceptio veri* (n. 404).
(viii.) *Quod tertia conjunctio sit per affectionem videndi id, ex qua cogitatio* (n. 404).
(ix.) *Quod amor seu voluntas per tres illas conjunctiones in sua vita sensitiva, et in sua vita activa sit* (n. 406).
(x.) *Quod amor seu voluntas introducat sapientiam seu intellectum in omnia domus suae* (n. 408).
(xi.) *Quod amor seu voluntas nihil agat nisi in conjunctione cum sapientia seu intellectu* (n. 409).
(xii.) *Quod amor seu voluntas se conjungat sapientiae seu intellectui, ac faciat ut sapientia seu intellectus reciproce conjungatur* (n. 410).
(xiii.) *Quod sapientia seu intellectus ex potentia sibi data ab amore possit elevari, ac recipere illa quae lucis sunt e caelo, ac percipere illa* (n. 413).
(xiv.) *Quod amor seu voluntas possit similiter elevari, ac recipere illa quae caloris sunt e caelo, si amat suam conjugem sapientiam, in eo gradu* (n. 414).
(xv.) *Quod amor seu voluntas alioqui retrahat sapientiam seu intellectum a sua elevatione, ut secum unum agat* (n. 416).
(xvi.) *Quod amor seu voluntas purificetur in intellectu, si simul elevantur* (n. 419).
(xvii.) *Quod amor seu voluntas conspurcetur in intellectu, et ab illo, si non simul elevantur* (n. 421).
(xviii.) *Quod amor purificatus a sapientia in intellectu fiat spiritualis et caelestis* (n. 422).
(xix.) *Quod amor conspurcatus in intellectu et ab illo fiat naturalis, sensualis et corporeus* (n. 424).
(xx.) *Quod usque remaneat facultas intelligendi quae vocatur rationalitas, et facultas agendi quae vocatur libertas* (n. 425).
(xxi.) *Quod amor spiritualis et caelestis sit amor erga proximum et amor in Dominum; et quod amor naturalis et sensualis sit amor mundi et amor sui* (n. 426).
(xxii.) *Quod simile sit cum charitate et fide, et cum illarum conjunctione, ut est cum voluntate et intellectu, et cum horum conjunctione* (n. 427).

QUALE EST INITIAMENTUM HOMINIS A CONCEPTIONE (n. 432).

SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE.

Pars Prima.

Quod Amor sit Vita hominis.

1. Homo novit quod amor sit, sed non novit quid amor est. Novit quod amor sit, ex communi loquela; ut quod dicatur quod ille me amet, quod rex amet subditos et quod subditi ament regem, quod maritus amet uxorem et quod mater liberos, ac vicissim, tum quod hic et ille amet patriam, concives, proximum; similiter de rebus abstractis a persona, ut quod amet hoc aut illud. Sed tametsi amor tam universale est in loquelis, usque vix aliquis novit quid amor. Dum meditatur de eo, quia tunc non potest aliquam ideam cogitationis de eo sibi formare, dicit vel non esse aliquid, vel solum esse aliquod influens ex visu, auditu, tactu et conversatione, et sic movens: nescit prorsus quod sit ipsa ejus vita; non modo vita communis totius ejus corporis, et vita communis omnium ejus cogitationum, sed etiam vita omnium singularium eorum. Hoc potest sapiens percipere ex hoc, cum dicitur, "Si removes affectionem quae amoris, an potes cogitare aliquid? et an potes agere aliquid? Annon quantum frigescit affectio quae amoris, tantum frigescat cogitatio, loquela et actio? et quantum incalescit, tantum incalescant illa?" Sed haec sapiens percipit non ex cogitatione quod amor sit vita hominis, sed ab experientia quod ita fiat.

2. Nemo scit quid vita hominis, nisi sciat quod sit amor; si hoc non scit, potest unus credere quod vita hominis modo sit sentire et agere, alter quod sit cogitare, cum tamen cogitatio est effectus vitae primus, ac sensatio et actio est effectus vitae secundus. Dicitur quod cogitatio sit effectus vitae primus, sed datur cogitatio interior et interior, tum exterior et exterior; intima cogi-

tatio, quae est perceptio finium, est actualiter primus vitae effectus: sed de his infra, ubi de gradibus vitae.

3. Aliqua idea de amore, quod sit vita hominis, haberi potest ex calore solis in mundo; ille quod sit sicut vita communis omnium vegetationum terrae, notum est, ex illo enim dum exoritur, quod fit tempore veris, vegetabilia omnis generis ex humo exsurgunt, ornantur foliis, postea floribus, et demum fructibus, et sic quasi vivunt; at cum calor recedit, quod fit tempore autumni et hiemis, illis vitae suae signis denudantur, et flaccescunt. Simile est cum amore apud hominem, nam correspondent sibi mutuo; quare etiam amor calet.

Quod Deus solus ita Dominus sit ipse Amor, quia est ipsa Vita; et quod angeli et homines sint recipientes vitae.

4. Hoc in transactionibus de *Divina Providentia*, et de *Vita*, multis illustrabitur; hic modo quod Dominus, qui est Deus universi, sit Increatus et Infinitus, homo autem et angelus est creatus et finitus; et quia Dominus est Increatus et Infinitus, est ipsum Esse quod vocatur Jehovah, et est ipsa Vita seu Vita in Se: ex Increato, Infinito, ipso Esse et ipsa Vita, non potest aliquis immediate creari, quia Divinum est unum et non dividuum, sed erit ex creatis et finitis, ita formatis, ut illis Divinum possit inesse. Quia homines et angeli tales sunt, sunt recipientes vitae. Quare si quis homo cogitatione eo usque se abduci patitur, quod non sit recipiens vitae, sed Vita, non potest abduci a cogitatione quod sit Deus. Quod homo sentiat sicut sit vita, et inde credat quod sit, est ex fallacia; in causa instrumentali enim non percipitur causa principalis aliter quam sicut una secum. Quod Dominus sit Vita in Se, docet Ipse apud *Johannem*,

> "Quemadmodum..Pater habet vitam in Se Ipso, ita etiam dedit Filio habere vitam in Se Ipso" (v. 26):

et quod sit ipsa Vita (*Joh.* xi. 25; cap. xix. 6). Nunc quia vita et amor unum sunt, ut ex supradictis (n. 1, 2) patet, sequitur quod Dominus, quia est ipsa Vita, sit ipse Amor.

5. Sed ut hoc in intellectum cadat, omnino sciendum est, quod Dominus, quia est Amor in ipsa sua essentia, hoc est, Divinus Amor, appareat coram angelis in caelo sicut Sol, et quod ex illo Sole procedat calor et lux, et quod calor inde procedens in sua essentia sit amor, et lux inde procedens in sua essentia sit sapientia ; et quod angeli quantum recipientes spiritualis illius caloris et spiritualis illius lucis sunt, tantum sint amores et sapientiae ; non amores et sapientiae a se, sed a Domino. Spiritualis ille calor et spiritualis illa lux non modo influunt apud angelos et afficiunt illos, sed etiam influunt apud homines et afficiunt illos, prorsus sicut recipientes fiunt ; et recipientes fiunt secundum eorum amorem in Dominum, et amorem erga proximum. Ipse ille Sol, seu Divinus Amor, non potest per suum calorem et per suam lucem creare aliquem immediate ex se, sic enim foret Amor in sua essentia, qui est Ipse Dominus, sed potest creare ex substantiis et materiis ita formatis ut recipere possint ipsum calorem et ipsam lucem ; comparative sicut sol mundi non potest per calorem et lucem immediate producere germinationes in tellure, sed ex materiis humi, quibus per calorem et lucem potest inesse, et vegetationem dare. Quod Divinus Amor Domini appareat ut Sol in mundo spirituali, et quod ex illo procedat spiritualis calor et spiritualis lux, ex quibus angelis est amor et sapientia, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 116–140).

6. Cum itaque homo non est Vita, sed recipiens vitae, sequitur quod conceptio hominis a patre non sit conceptio vitae, sed modo conceptio primae et purissimae formae receptibilis vitae, cui ut stamini aut initiamento in utero successive accedunt substantiae et materiae in formis ad receptionem vitae in suo ordine et in suo gradu adaptatae.

Quod Divinum non sit in spatio.

7. Quod Divinum seu Deus non sit in spatio, tametsi est omnipraesens, et apud unumquemvis hominem in mundo, et apud unumquemvis angelum in caelo, et apud unumquemvis spiritum sub caelo, non potest idea mere naturali comprehendi, sed potest idea spirituali. Quod id non possit idea naturali comprehendi, est quia in illa

est spatium ; formata enim est ex talibus quae in mundo sunt, in quorum omnibus et singulis, quae spectantur oculis, est spatium ; omne magnum et parvum ibi est spatii ; omne longum, latum et altum ibi est spatii ; verbo omnis mensura, figura et forma ibi est spatii ; quare dictum est, quod non possit idea mere naturali comprehendi, quod Divinum non sit in spatio, cum dicitur quod sit ubivis. Sed usque potest homo comprehendere id cogitatione naturali, modo in illam admittat aliquid lucis spiritualis ; quare primum aliquid dicetur de idea et inde cogitatione spirituali. Idea spiritualis non trahit aliquid ex spatio, sed omne suum trahit ex statu. Status dicitur de amore, de vita, de sapientia, de affectionibus, de gaudiis inde ; in genere de bono et de vero. Idea vere spiritualis de illis non commune habet cum spatio ; est superior, et spectat ideas spatii sub se sicut caelum spectat terram. At quia angeli et spiritus aeque vident oculis ut homines in mundo, et objecta non videri possunt nisi in spatio, ideo in mundo spirituali, ubi spiritus et angeli sunt, apparent spatia similia spatiis in terris, at usque non sunt spatia, sed apparentiae ; non enim sunt fixa et stata sicut in terris ; possunt enim elongari et contrahi, possunt mutari et variari ; et quia sic non possunt mensura determinari, non possunt ibi aliqua idea naturali, sed solum idea spirituali comprehendi ; quae non alia est de distantiis spatii, quam sicut de distantiis boni aut de distantiis veri, quae sunt affinitates et similitudines secundum status eorum.

8. Ex his constare potest, quod homo ex idea mere naturali non comprehendere possit quod Divinum sit ubivis et tamen non in spatio, et quod angeli et spiritus id clare comprehendant ; consequenter quod etiam homo possit, modo in cogitationem suam admittat aliquid lucis spiritualis. Causa quod homo possit comprehendere, est quia non corpus ejus cogitat, sed spiritus ejus ; ita non naturale ejus, sed spirituale ejus.

9. Quod autem plures id non comprehendant, est quia amant naturale, et ideo non volunt cogitationes intellectus sui supra illud elevare in lucem spiritualem ; et qui non volunt, illi non possunt nisi ex spatio cogitare, etiam de Deo ; et cogitare de Deo ex spatio, est de extenso naturae. Hoc praemittendum est, quia absque scientia et aliqua

perceptione quod Divinum non sit in spatio, non aliquid intelligi potest de Divina Vita, quae est Amor et Sapientia, de quibus hic agitur; et inde parum si quicquam de Divina Providentia, Omnipraesentia, Omniscientia, Omnipotentia, Infinitate et Aeternitate, de quibus in serie agendum est.

10. Dictum est, quod in mundo spirituali aeque appareant spatia ut in mundo naturali, consequenter etiam distantiae; sed quod sint apparentiae secundum affinitates spirituales quae sunt amoris et sapientiae, seu boni et veri. Inde est, quod Dominus, tametsi est in caelis apud angelos ubique, usque appareat alte supra illos ut Sol: et quia receptio amoris et sapientiae facit affinitatem cum Ipso, ideo [1]propiores Ipsi apparent caeli ubi angeli in [2]propiore affinitate ex receptione sunt, quam qui in remotiore: ex eo etiam est, quod caeli, qui tres sunt, inter se distincti sint, similiter societates cujusvis caeli; tum quod inferni sub illis sint remoti secundum rejectionem amoris et sapientiae. Simile est cum hominibus, in quibus et apud quos Dominus praesens est in universo terrarum orbe; et hoc unice ex causa, quia Dominus non est in spatio.

Quod Deus sit Ipse Homo.

11. In omnibus caelis non alia idea Dei est quam idea Hominis. Causa est, quia caelum in toto et in parte est in forma sicut Homo, ac Divinum, quod est apud angelos, facit caelum; et cogitatio vadit secundum formam caeli; quare aliter cogitare de Deo angelis impossibile est. Inde est, quod omnes illi in mundo, qui conjuncti sunt caelo, similiter de Deo, cum interius in se seu in suo spiritu, cogitent. Ex eo quod Deus sit Homo, omnes angeli et omnes spiritus, in perfecta forma homines sunt; forma caeli hoc facit, quae in maximis et in minimis est sibi similis. (Quod caelum in toto et in parte sit in forma ut Homo, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, n. 59–87: et quod cogitationes vadant secundum formam caeli, n. 203, 204.) Quod homines ad imaginem et ad similitudinem Dei creati sint, notum est, ex *Genesi* (i. 26, 27); tum quod Deus visus sit ut Homo Abrahamo, et aliis. Anti-

qui, a sapientibus usque ad simplices, non aliter de Deo quam ut de Homine, cogitaverunt; et tandem cum plures deos coeperunt colere, ut Athenis et Romae, coluerunt omnes ut homines. Haec illustrari possunt per haec sequentia, de quibus in quodam opusculo prius:

Gentes, imprimis Africani, qui unum Deum Creatorem universi agnoscunt et colunt, ideam Hominis de Deo habent; dicunt quod nemo aliam de Deo possit habere. Cum audiunt quod plures de Deo foveant ideam sicut nubeculae in medio, quaerunt ubinam illi sunt; et cum dicitur quod sint inter Christianos, negant quod dabile sit. Sed respondetur, quod sit illis talis idea ex eo, quod Deus in Verbo dicatur "Spiritus," et de spiritu non aliter cogitant, quam sicut de particula nubis; non scientes quod omnis spiritus et omnis angelus sit homo. At usque exploratum est, num spiritualis illorum idea sit similis ideae illorum naturali, et compertum est quod non similis sit apud illos qui Dominum pro Deo caeli et terrae interius agnoscunt. Audivi quendam presbyterum ex Christianis dicentem, quod nemo possit habere ideam Divini Humani; et vidi illum translatum ad varias Gentes, successive ad interiores et interiores, et ab illis ad caelos earum, et tandem ad caelum Christianum; et ubivis data est communicatio perceptionis interioris eorum de Deo, et animadvertit quod non alia illis idea Dei esset quam idea Hominis, quae eadem est cum idea Divini Humani. [(*Vid. Con. de Ult. Judicio*, n. 74.)]

12. Plebeia idea in Christianismo de Deo est ut de Homine, quia Deus vocatur Persona in Doctrina Trinitatis Athanasiana: at qui supra plebem sapiunt, illi Deum invisibilem pronuntiant; quod fit quia non comprehendere possunt, quomodo Deus ut Homo creare potuisset caelum et terram, tum implere universum praesentia sua, et plura, quae non cadere possunt in intellectum, quamdiu ignoratur quod Divinum non sit in spatio. Illi autem qui solum Dominum adeunt, Divinum Humanum cogitant, ita Deum ut Hominem.

13. Quanti interest justam ideam Dei habere, constare potest ex eo, quod idea Dei faciat intimum cogitationis apud omnes quibus est religio, omnia enim religionis et omnia cultus spectant Deum: et quia Deus universaliter et singulariter est in omnibus religionis et cultus, ideo nisi justa idea Dei sit, non potest communicatio dari cum caelis. Inde est, quod unaquaevis gens in mundo spirituali sortiatur locum secundum ideam Dei ut Hominis; in hoc enim est idea Domini, et non in alia. Quod status

vitae post mortem sit homini secundum ideam Dei apud se affirmatam, patet manifeste ab ejus opposito, quod negatio Dei faciat infernum, et in Christianismo negatio Divinitatis Domini.

Quod Esse et Existere in Deo Homine distincte unum sint.

14. Ubi est Esse, ibi est Existere ; non datur unum absque altero : Esse enim per Existere *est*, et non absque eo. Hoc rationale comprehendit, dum cogitat, num dari queat aliquod Esse quod non *existit*, et num dari queat Existere nisi ab Esse ; et quia unum cum altero et non absque altero datur, sequitur quod unum sint, sed distincte unum. Sunt distincte unum, sicut amor et sapientia : amor etiam est Esse, et sapientia est Existere, amor enim non datur nisi in sapientia, nec sapientia nisi ex amore ; quare cum amor in sapientia est, tunc *existit*. Haec duo tale unum sunt, ut quidem distingui cogitatione possint, sed non actu : et quia distingui possunt cogitatione et non actu, ideo dicitur distincte unum. Esse et Existere in Deo Homine etiam distincte unum sunt sicut anima et corpus : anima non datur absque suo corpore, nec corpus absque sua anima. Divina Anima Dei Hominis est quae intelligitur per Divinum Esse ; ac Divinum Corpus, quod intelligitur per Divinum Existere. Quod anima existere possit absque corpore, ac cogitare et sapere, est error profluens ex fallaciis ; omnis enim anima hominis in spirituali corpore est, postquam rejicit exuvias materiales quas in mundo circumtulit.

15. Quod Esse non sit Esse nisi *existat*, est quia non prius est in forma, et si non est in forma non habet quale, et quod non habet quale non est aliquid. Illud quod ex Esse *existit*, unum facit cum Esse per id quod sit ex Esse ; inde est unitio in unum, et inde est quod unum sit alterius mutuo et vicissim, tum quod unum sit omne in omnibus alterius sicut in se.

16. Ex his constare potest, quod Deus sit Homo, et quod per id sit Deus Existens ; non Existens a Se, sed in Se. Qui in Se existit, ille est Deus a quo omnia.

Quod in Deo Homine infinita distincte unum sint.

17. Notum est, quod Deus infinitus sit, vocatur enim Infinitus ; sed vocatur Infinitus quia est infinitus. Ex eo solum quod sit ipsum Esse et Existere in Se, non est Infinitus, sed quia infinita in Ipso sunt : Infinitum absque infinitis in Ipso non est Infinitum nisi quoad solum nomen. Infinita in Ipso non dici possunt infinite multa, nec infinite omnia, propter ideam naturalem de multis et de omnibus ; nam idea naturalis de infinite multis est limitata, et de infinite omnibus est quidem illimitata, sed trahit ex limitatis in universo. Quare homo, quia ei idea naturalis est, non potest sublimatione et approximatione venire in perceptionem de infinitis in Deo ; at angelus, quia est in idea spirituali, potest sublimatione et approximatione venire supra hominis gradum, non tamen usque illuc.

18. Quod infinita in Deo sint, quisque apud se affirmare potest, qui credit quod Deus sit Homo ; et quia est Homo, est Ipsi Corpus, et omne quod corporis est ; ita est Ipsi facies, pectus, abdomen, lumbi, pedes ; nam absque illis non foret Homo : et quia Ipsi illa sunt, etiam sunt Ipsi oculi, aures, nares, os, lingua ; tum etiam quae intra in homine sunt, ut cor et pulmo, et quae ex illis pendent ; quae omnia simul sumpta faciunt ut homo sit homo. In homine creato sunt illa multa, et in contexturis suis spectata sunt innumera : sed in Deo Homine sunt illa infinita ; non deest quicquam ; inde Ipsi infinita perfectio. Quod comparatio Hominis Increati, qui est Deus, cum homine creato fiat, est quia Deus est Homo, et ab Ipso dicitur quod homo mundi ad imaginem Ipsius et in similitudinem Ipsius creatus sit (*Genes.* i. 26, 27).

19. Quod infinita in Deo sint, patet manifestius angelis ex caelis in quibus sunt. Universum caelum, quod ex myriadibus myriadum angelorum consistit, in universali sua forma est sicut Homo ; unaquaevis societas caeli tam major quam minor similiter ; inde etiam angelus est homo, est enim angelus caelum in minima forma ; quod ita sit,

videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 51–87). In tali forma est caelum in toto, parte, et individuo, ex Divino quod angeli recipiunt; nam quantum angelus ex Divino recipit, tantum in perfecta forma homo est. Inde est, quod angeli dicantur in Deo esse, et Deus in illis; tum quod Deus sit omne illorum. Quam multa sunt in caelo, non describi potest; et quia Divinum facit caelum, et inde illa ineffabilia multa ex Divino sunt, clare patet, quod infinita in ipso Homine, qui est Deus, sint.

20. Simile potest induci ex universo creato, dum hoc spectatur ex usibus et eorum correspondentiis: sed antequam hoc potest intelligi, praecedent quae illustrabunt.

21. Quia infinita in Deo Homine, quae in caelo, in angelo et in homine, ut in speculo apparent, et quia Deus Homo non est in spatio (ut supra, n. 7–10, ostensum est), aliquantum videri et comprehendi potest, quomodo Deus potest Omnipraesens, Omnisciens, et Omniprovidens esse, ac quomodo ut Homo potuerit creare omnia, ac ut Homo possit in aeternum tenere creata ab Ipso in suo ordine.

22. Quod infinita distincte unum sint in Deo Homine, hoc quoque constare potest ut in speculo ex homine. In homine multa et innumera sunt, ut supra dictum est; sed usque homo illa ut unum sentit. Non ex sensu scit aliquid de suis cerebris, de suo corde et pulmone, de suo hepate, liene et pancreate; nec de innumeris in oculis, auribus, lingua, ventriculo, membris generationis, et in reliquis; et quia ex sensu non scit illa, est sibi sicut unus. Causa est, quia omnia illa in tali forma sunt, ut non possit unum deesse; est enim forma recipiens vitae a Deo Homine (ut supra, n. 4–6, demonstratum est). Ex ordine et connexu omnium in tali forma sistitur sensus et inde idea, sicut non multa et innumera sint, sed sicut unum. Ex his concludi potest, quod multa et innumera, quae faciunt in homine sicut unum, in ipso Homine qui est Deus, distincte immo distinctissime unum sint.

Quod sit unus Deus Homo a quo omnia.

23. Omnia rationis humanae se conjungant et quasi concentrant in id, quod Deus unus Creator universi sit: quare homo, cui ratio, ex communi intellectus sui non aliter cogitat, nec cogitare potest. Dic alicui, cui sana ratio est, quod duo Creatores universi sint, et comperies repugnantiam ex illo in te, et forte ex solo loquelae sono in aure: unde patet, quod omnia rationis humanae se conjungant et concentrent in id, quod Deus unus sit. Quod ita sit, sunt binae causae. *Prima* est, quia ipsa facultas rationaliter cogitandi in se spectata non est hominis, sed est Dei apud illum; ex illa pendet ratio humana in communi, et commune facit ut id videat sicut a se. *Altera* est, quia homo per facultatem illam vel est in luce caeli, vel trahit commune suae cogitationis inde, et universale lucis caeli est quod Deus unus sit. Aliter si homo ex facultate illa perverterit inferiora intellectus; ille quidem pollet illa facultate, sed per intorsionem inferiorum vertit illam aliorsum; inde ejus ratio non sana fit.

24. Omnis homo, tametsi nescit, cogitat de coetu sicut de homine; quare etiam percipit illico cum dicitur quod rex sit caput et subditi corpus, tum cum dicitur quod is et ille talis sit in communi corpore, hoc est, in regno. Simile est cum spirituali corpore sicut cum civili; spirituale corpus est ecclesia, ejus caput est Deus Homo. Inde patet qualis in hac perceptione appareret ecclesia ut homo, si non unus Deus Creator et Sustentator universi cogitaretur, sed pro uno plures; appareret in perceptione illa sicut unum corpus super quo plura capita, ita non sicut Homo, sed sicut monstrum. Si diceretur, quod capitibus illis una essentia sit, et quod per id simul faciant unum caput, non potest alia idea inde resultare, quam quod vel uni capiti plures facies sint, vel quod pluribus capitibus una facies sit; ita ecclesia in perceptione sisteretur deformis: cum tamen Deus unus est Caput, et ecclesia est corpus, quod a nutu Capitis, et non a se, agit, ut quoque fit in homine. Inde quoque est, quod non nisi quam unus rex

in uno regno sit ; plures enim distraherent, at unus potest continere.

25. Simile foret in ecclesia per universum terrarum orbem sparsa, quae communio vocatur, ex eo quod sicut unum corpus sub uno Capite sit. Notum est, quod caput regat corpus sub se ad nutus ; in capite enim residet intellectus et voluntas, et ex intellectu et voluntate agitur corpus, usque adeo ut corpus sit modo obedientia. Corpus non potest agere aliquid nisi ex intellectu et voluntate in capite ; similiter homo ecclesiae nisi ex Deo. Apparet sicut corpus agat ex se ; ut sicut manus et pedes in agendo moveant se ex se, et sicut os et lingua in loquendo vibrent se ex se ; cum tamen ne hilum ex se, sed ex affectione voluntatis et inde cogitatione intellectus in capite. Cogita tunc si uni corpori plura capita forent, et unumquodvis caput sui juris esset ex suo intellectu et ex sua voluntate, an subsistere possit corpus : inter illa unanimum non dabile est, quale est unius capitis. Sicut est in ecclesia, ita est in caelis, quod ex myriadibus myriadum angelorum consistit ; nisi omnes et singuli spectarent ad unum Deum, decideret unus ab altero, et caelum dissolveretur. Quare si angelus caeli modo cogitat de pluribus diis, illico disparatur ; ejicitur enim in ultimum finem caelorum, ac decidit.

26. Quoniam universum caelum et omnia caeli ad unum Deum se referunt, ideo loquela angelica talis est, ut per quendam concentum ex concentu caeli fluens desinat in unum ; indicium quod illis impossibile sit cogitare nisi unum Deum ; loquela enim est ex cogitatione.

27. Quis, cui integra ratio est, non percipiet, quod Divinum non dividuum sit ? tum quod plures Infiniti, Increati, Omnipotentes ac Dii non dentur ? Si alius, cui ratio non est, diceret quod plures Infiniti, Increati, Omnipotentes ac Dii dabiles sint, modo una eadem essentia sit illis, et quod per id unus Infinitus, Increatus, Omnipotens et Deus sit, annon una eadem essentia est unum idem ? et unum idem pluribus non datur. Si diceretur, quod unum sit ab altero, tunc ille qui est ab altero non est Deus in se, et tamen Deus in Se est Deus a quo omnia (videatur supra, n. 16).

Quod ipsa Divina Essentia sit Amor et Sapientia.

28. Si colligis omnia, quaecunque nosti, et mittis illa sub mentis tuae intuitionem, et in aliqua spiritus elevatione scrutaris quid universale omnium est, non potes concludere aliud quam quod sint Amor et Sapientia; sunt enim illa duo essentialia omnium vitae hominis; omne civile ejus, omne morale ejus, et omne spirituale ejus, a duobus illis pendent, absque illis duobus non sunt aliquid. Similiter omnia vitae Hominis compositi, qui est, ut prius dictum est, societas major et minor, regnum et imperium, ecclesia, et quoque caelum angelicum. Deme illis amorem et sapientiam, et cogita num sint aliquid, et deprehendes quod absque illis, ut ex quibus, sint nihil.

29. Quod in Deo sit Amor et simul Sapientia in ipsa sua essentia, a nemine negari potest; amat enim omnes ex Amore in Se, et ducit omnes ex Sapientia in Se. Universum etiam creatum ex ordine spectatum, est ita plenum sapientia ex amore, ut dicas omnia in complexu illam ipsam esse; sunt enim indefinita in tali ordine, successive et simultanee, ut simul sumpta unum faciant. Ex eo et non aliunde est, quod contineri et in perpetuum conservari possint.

30. Ex eo, quod ipsa Divina Essentia sit Amor et Sapientia, est quod homini binae facultates vitae sint, ex quarum una est illi intellectus, et ex altera est illi voluntas. Facultas ex qua intellectus, trahit omnia sua ex influxu sapientiae a Deo; et facultas ex qua voluntas, trahit omnia sua ex influxu amoris a Deo. Quod homo non juste sapiat ex non juste amet non tollit facultates, sed modo includit illas; et quamdiu includit illas, intellectus quidem dicitur intellectus, similiter voluntas, sed usque essentialiter non sunt: quare si facultates illae auferrentur, periret omne humanum, quod est cogitare et ex cogitare loqui, ac velle et ex velle agere. Inde patet, quod Divinum apud hominem resideat in binis illis facultatibus, quae sunt facultas sapiendi et facultas amandi, hoc est, quod possit. Quod in homine sit posse [sapere et posse] amare, tametsi non sapit et non amat sicut potest, ex

multa experientia mihi innotuit, quam alibi videbis in copia.

31. Ex eo quod ipsa Divina Essentia sit Amor et Sapientia, est quod omnia in universo se referant ad bonum et ad verum; omne enim id quod ex amore procedit vocatur bonum, et quod ex sapientia procedit vocatur verum. Sed de his infra plura.

32. Ex eo quod ipsa Divina Essentia sit Amor et Sapientia, est quod universum et omnia in illo, tam viva quam non viva, subsistant ex calore et luce; calor enim correspondet amori, et lux correspondet sapientiae. Quare etiam calor spiritualis est amor, et lux spiritualis est sapientia. Sed de his etiam infra plura.

33. Ex Divino Amore et ex Divina Sapientia, quae faciunt ipsam Essentiam quae est Deus, oriuntur omnes affectiones et cogitationes apud hominem; affectiones ex Divino Amore, et cogitationes ex Divina Sapientia; et omnia et singula hominis non sunt nisi quam affectio et cogitatio; illae duae sunt sicut fontes omnium vitae ejus. Omnia jucunda et amoena vitae ejus ex illis sunt, jucunda ex affectione amoris ejus, et amoena ex cogitatione inde. Nunc quia homo creatus est ut sit recipiens, et recipiens est quantum amat Deum, et ex amore in Deum sapit, hoc est, quantum afficitur illis quae a Deo sunt, et quantum cogitat ex affectione illa, sequitur quod Divina Essentia, quae Creatrix, sit Divinus Amor et Divina Sapientia.

Quod Divinus Amor sit Divinae Sapientiae, et quod Divina Sapientia sit Divini Amoris.

34. Quod Divinum Esse et Divinum Existere in Deo Homine distincte unum sint, videatur supra (n. 14–16). Et quia Divinum Esse est Divinus Amor, et Divinum Existere est Divina Sapientia, ideo haec similiter distincte unum sunt. Distincte unum dicuntur, quia amor et sapientia duo distincta sunt, sed ita unita ut amor sit sapientiae et sapientia amoris; amor enim *est* in sapientia, et sapientia *existit* in amore: et quia Sapientia trahit suum Existere ex amore (ut supra, n. 15, dictum est), inde etiam Divina Sapientia est Esse. Ex quo sequitur, quod Amor et Sapientia simul sumpta sint Divinum Esse, at distincte

sumpta vocatur Amor Divinum Esse, et Sapientia Divinum Existere. Talis est idea angelica de Divino Amore et de Divina Sapientia.

35. Quoniam talis unio Amoris et Sapientiae, ac Sapientiae et Amoris, est in Deo Homine, est Divina Essentia una; Divina enim Essentia est Divinus Amor quia est Divinae Sapientiae, et Divina Sapientia quia est Divini Amoris: et quoniam talis unio illorum est, ideo etiam Divina Vita est una. Vita est Divina Essentia. Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sint unum, est quia unio est reciproca, ac unio reciproca facit unum. At de unione reciproca alibi plura dicentur.

36. Unio amoris et sapientiae est quoque in omni opere Divino; ex illa est perpetuitas, immo aeternitas ejus. Si plus Divini Amoris quam Divinae Sapientiae, aut si plus Divinae Sapientiae quam Divini Amoris, in aliquo opere creato foret, non subsistet, nisi quantum ex aequo insunt; transit quod super est.

37. Divina Providentia in reformandis, regenerandis, et salvandis hominibus, ex aequo participat ex Divino Amore et ex Divina Sapientia. Ex pluri Divini Amoris quam Divinae Sapientiae, aut ex pluri Divinae Sapientiae quam Divini Amoris, homo non reformari, regenerari et salvari potest. Divinus Amor vult omnes salvare, sed non salvare potest nisi per Divinam Sapientiam; et Divinae Sapientiae sunt omnes leges per quas fit salvatio, et Amor non potest illas leges transcendere, quoniam Divinus Amor et Divina Sapientia unum sunt, et in unione agunt.

38. Divinus Amor et Divina Sapientia in Verbo intelliguntur per "justitiam et judicium," Divinus Amor per "justitiam" et Divina Sapientia per "judicium:" quare in Verbo dicitur "justitia" et "judicium" de Deo. Ut apud *Davidem*,

> "Justitia et Judicium fulcrum throni tui" (*Ps.* lxxxix. [1]15[*B.A.* 14]);

apud eundem,

> Jehovah "educet sicut lucem justitiam.., et judicium..sicut meridiem" (*Ps.* xxxvii. 6):

apud *Hoscheam*,

> "Desponsabo [2]Me tibi in aeternum...in justitia et judicio" (ii. 19);

apud *Jeremiam*,

> "Suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, ...et faciet judicium et justitiam in terra" (xxiii. 5);

apud *Esaiam*,

Sedebit "super throno Davidis, et super regno ejus, ad stabiliendum illud...in judicio et in justitia" (ix. 6 [*B.A.* 7]):

apud eundem,

"Exaltetur Jehovah,...quia implevit" terram "judicio et justitia" (xxxiii. 5):

apud *Davidem*,

"Cum didicero judicia justitiae tuae :....septies in die laudo Te super judiciis justitiae tuae" (*Ps.* cxix. 7, [1]164);

Simile per "vitam" et "lucem" intelligitur apud *Johannem*,

"In Ipso Vita erat, et Vita erat Lux hominum" (i. 4):

per "vitam" ibi intelligitur Divinus Amor Domini, et per "lucem" Divina Sapientia Ipsius. Simile etiam per "vitam" et "spiritum" apud *Johannem*,

Jesus dixit, "Verba quae ego loquor vobis spiritus et vita sunt" (vi. 63).

39. In homine apparent amor et sapientia ut duo separata, sed usque in se distincte unum sunt, quoniam apud hominem talis est sapientia qualis est amor, et talis amor qualis est sapientia. Sapientia quae non unum facit cum suo amore, apparet sicut sit sapientia, et tamen non est; ac amor qui non unum facit cum sua sapientia, apparet sicut sit sapientiae amor, tametsi non est; unum enim trahet suam essentiam et suam vitam ex altero reciproce. Quod sapientia et amor apud hominem appareant ut duo separata, est quia facultas intelligendi apud illum est elevabilis in lucem caeli, sed non facultas amandi, nisi quantum homo facit sicut intelligit. Quare id apparentis sapientiae, quod non unum facit cum amore sapientiae, relabitur in amorem qui unum facit, qui potest esse amor non sapientiae, immo amor insaniae: homo enim potest ex sapientia scire quod illum oporteat facere hoc et illud, sed usque non facit, quia non amat illud; at quantum ex amore facit quod sapientiae est, tantum est imago Dei.

Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sit substantia et quod sit forma.

40. Idea vulgarium hominum de amore et de sapientia, est sicut de volatili et fluente in subtili aere seu

aethere; aut sicut de exhalato ab aliquo tali; et vix aliquis cogitat quod sint realiter et actualiter substantia et forma. Illi qui vident, quod substantia et forma, usque percipiunt amorem et sapientiam extra subjectum ut profluentia ex illo; et quod extra subjectum ut profluens ab illo percipiunt, tametsi ut volatile et fluens, etiam vocant substantiam et formam; non scientes quod amor et sapientia sint ipsum subjectum, et quod id quod extra illud percipitur ut volatile et fluens, sit modo apparentia status subjecti in se. Causae, quod hoc non hactenus visum sit, sunt [1]plures. Inter illas est, quod apparentiae sint primae ex quibus mens humana format suum intellectum, et quod discutere illas nequeat nisi ex indagatione causae; et si causa alte latet, illam indagare nequit, nisi intellectum teneat diu in luce spirituali, in qua illum diu tenere nequit propter lucem naturalem quae continue retrahit. Veritas usque est, quod amor et sapientia sint realis et actualis substantia et forma, quae faciunt ipsum subjectum.

41. Sed hoc quia contra apparentiam est, videri potest sicut non merens fidem, nisi demonstretur; et hoc demonstrari non potest nisi quam per talia quae homo percipere potest ex sensu sui corporis; quare per illa demonstrabitur. Sunt homini quinque sensus externi, qui vocantur tactus, gustus, olfactus, auditus et visus. Subjectum tactus est cutis, qua homo circumcinctus est; ipsa substantia et forma cutis faciunt ut sentiat applicata: sensus tactus non est in illis quae applicantur, sed est in substantia et forma cutis, quae sunt subjectum; sensus ille est modo affectio ejus ab applicatis. Simile est cum gustu: hic sensus est modo affectio substantiae et formae, quae sunt linguae; lingua est subjectum. Simile est cum olfactu: quod odor afficiat nares et quod sit in naribus, et quod sit affectio illarum ab odoriferis tangentibus, notum est. Simile est cum auditu: apparet sicut auditus sit in loco ubi sonus inchoat, sed auditus est in aure, et est affectio substantiae et formae ejus; quod auditus sit in distantia ab aure, est apparentia. Simile est cum visu: apparet dum homo videt objecta ad distantiam sicut visus ibi sit, sed usque est in oculo qui est subjectum, et similiter est affectio ejus: distans est solum ex judicio con-

cludente de spatio ex intermediis, vel ex diminutione et inde obscuratione objecti, cujus imago sistitur intus in oculo secundum angulum incidentiae. Inde patet, quod visus non exeat ab oculo ad objectum, sed quod imago objecti intret oculum, et afficiat substantiam et formam ejus: simile enim est cum visu quemadmodum est cum auditu; auditus nec exit ab aure ad captandum sonum, sed sonus intrat aurem, et afficit. Ex his constare potest, quod affectio substantiae et formae, quae facit sensum, non sit separatum quid a subjecto, sed solum faciat mutationem in illo, subjecto remanente subjecto tunc ut prius, et postea. Inde sequitur quod visus, auditus, olfactus, gustus et tactus, non sit aliquod volatile effluens ex illorum organis, sed quod sint organa in sua substantia et forma spectata, quae dum afficiuntur fit sensus.

42. Simile est cum amore et sapientia, cum sola differentia, quod substantiae et formae, quae sunt amor et sapientia, non exstent coram oculis, sicut organa sensuum externorum: sed usque nemo negare potest, quin substantiae et formae sint illa sapientiae et amoris quae vocantur cogitationes, perceptiones et affectiones, et quod non sint entia volatilia et fluentia ex nihilo, aut abstracta a reali et actuali substantia et forma, quae subjecta. Sunt enim in cerebro innumerabiles substantiae et formae, in quibus omnis interior sensus, qui se refert ad intellectum et voluntatem, residet. Quod omnes affectiones, perceptiones et cogitationes ibi non sint halitus ex illis, sed quod sint actualiter et realiter subjecta, quae nihil a se emittunt, sed modo mutationes subeunt secundum alluentia quae afficiunt, ex supradictis de sensibus externis constare potest. De alluentibus quae afficiunt, dicentur plura infra.

43. Ex his primum potest videri, quod Divinus Amor et Divina Sapientia in se sint substantia et forma, sunt enim ipsum Esse et Existere; et nisi forent tale Esse et Existere sicut sunt substantia et forma, forent modo ens rationis, quod in se non est aliquid.

Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sint substantia et forma in se, ita Ipsum et Unicum.

44. Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sit substantia et forma, mox supra confirmatum est; et quod Divinum Esse et Existere sit Esse et Existere in se, etiam supra dictum est. Non dici potest quod sit Esse et Existere a se, quia hoc involvit initium, et quoque a quodam in illo quod sit Esse et Existere in se; at ipsum Esse et Existere in se est ab aeterno. Ipsum Esse et Existere in se est etiam increatum, et omne creatum non potest esse nisi ab Increato; et quod creatum est, etiam est finitum, et finitum nec existere potest nisi ex Infinito.

45. Qui aliqua cogitatione potest assequi et comprehendere Esse et Existere in se, ille omnino assequetur et comprehendet quod illud sit Ipsum et Unicum; Ipsum dicitur quod solum *est*; et Unicum a quo omne aliud. Nunc quia Ipsum et Unicum est substantia et forma, sequitur quod illud sit ipsa et unica substantia et forma; et quia ipsa illa substantia et forma est Divinus Amor et Divina Sapientia, sequitur quod sit ipse et unicus Amor, ac ipsa et unica Sapientia; consequenter quod sit ipsa et unica Essentia, tum ipsa et unica Vita, nam Amor et Sapientia est Vita.

46. Ex his constare potest, quam sensualiter, hoc est, ex corporis sensibus, et ex eorum tenebris in spiritualibus, cogitant illi, qui dicunt naturam a se esse. Cogitant ex oculo, et non possunt ex intellectu. Cogitatio ex oculo occludit intellectum, at cogitatio ex intellectu aperit oculum. Illi non aliquid cogitare possunt de Esse et Existere in se, quodque hoc sit Aeternum, Increatum et Infinitum; nec possunt aliquid cogitare de Vita nisi sicut de volatili abeunte in nihilum; nec aliter de Amore et Sapientia, et prorsus non quod ab illis sint omnia naturae. Quod ab illis sint omnia naturae, nec videri potest, nisi natura spectetur ex usibus in sua serie et in suo ordine, et non si ex aliquibus ejus formis, quae sunt solius oculi objecta. Usus enim non sunt nisi quam ex vita, ac eorum series et ordo ex sapientia et amore; at formae

sunt usuum continentia: quare si spectantur solum formae, non potest in natura videri aliquid vitae, minus aliquid amoris et sapientiae, ita non aliquid Dei.

Quod Divinus Amor et Divina Sapientia non possit aliter quam esse et existere in aliis a se creatis.

47. Ipsum amoris non est amare se, sed est amare alios, ac illis per amorem conjungi. Ipsum amoris etiam est ab aliis amari, sic enim conjungitur. Essentia omnis amoris in conjunctione consistit; immo vita ejus quae vocatur jucunditas, amoenitas, delicium, dulcedo, beatitudo, faustitas et felicitas. Amor in eo consistit, ut suum sit alterius ac ut sentiat ejus jucundum ut jucundum in se, hoc est amare; at sentire suum jucundum in altero, et non ejus in se, non est amare, hoc enim est amare se, illud autem amare proximum. Illa duo amoris genera sunt e diametro sibi opposita: utrumque quidem conjungit; et non apparet, quod amare suum, hoc est, se in altero, disjungat; cum tamen ita disjungit, ut quantum quis alterum sic amaverit, tantum postea illum odio habeat: solvitur enim conjunctio illa a se successive, et tunc amor fit odium in simili gradu.

48. Quis non id potest videre, qui potest intueri amoris essentiam? Quid enim est amare se solum, et non aliquem extra se, a quo redametur? Hoc potius est dissolutio quam conjunctio. Conjunctio amoris est a reciproco, et reciprocum non datur in se solo: si putatur dari, est a reciproco imaginativo in aliis. Ex his patet, quod Divinus Amor non possit aliter quam esse et existere in aliis, quos amet, et a quibus ametur; cum enim tale est in omni amore, maxime erit, hoc est, infinite, in ipso Amore.

49. Quod Deum attinet: amare et reciproce amari non potest dari in aliis, in quibus est aliquid infiniti, seu aliquid essentiae et vitae amoris in se, seu aliquid Divini; si enim aliquid infiniti, seu essentiae et vitae amoris in se, hoc est, aliquid Divini, esset in illis, tunc non amaretur ab aliis, sed amaret se; infinitum enim seu Divinum est uni-

cum; si hoc in aliis foret, foret Ipsum, ac foret ipse amor sui, cujus ne hilum dari potest in Deo; hoc enim prorsus oppositum est Essentiae Divinae. Quare dabitur in aliis, in quibus nihil Divini in se, est. Quod id detur in creatis a Divino, infra videbitur. Sed ut detur, erit Infinita Sapientia, quae unum faciet cum Infinito Amore; hoc est, erit Divinus Amor Divinae Sapientiae et Divina Sapientia Divini Amoris (de quo supra, n. 34–39).

50. Ex perceptione et cogitatione hujus arcani pendet perceptio et cognitio omnium existentiae seu creationis, tum omnium subsistentiae seu conservationis a Deo; hoc est, omnium operum Dei in universo creato; de quibus in sequentibus agendum est.

51. Sed quaeso, ne confundas ideas tuas cum tempore et cum spatio; quantum enim temporis et spatii est in ideis cum sequentia legis, tantum non intelligis illa: nam Divinum non est in tempore et spatio; quod clare videbitur in continuatione hujus operis, in specie de Aeternitate, Infinitate, et de Omnipraesentia.

Quod omnia in universo a Divino Amore et Divina Sapientia Dei Hominis creata sint.

52. Universum in maximis et minimis, ac in primis et ultimis, ita plenum est Divino Amore et Divina Sapientia, ut dici queat quod sit Divinus Amor et Divina Sapientia in imagine. Quod ita sit, manifeste constat ex correspondentia omnium universi cum omnibus hominis. Omnia et singula quae in universo creato existunt, talem correspondentiam cum omnibus et singulis hominis habent, ut dici possit, quod homo etiam sit aliquod universum. Correspondentia ejus affectionum et inde cogitationum est cum omnibus regni animalis; ejus voluntatis et inde intellectus cum omnibus regni vegetabilis; ac ejus vitae ultimae cum omnibus regni mineralis. Quod talis correspondentia sit, non apparet alicui in mundo naturali; sed cuivis, qui attendit, in mundo spirituali. In hoc mundo sunt omnia quae in mundo naturali in tribus ejus regnis existunt, et sunt correspondentiae affectionum et cogitationum,

affectionum ex voluntate et cogitationum ex intellectu, tum ultimorum vitae, illorum qui ibi: atque haec et illa apparent circum illos in tali aspectu, in quali est universum creatum, cum differentia quod in minore effigie. Ex his manifeste patet angelis, quod universum creatum sit imago repraesentativa Dei Hominis, et quod Ipsius Amor et Sapientia sint quae in universo sistuntur in imagine. Non quod universum creatum sit Deus Homo, sed quod sit ab Ipso; nam nihil quicquam in universo creato est substantia et forma in se, nec vita in se, nec amor et sapientia in se, immo nec homo est homo in se, sed omne est a Deo, qui est Homo, Sapientia et Amor, ac Forma et Substantia in se. Quod in se est, hoc increatum et infinitum est; quod autem ab Ipso est, hoc, quia nihil tenet apud se quod in se est, creatum et finitum est, et hoc repraesentat imaginem Ipsius, a quo est et existit.

53. De creatis et finitis potest dici Esse et Existere, tum substantia et forma, ut et vita, immo amor et sapientia, sed omnia illa sunt creata et finita. Causa, quod dici queant, non est quod aliquid Divinum illis sit, sed quod in Divino sint et quod Divinum in illis sit: omne enim quod creatum est, in se est inanimatum et mortuum, sed animatur et vivificatur per id, quod Divinum sit in illis, et illa in Divino.

54. Divinum non aliter est in uno subjecto quam in alio, sed unum subjectum creatum est aliud quam alterum, non enim dantur duo idem, et inde est aliud continens; ex quo Divinum in sua imagine apparet varium. De praesentia Ipsius in oppositis, dicetur in sequentibus.

Quod omnia in universo creato sint Divini Amoris et Divinae Sapientiae Dei Hominis recipienta.

55. Notum est, quod omnia et singula universi a Deo creata sint; inde universum cum omnibus et singulis ejus in Verbo vocatur "opus manuum Jehovae." Dicitur quod

mundus in suo complexu creatus sit ex nihilo, et de nihilo fovetur idea plane nihili; cum tamen ex plane nihilo nihil fit, nec aliquid fieri potest. Hoc constans veritas est. Quare universum, quod est imago Dei, et inde plenum Deo, non potuit nisi quam in Deo a Deo creari; Deus enim est ipsum Esse, et ab Esse erit quod est: a nihilo quod non est, creare quod est, est prorsus contradictorium. Sed usque creatum in Deo a Deo, non est continuum ab Ipso; nam Deus est Esse in Se, et in creatis non est aliquid Esse in se; si in creatis foret aliquid Esse in se, foret id continuum a Deo, et continuum a Deo est Deus. Angelica idea de hoc talis est, quod creatum in Deo a Deo, sit sicut id in homine, quod traxerat ex vita ejus, sed a quo extracta est vita; quod tale est, ut conveniat vitae ejus, sed usque non est vita ejus. Hoc angeli confirmant ex multis, quae in caelo illorum existunt, ubi dicunt se esse in Deo, et Deum in illis, et tamen nihil Dei, quod Deus est, in suo Esse habere. Plura, ex quibus id confirmant, in sequentibus [7]afferentur; hic modo id sit pro scientia.

56. Omne creatum, ex ea origine, est tale in sua natura ut sit recipiens Dei, non per continum sed per contiguum; per hoc et non per illud est conjunctivum; est enim conveniens quia in Deo a Deo creatum est; et quia ita creatum est, est analogon, et per conjunctionem illam est sicut imago Dei in speculo.

57. Ex eo est, quod angeli non sint angeli a se, sed quod sint angeli ex conjunctione illa cum Deo Homine; et illa conjunctio est secundum receptionem Divini Boni et Divini Veri, quae sunt Deus, et apparent procedere ab Ipso, tametsi in Ipso sunt: ac receptio est secundum applicationem legum ordinis, quae sunt Divinae veritates, ad se, ex libero cogitandi et volendi secundum rationem, quae illis sunt a Domino sicut eorum. Per id est illis receptio Divini Boni et Divini Veri sicut ab illis, et per id est reciprocum amoris; nam, ut supra dictum est, amor non datur nisi sit reciprocus. Simile est cum hominibus in terris. Ex dictis primum videri potest, quod omnia universi creati sint Divini Amoris et Divinae Sapientiae Dei Hominis recipientia.

58. Quod reliqua universi, quae non sunt sicut angeli et sicut homines, etiam sint recipientia Divini Amoris et Divinae Sapientiae Dei Hominis, sicut quae infra homines sunt in regno animali, et quae infra haec in regno vegetabili, et quae infra haec in regno minerali, non potest adhuc ad intellectum exponi ; prius enim plura de gradibus vitae, et de gradibus recipientium vitae, dicenda sunt. Conjunctio cum illis est secundum usus illorum ; omnes enim usus boni non trahunt aliunde suam originem, quam per similem conjunctionem cum Deo, sed dissimilem secundum gradus ; quae conjunctio successive in descensu fit talis, ut nihil liberi quia nihil rationis, et inde nihil apparentiae vitae insit, at usque sunt recipientia. Quia sunt recipientia, etiam sunt reagentia ; nam per id quod sint reagentia, sunt continentia. De conjunctione cum usibus non bonis, dicetur postquam origo mali ostensa est.

59. Ex his constare potest, quod Divinum sit in omnibus et singulis universi creati, et inde quod universum creatum sit opus manuum Jehovae, ut dicitur in Verbo ; hoc est, opus Divini Amoris et Divinae Sapientiae, nam haec intelliguntur per "manus Jehovae." Et tametsi Divinum est in omnibus et singulis universi creati, usque est nihil Divini in se in illorum Esse ; universum enim creatum non est Deus, sed a Deo ; et quia est a Deo, est in illo imago Ipsius, sicut imago hominis in speculo, in quo quidem homo apparet, sed usque in illa nihil hominis est.

60. Audivi plures in mundo spirituali loquentes circum me, dicentes, quod quidem agnoscere velint, quod in omnibus et singulis universi sit Divinum, quia in illis vident mirabilia Dei, et quo interius spectantur, eo mirabiliora ; sed usque cum audiverunt, quod in omnibus et singulis universi creati Divinum insit actualiter, indignati sunt ; indicium quod id quidem dicant, sed non credant. Quare illis dictum est, annon hoc possint videre solum ex mirabili facultate, quae inest cuivis semini in tali ordine producendi vegetabile suum usque ad nova semina ; et quod in unoquovis semine sit idea infiniti ac aeterni, nisus enim in illis est se multiplicandi et fructificandi in infinitum et in aeternum. Tum ex quolibet animali etiam minimo,

quod in illo sint organa sensuum, sint cerebra, corda, pulmones, et reliqua, cum arteriis, venis, fibris, musculis, et ex illis actus; praeter stupenda in illorum indole, de qua integri libri scripti exstant. Omnia illa mirabilia sunt ex Deo; formae autem quibus induta sunt, ex materiis terrae sunt; ex illis sunt vegetabilia, et in suo ordine homines: quare de homine dicitur,

> Quod creatus sit ex humo, et quod sit pulvis terrae, et quod anima vitarum sit inspirata (*Genes.* ii. 7);

ex quo patet quod Divinum non homini sit, sed illi adjunctum.

QUOD OMNIA QUAE CREATA SUNT IN QUADAM IMAGINE REFERANT HOMINEM.

61. Hoc constare potest ex omnibus et singulis regni animalis; exque omnibus et singulis regni vegetabilis; et ex omnibus et singulis regni mineralis.

Relatio ad hominem in omnibus et singulis regni animalis, patet ex his: quod animalibus omnis generis sint membra per quae se movent, organa per quae sentiunt, et viscera per quae actuant illa, quae illis communia sunt cum homine: sunt quoque illis appetitus et affectiones, similes naturalibus apud hominem: et sunt scientiae connatae affectionibus illorum correspondentes, in quarum aliquibus apparet sicut spirituale, quod apud bestias terrae, volucres caeli, apud apes, bombyces, formicas, etc., plus et minus exstat coram oculis. Inde est, quod mere naturales homines faciant animantia illius regni sui similia, praeter loquelam.

Relatio ad hominem ex omnibus et singulis regni vegetabilis, patet ex his: quod ex semine existant, et ex illo successive in aetates suas progrediantur; quod illis aliqua connubii similia sint, et post illa prolificatio; quod anima vegetativa illorum sit usus, cujus formae sunt, praeter plura alia, quae sunt relationes ad hominem; quae etiam a quibusdam descriptae sunt.

Relatio ad hominem ab omnibus et singulis regni mineralis, apparet solum in conatu producendi formas quae

se referunt, quae sunt, ut dictum est, omnia et singula regni vegetabilis, et sic usus praestandi: ut primum enim semen in gremium terrae illabitur, fovet illud, et ab undequaque dat ex se copias, ut egerminet, et se sistat in forma representativa hominis; quod talis conatus etiam sit in siccis ejus, patet a coralliis in fundo marium, exque floribus in fodinis, ibi ex mineris, et quoque ex metallis. Conatus ad vegetandum se, et sic praestandi usus, est ultimum ex Divino in creatis.

62. Sicut est conatus minerarum terrae se vegetandi, ita est conatus vegetabilium se vivificandi; inde varii generis insecta odoriferis halitibus eorum correspondentia: quod hoc non sit ex calore solis mundi, sed per illum ex vita secundum recipientia, videbitur in sequentibus.

63. Quod omnium universi creati relatio sit ad hominem, ex allatis quidem sciri potest, sed non videri nisi obscure; at in mundo spirituali videtur id clare. Ibi omnia trium regnorum etiam sunt, in quorum medio est angelus; videt illa circum se, et quoque scit quod sint repraesentationes ejus; immo, quando intimum ejus intellectus aperitur, cognoscit se, et videt imaginem suam in illis, vix aliter quam sicut in speculo.

64. Ex his et ex multis aliis concordantiis, quas hic non vacat adducere, pro certo potest sciri, quod Deus sit Homo, et quod universum creatum sit imago Ipsius; relatio enim communis omnium est ad Ipsum, sicut relatio particularis est ad hominem.

QUOD USUS OMNIUM QUAE CREATA SUNT, ASCENDANT PER GRADUS AB ULTIMIS AD HOMINEM, ET PER HOMINEM AD DEUM CREATOREM, A QUO.

65. *Ultima* sunt, ut supra dictum est, omnia et singula regni mineralis, quae sunt materiae varii generis, ex substantia lapidea, salina, oleosa, minerali, metallica, superducta humo ex vegetabili et animali in minutissimum pollinem fatiscentibus constante; in his latet omnium usuum, qui ex vita sunt, finis et quoque principium; finis omnium usuum est conatus producendi illos, ac princi-

pium est vis agens ex illo conatu. Haec sunt regni mineralis. *Media* sunt omnia et singula regni vegetabilis; quae sunt gramina et herbae omnis generis, plantae et virgulta omnis generis, et arbores omnis generis. Horum usus sunt pro omnibus et singulis regni animalis, tam imperfectis quam perfectis; nutriunt illa, delectant illa, et vivificant illa; nutriunt corpora eorum materiis suis, delectant sensus eorum sapore, odore, pulchritudine, et vivificant affectiones eorum. Conatus ad illa etiam inest illis a vita. *Prima* sunt omnia et singula regni animalis. Infima ibi vocantur vermes et insecta, media volucres et bestiae, ac suprema homines; nam in omni regno sunt infima, media, et suprema; infima pro usu mediorum, et media pro usu supremorum. Ita ordine ascendunt usus omnium quae creata sunt ab ultimis ad hominem, qui primus in ordine est.

66. Sunt tres gradus ascensus in mundo naturali, et sunt tres gradus ascensus in mundo spirituali. Omnia animalia sunt recipientia vitae; animalia perfectiora sunt recipientia vitae trium graduum mundi naturalis, minus perfecta sunt recipientia vitae duorum graduum istius mundi, et imperfecta sunt recipientia unius gradus ejus: at solus homo est recipiens vitae trium graduum non tantum mundi naturalis, sed etiam trium graduum mundi spiritualis. Inde est, quod homo possit elevari supra naturam, secus ac ullum animal; potest analytice et rationaliter cogitare de civilibus et moralibus quae intra naturam sunt, et quoque potest de spiritualibus et caelestibus, quae supra naturam sunt; immo potest elevari in sapientiam, usque ut videat Deum. Sed de sex gradibus, per quos usus omnium quae creata in suo ordine ascendunt usque ad Deum Creatorem, in suo loco agendum est. Ex summario hoc potest videri, quod omnium, quae creata sunt, ascensus sit ad Primum, qui solus est Vita, et quod usus omnium sint ipsa recipientia vitae, et inde formae usuum.

67. Paucis etiam dicetur, quomodo homo ab ultimo gradu ad primum ascendit, hoc est, elevatur. Nascitur in ultimum gradum naturalis mundi; elevatur dein per scientias in secundum gradum; et sicut ex scientiis per-

ficit intellectum, elevatur in tertium gradum, et tunc fit rationalis. Tres gradus ascensus in mundo spirituali sunt in illo supra tres gradus naturales, nec apparent priusquam exuit corpus terrestre: cum hoc exuit, aperitur ei primus gradus spiritualis, postea secundus, et demum tertius, sed solum apud illos qui fiunt angeli tertii caeli; hi sunt qui vident Deum: angeli secundi et ultimi caeli fiunt, apud quos secundus et ultimus gradus aperiri potest. Omnis gradus spiritualis apud hominem aperitur secundum receptionem Divini Amoris et Divinae Sapientiae a Domino; qui aliquid recipiunt, veniunt in gradum spiritualem primum seu ultimum; qui plus, in gradum spiritualem secundum seu medium; et qui multum, in gradum tertium seu supremum; qui autem nihil eorum recipiunt, manent in gradibus naturalibus, et a gradibus spiritualibus non trahunt plus, quam quod possint cogitare et inde loqui, ac velle et inde agere, sed non intelligenter.

68. De elevatione interiorum hominis quae mentis ejus sunt, hoc etiam sciendum est. Omni creato a Deo inest reactio. Soli Vitae est actio, et reactio excitatur per actionem Vitae. Illa reactio apparet sicut sit creati, ex eo quod existat cum agitur: ita in homine apparet sicut sit ejus, quia non sentit aliter quam quod vita sit ejus, cum tamen homo est solum recipiens vitae. Ex ea causa est, quod homo ex malo suo hereditario reagat contra Deum: sed sicut credit quod omnis vita ejus sit a Deo, et omne bonum vitae ab actione Dei, et omne malum vitae a reactione hominis, ita reactio fit actionis, ac homo agit cum Deo sicut a se. Aequilibrium omnium est ab actione et simul reactione, et in aequilibrio erit omne. Haec dicta sunt, ne homo credat quod ipse ad Deum ascendat a se; sed a Domino.

Quod Divinum impleat omnia spatia universi absque spatio.

69. Sunt duo naturae propria, *Spatium* et *Tempus* Ex his homo in naturali mundo formąt ideas suae cogitationis, et inde intellectum; si manet in illis ideis, et non

elevat mentem supra illas, nusquam potest percipere aliquid spirituale et Divinum ; involvit enim illa ideis quae trahunt ex spatio et tempore, et quantum hoc facit, tantum fit lumen intellectus ejus mere naturale. Ex hoc cogitare ratiocinando de spiritualibus et Divinis, est sicut ex caligine noctis de illis quae solum in luce diei apparent. Inde est naturalismus. At qui scit elevare mentem supra ideas cogitationis, quae trahunt ex spatio et tempore, ille transit e caligine in lucem, et sapit spiritualia et Divina, et tandem videt ea quae in illis et ex illis sunt ; et tunc ex illa luce discutit caliginem luminis naturalis, ac fallacias ejus e medio ad latera relegat. Omnis vir, cui intellectus, cogitare potest supra illa propria naturae, et quoque actualiter cogitat ; et tunc affirmat et videt, quod Divinum, quia omnipraesens, non sit in spatio ; et quoque affirmare et videre potest illa, quae supra allata sunt : at si negat Divinam Omnipraesentiam, et naturae adscribit omnia, tunc non vult elevari, tametsi potest.

70. Illa duo naturae propria, quae, ut dictum est, sunt spatium et tempus, exuunt omnes qui obeunt et fiunt angeli ; intrant enim tunc in lucem spiritualem, in qua objecta cogitationis sunt vera, et objecta visus sunt similia quae in mundo naturali, sed cogitationibus illorum correspondentia. Objecta cogitationis illorum, quae, ut dictum est, sunt vera, prorsus nihil trahunt ex spatio et tempore ; objecta autem visus eorum quidem apparent sicut in spatio et in tempore, sed usque non cogitant ex illis. Causa est, quia spatia et tempora ibi non sunt stata sicut in mundo naturali, sed mutabilia secundum status vitae [1]eorum ; inde pro illis in ideis cogitationis eorum sunt status vitae, pro spatiis talia quae se referunt ad status amoris, et pro temporibus talia quae se referunt ad status sapientiae. Inde est quod cogitatio spiritualis et inde quoque loquela spiritualis, in tantum a cogitatione et inde loquela naturali differat, ut nihil commune nisi quoad interiora rerum, quae omnia sunt spiritualia, habeant : de qua differentia plura alibi dicentur. Nunc quia angelorum cogitationes nihil trahunt ex spatio et tempore, sed ex statibus vitae, patet quod illi non comprehendant cum

dicitur quod Divinum impleat spatia, non sciunt enim quid spatia; sed quod clare comprehendant cum, absque idea ullius spatii, dicitur quod Divinum impleat omnia.

71. Ut pateat quod mere naturalis homo de spiritualibus et Divinis cogitet ex spatio, et spiritualis homo absque spatio, sit hoc illustrationi. Homo mere naturalis cogitat per ideas quas sibi comparavit ex objectis visus, in quibus omnibus est figura trahens ex longo, lato et alto, et ex forma per illa terminata, quae vel est angularis vel circularis. Haec manifeste insunt ideis cogitationis ejus de visibilibus in tellure, et quoque insunt ideis cogitationis ejus de non visibilibus ut de civilibus et moralibus. Haec quidem non videt, sed usque insunt ut continua. Aliter homo spiritualis, imprimis angelus caeli: ejus cogitatio nihil commune habet cum figura et forma trahente aliquid ex longo, lato et alto spatii, sed ex statu rei ex statu vitae; inde pro longo spatii cogitat bonum rei ex bono vitae, pro lato spatii verum rei ex vero vitae, et pro alto gradus eorum; ita cogitat ex correspondentia, quae est spiritualium et naturalium inter se; ex qua correspondentia est, quod "longitudo" in Verbo significet bonum rei, "latitudo" verum rei, et "altitudo" gradus eorum. Ex his patet, quod angelus caeli nequaquam aliter cogitare possit cum de Omnipraesentia Divina, quam quod Divinum impleat omnia absque spatio. Quod angelus cogitat, id est verum, quia lux, quae illuminat ejus intellectum, est Divina Sapientia.

72. Haec fundamentalis cogitatio de Deo est; nam absque illa possunt quidem illa, quae dicentur de creatione universi a Deo Homine, de Ipsius Providentia, Omnipotentia, Omnipraesentia et Omniscentia, intelligi, sed usque non retineri; quoniam mere naturalis homo, dum intelligit illa, usque relabitur in amorem suae vitae, qui est voluntatis ejus; et hic dissipat illa, ac cogitationem immergit spatio, in quo est lumen ejus quod vocat rationale; non sciens, quod quantum negat illa, tantum irrationalis sit. Quod ita sit, potest confirmari per ideam de hoc vero, Quod Deus sit Homo. Lege quaeso cum attentione, quae supra, n. 11–13, et quae postea scripta sunt; tunc intelli-

ges quod ita sit: at remitte cogitationem in naturale lumen quod trahit ex spatio, annon illa ut paradoxa visurus es? et si multum remittis, rejecturus es. Haec causa est quod dicatur quod Divinum impleat omnia spatia universi, et quod non dicatur quod Deus Homo impleat: nam si hoc diceretur, non suffragaretur mere naturale lumen: sed quod Divinum impleat, hoc suffragatur, quia concordat cum formula locutionis theologorum, quod Deus omnipraesens sit, ac audiat et sciat omnia. (Plura de hac re videantur supra, n. 7–10.)

Quod Divinum sit in omni tempore absque tempore.

73. Sicut Divinum est in omni spatio absque spatio, ita est in omni tempore absque tempore; non enim aliquid naturae proprium de Divino potest praedicari, et naturae propria sunt spatium et tempus. Spatium in natura est mensurabile, similiter tempus: mensuratur tempus per dies, septimanas, menses, annos et saecula; ac dies per horas, septimana et mensis per dies, annus per quatuor tempora, et saecula per annos. Mensurationem hanc trahit natura ex apparente circumgyratione et circumlatione solis mundi. Aliter vero in mundo spirituali; ibi progressiones vitae similiter apparent in tempore; vivunt enim ibi inter se, sicut homines mundi inter se, quod non datur absque apparentia temporis; sed tempus ibi non distinguitur in tempora ut in mundo, nam Sol eorum est in suo oriente constanter, nusquam dimotus; est enim Divinus Amor Domini qui illis apparet ut Sol. Inde non sunt illis dies, septimanae, menses, anni, saecula, sed loco illorum sunt status vitae, per quos fit distinctio, quae non vocari potest distinctio in tempora, sed in status. Inde est quod angeli non sciant quid tempus, et quod, cum nominatur, loco ejus percipiant statum; et cum status determinat tempus, est tempus modo apparentia, nam jucundum status facit ut tempus appareat breve, et injucundum status facit ut tempus appareat longum. Ex quibus patet quod tempus ibi non sit nisi quam quale status.

Ex eo est, quod per "horas," "dies," "septimanas," "menses" et "annos" in Verbo significentur status, et eorum progressiones in serie et in complexu; et cum tempora praedicantur de ecclesia, quod per "mane" ejus intelligatur primus ejus status, per "meridiem" plenum ejus, per "vesperam" decrescentia ejus, et per "noctem" finis ejus: similia per quatuor tempora anni, quae sunt ver, aestas, autumnus et hiems.

74. Ex his constare potest quod tempus unum faciat cum cogitatione ex affectione; quale enim status hominis inde est. Quod distantiae in progressionibus per spatia in mundo spirituali unum faciant cum progressionibus temporum, ex multis illustrari potest, abbreviantur enim actualiter viae ibi secundum desideria, quae sunt cogitationis ex affectione, ac vicissim prolongantur. Inde est quod etiam spatia temporis dicantur. In talibus autem, quando cogitatio non se conjungit cum affectione propria hominis, tempus non apparet, ut in [x]somnis.

75. Nunc quia tempora, quae sunt propria naturae in ejus mundo, sunt puri status in mundo spirituali, qui ibi progressivi apparent, quia angeli et spiritus sunt finiti, constare potest quod in Deo non sint progressivi, quia Infinitus est, ac infinita in Ipso unum sunt, secundum illa quae supra (n. 17–22) demonstrata sunt: ex quibus sequitur, quod Divinum in omni tempore sit absque tempore.

76. Qui non scit, et ex aliqua perceptione potest cogitare de Deo absque tempore, prorsus non potest percipere Aeternum aliter quam aeternum temporis: et tunc non potest quam delirare in cogitatione de Deo ab aeterno; cogitat enim ex initio, ac initium unice est temporis. Delirium ejus fit tunc, quod Deus a Se exstiterit, ex quo prone labitur in originem naturae a se: ex qua idea non exsolvi potest, nisi quam per spiritualem seu angelicam ideam de aeterno, quae est absque tempore, et dum absque tempore est, est Aeternum et Divinum idem, Divinum est Divinum in se, et non a se. Angeli dicunt, quod quidem percipere possint Deum ab aeterno, at nullo modo naturam ab aeterno, et minus naturam a se, et prorsus non naturam in se naturam; nam quod in se est, hoc est ipsum Esse, a quo omnia; et Esse in se est ipsa Vita,

quae est Divinus Amor Divinae Sapientiae ac Divina Sapientia Divini Amoris. Hoc est angelis Aeternum, ita abstractum a tempore, sicut Increatum est a creato, seu Infinitum a finito, quorum ne quidem ratio datur.

Quod Divinum in maximis et minimis sit idem.

77. Hoc sequitur ex duobus articulis qui praecedunt, quod Divinum sit in omni spatio absque spatio, et in omni tempore absque tempore : ac spatia sunt majora et maxima, et sunt minora et minima ; et quia spatia et tempora unum faciunt, ut supra dictum est, simile est cum temporibus. Quod Divinum in illis sit idem, est quia Divinum non est varium et mutabile, sicut est omne quod est spatii et temporis, seu omne quod est naturae, sed est invariabile et immutabile ; inde est ubivis et semper idem.

78. Apparet sicut Divinum non sit idem in uno homine ut in altero ; ut quod sit aliud in sapiente quam in simplici, et aliud in sene quam in infante. Sed hoc ex apparentia est fallacia ; est homo alius, sed Divinum non est aliud in illo. Homo est recipiens, ac recipiens seu receptaculum est varium. Sapiens homo est recipiens Divini Amoris et Divinae Sapientiae adaequatius, ita plenius, quam simplex homo ; ac senex qui etiam sapiens est, plus quam infans et puer ; sed usque Divinum est idem in uno et in altero. Similiter ex apparentia est fallacia, quod Divinum sit varium apud angelos caeli et apud homines telluris, quia angeli caeli in sapientia ineffabili sunt, non ita homines ; sed apparens varium est in subjectis secundum quale receptionis Divini, et non in Domino.

79. Quod Divinum sit idem in maximis et in minimis, illustrari potest ex caelo et ex angelo ibi. Divinum in toto caelo et Divinum in angelo est idem ; quare etiam totum caelum apparere potest ut unus angelus. Simile est cum ecclesia, et cum homine ejus. Maximum in quo est Divinum, est totum caelum et simul tota ecclesia ; minimum est angelus caeli et homo ecclesiae. Aliquoties apparuit mihi integra societas caeli sicut unus homo angelus ; et dictum quod apparere possit sicut homo magnus

ut gigas, et sicut homo parvus ut infans: et hoc quia Divinum est idem in maximis et in minimis.

80. Divinum etiam est idem in maximis et minimis omnium quae creata sunt, et non vivunt; est enim in omni bono usus illorum. Quod autem non vivant, est quia non formae vitae sed formae usuum sunt; ac forma secundum bonitatem usus est varia. Sed quomodo Divinum in illis est, in sequentibus, ubi de creatione, dicetur.

81. Abstrahe spatium, et prorsus nega vacuum, et cogita tunc de Divino Amore et de Divina Sapientia, quod sint ipsa Essentia abstracto spatio et negato vacuo; cogita dein ex spatio, et percipies quod Divinum sit in maximis et minimis spatii, idem; non datur enim in Essentia abstracta a spatio magnum et parvum, sed idem.

82. Hic de vacuo aliquid dicetur. Audivi quondam angelos loquentes cum Newtono de vacuo, dicentes quod ideam vacui ut nihili non sustineant; quia in mundo suo qui est spiritualis, ac intra seu supra spatia et tempora mundi naturalis, aeque sentiunt, cogitant, afficiuntur, amant, volunt, respirant, immo loquuntur et agunt; quae nusquam possunt dari in vacuo ut nihilo, quia nihil est nihil, et de nihilo non aliquid praedicabile est. Dixit Newtonus, quod sciat quod Divinum quod Est impleat omnia, et quod ipse horreat ad ideam nihili de vacuo, quia illa est destructiva omnium: hortans illos, qui de vacuo loquuntur cum illo, ut sibi caveant ab idea nihili, vocans illam deliquium, quia in nihilo non datur ulla mentis actualitas.

Pars Secunda.

Quod Divinus Amor et Divina Sapientia appareant in Mundo spirituali ut Sol.

83. Sunt duo mundi, spiritualis et naturalis; et mundus spiritualis non trahit quicquam ex mundo naturali, nec mundus naturalis ex mundo spirituali; sunt prorsus distincti; communicant solum per correspondentias, quae quales sunt, alibi multis ostensum est. Ad hoc illustrandum, sit hoc exemplum. Calor in mundo naturali correspondet bono charitatis in mundo spirituali, ac lux in mundo naturali correspondet vero fidei in mundo spirituali. Quod calor et bonum charitatis, ac lux et verum fidei prorsus distincta sint, quis non videt? Ex prima intuitione apparent illa ita distincta, sicut duo prorsus diversa; ita apparent si cogitatur, quid commune habet bonum charitatis cum calore, et quid verum fidei cum luce; cum tamen calor spiritualis est illud bonum, et lux spiritualis est illud verum. Haec tametsi ita distincta in se sunt, usque unum faciunt per correspondentiam: unum faciunt ita, ut dum homo in Verbo legit "calorem" et "lucem," tunc spiritus et angeli, qui apud hominem sunt, pro "calore" [1]percipiant charitatem, et pro "luce" fidem. Hoc exemplum adductum est, ut sciatur, quod duo mundi, spiritualis et naturalis, ita distincta sint, ut inter se nihil commune habeant; sed usque ita creati ut communicent, immo conjungantur, per correspondentias.

84. Quoniam duo illi mundi ita distincti sunt, perspicue videri potest, quod mundus spiritualis sub alio Sole sit quam mundus naturalis: in mundo enim spirituali aeque est calor et lux, ut in mundo naturali; sed calor ibi est spiritualis, et lux similiter, et calor spiritualis est bonum charitatis, et lux spiritualis est verum fidei. Nunc quia calor et lux non possunt aliunde originem ducere quam ex sole, constare potest, quod in mundo spirituali sit alius Sol quam in mundo naturali, tum etiam quod Sol mundi

spiritualis sit in sua essentia talis ut ex illo calor et lux spiritualis possit existere, et quod sol mundi naturalis sit in sua essentia talis ut ex illo calor naturalis possit existere. Omne spirituale, quod se refert ad bonum et verum, non aliunde potest exoriri, quam ex Divino Amore et Divina Sapientia ; omne bonum enim est amoris, et omne verum est sapientiae : quod non aliunde, omnis sapiens potest videre.

85. Quod Sol alius quam sol mundi naturalis sit, hactenus ignotum fuit. Causa est, quia spirituale hominis transiit tantum in naturale ejus, ut non sciret quid spirituale, ita nec quod spiritualis mundus, in quo sunt spiritus et angeli, alius ac diversus a mundo naturali, detur. Quoniam mundus spiritualis apud illos qui in mundo naturali sunt, in tantum latuit absconditus, ideo placuit Domino aperire visum spiritus mei, ut viderem illa quae in illo mundo sunt, sicut video illa quae in mundo naturali, et dein illum mundum [1]describerem, quod factum est in opere *De Caelo et Inferno*, in quo in uno articulo etiam actum est de Sole illius mundi : visus enim mihi est, et apparuit simili magnitudine, qua sol mundi naturalis, et quoque similiter sicut igneus, sed rutilans magis : et notum mihi factum est, quod universum caelum angelicum sub illo Sole sit ; quodque angeli tertii caeli videant illum jugiter, angeli secundi caeli saepius, et angeli primi seu ultimi caeli aliquoties. Quod omnis calor et omnis lux apud illos, tum omnia quae in illo mundo apparent, sint ex illo Sole, videbitur in sequentibus.

86. Sol ille non est Ipse Dominus, sed ex Domino ; est Divinus Amor et Divina Sapientia procedens, quae ut Sol in illo mundo apparent : et quia Amor et Sapientia in Domino unum sunt (ut in Prima Parte ostensum est), dicitur quod Sol ille sit Divinus Amor ; Divina enim Sapientia est Divini Amoris, ita quoque illa est Amor.

87. Quod Sol ille appareat coram oculis angelorum sicut igneus, est quia amor et ignis sibi correspondent ; oculis enim suis non possunt videre amorem, sed pro amore id quod ei correspondet. Est enim angelis aeque ac hominibus internum et externum ; internum eorum quod cogitat et sapit, ac quod vult et amat, et externum eorum est quod sentit, videt, loquitur et agit ; et omnia externa eorum sunt correspondentiae internorum, sed correspon-

dentiae spirituales, non autem naturales. Divinus Amor etiam sentitur ut ignis a spiritualibus. Inde est quod "ignis," ubi dicitur in Verbo, significet amorem; ignis sacer in Ecclesia Israelitica illum significabat: ex quo est, quod in precibus ad Deum etiam sollenne sit dicere, ut ignis caelestis accendat cor, hoc est, ut Divinus Amor.

88. Quoniam tale discrimen est inter spirituale et naturale, (ut supra, n. 83 ostensum est,) ideo ne hilum ex sole mundi naturalis transire potest in mundum spirituale, hoc est, ne hilum lucis et caloris ejus, aut objecti alicujus in tellure. Lux mundi naturalis est caligo ibi, et calor ejus est mors ibi. Sed usque calor mundi potest vivificari per influxum caloris caeli, et lux mundi illustrari potest per influxum lucis caeli. Influxus fit per correspondentias, et non potest fieri per continuum.

Quod ex Sole, qui ex Divino Amore et Divina Sapientia existit, procedat calor et lux.

89. In mundo spirituali, in quo sunt angeli et spiritus, sunt aeque calor et lux ut in mundo naturali, in quo sunt homines; et quoque calor sentitur ut calor, et lux videtur ut lux similiter. Sed usque calor et lux mundi spiritualis et mundi naturalis differunt in tantum, ut nihil commune habeant, ut supra dictum est. Differunt inter se sicut vivum et mortuum. Calor mundi spiritualis in se est vivus, pariter lux; calor autem mundi naturalis in se est mortuus, pariter lux: calor enim et lux mundi spiritualis procedunt ex Sole qui est purus amor; ac calor et lux mundi naturalis procedunt ex sole qui est purus ignis; ac amor est vivus, et Divinus Amor est ipsa Vita, et ignis est mortuus, ac solaris ignis est ipsa mors; ita vocari potest, ex causa quia prorsus nihil vitae ei inest.

90. Angeli, quia spirituales sunt, non possunt in alio calore, nec in alia luce quam spirituali, vivere; homines autem non possunt in alio calore et in alia luce, quam in naturali; nam spirituale convenit spirituali, et naturale naturali. Si angelus traheret minutissimum ex calore et luce naturali, periret, prorsus enim disconvenit vitae ejus.

Quisque homo quoad mentis suae interiora est spiritus. Cum homo moritur, egreditur prorsus e mundo naturae, et relinquit omnia ejus, et ingreditur in mundum in quo nihil naturae est ; et in hoc mundo ita separatus a natura vivit, ut non ulla communicatio sit per continuum, hoc est, sicut purius et crassius, sed sicut prius et posterius ; quorum communicatio non alia datur quam per correspondentias. Inde constare potest, quod calor spiritualis non sit purior calor naturalis, et lux spiritualis non purior lux naturalis, sed quod sint prorsus ex alia essentia ; calor enim et lux spiritualis trahunt essentiam ex Sole qui est purus Amor ; qui est ipsa Vita ; et calor et lux naturalis trahunt essentiam ex sole qui est purus ignis, in quo absolute nihil vitae est ; ut supra dictum.

91. Quoniam tale discrimen est inter calorem et lucem unius et alterius mundi, patet clare unde est, quod illi qui in uno mundo sunt non possint videre illos qui in altero mundo sunt. Oculi enim hominis, qui ex luce naturali videt, sunt ex substantia sui mundi, et oculi angeli sunt ex substantia sui mundi; ita utrobivis formati ad recipiendum adaequate suam lucem. Ex his videri potest, quantum ex ignorantia cogitant illi, qui in fidem suam non admittunt, quod angeli et spiritus sint homines, quia oculis illos non vident.

92. Hactenus ignotum fuit, quod angeli et spiritus sint in prorsus alia luce et in alio calore, quam homines ; immo ignotum fuit quod alia lux et alius calor detur. Homo enim cogitatione sua non altius penetravit quam in interiora aut puriora naturae ; quare etiam multi finxerunt habitacula angelorum et spirituum in aethere, et quidam in stellis, ita intra naturam, et non supra seu extra illam : cum tamen angeli et spiritus sunt prorsus supra seu extra naturam, inque suo mundo qui sub alio Sole est. Et quia in illo mundo spatia sunt apparentiae, ut supra demonstratum est, ideo non potest dici quod sint in aethere nec in stellis ; sunt enim una cum homine, conjuncti ejus spiritus affectioni et cogitationi : homo enim est spiritus ; ex illo cogitat et vult ; quare mundus spiritualis est ubi homo, et prorsus non dissitus ab illo. Verbo, omnis homo quoad interiora mentis suae est in illo mundo in medio spirituum et angelorum ibi ; ac cogitat ex luce ejus, et amat ex calore ejus.

QUOD SOL ILLE NON SIT DEUS, SED QUOD SIT PROCEDENS EX DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA DEI HOMINIS: SIMILITER CALOR ET LUX EX ILLO SOLE.

93. Per Solem illum conspicuum angelis, ex quo illis est calor et lux, non intelligitur Ipse Dominus, sed intelligitur primum procedens ab Ipso, quod est summum caloris spiritualis. Summum caloris spiritualis est spiritualis ignis, qui est Divinus Amor et Divina Sapientia in sua prima correspondentia. Inde est, quod Sol ille appareat igneus, et quoque quod sit igneus angelis, sed non hominibus. Ignis qui ignis hominibus non est spiritualis, sed est naturalis; inter quos discrimen est sicut inter vivum et mortuum. Quare Sol spiritualis per calorem vivificat spirituales, et redintegrat spiritualia: sol autem naturalis quidem similiter naturales et naturalia, sed non ex se, verum per influxum caloris spiritualis, cui succenturiatam opem fert.

94. Ille ignis spiritualis, in quo etiam lux est in sua origine, fit calor et lux spiritualis, quae decrescunt in procedendo; et decrescentia fit per gradus, de quibus in sequentibus. Hoc ab antiquis repraesentatum est per circulos ex igne rutilos et ex luce splendentes circum caput Dei; quae repraesentatio etiam hodie communis est, cum sistitur Deus ut Homo in picturis.

95. Quod amor producat calorem, et sapientia lucem, manifestum est ex ipsa experientia: homo dum amat incalescit, et cum ex sapientia cogitat videt res quasi in luce; ex quo patet, quod primum procedens amoris sit calor, et primum procedens sapientiae sit lux. Quod correspondentiae sint etiam, patet; nam calor non existit in ipso amore, sed ex illo in voluntate et inde in corpore; et lux non existit in sapientia, sed in intellectus cogitatione et inde in loquela. Quare amor et sapientia sunt essentia et vita caloris et lucis: calor et lux sunt procedentia; et quia sunt procedentia, sunt etiam correspondentiae.

96. Quod lux spiritualis sit prorsus distincta a luce naturali, potest quisque scire, si ad mentis suae cogitationes attendit. Mens enim cum cogitat, videt objecta sua in luce, et illi qui spiritualiter cogitant, vident vera, et hoc in media

nocte aeque bene ut in die. Quare etiam de intellectu praedicatur lux, et dicitur videre ; nam de illis quae alius loquitur, dicit alter quandoque, quod videat quod ita sit, hoc est, intelligat. Intellectus quia est spiritualis, non potest ita videre ex luce naturali ; lux enim naturalis non inhaeret, sed abit cum sole. Unde patet, quod intellectus gaudeat alia luce, quam oculus ; et quod illa lux ex alia origine sit.

97. Caveat sibi quisque, ne cogitet, quod Sol mundi spiritualis sit ipse Deus ; Ipse Deus est Homo ; primum procedens ex Ipsius Amore et Sapientia est igneum spirituale, quod apparet coram angelis ut Sol : quare cum Dominus Se manifestat angelis in Persona, manifestat Se ut Homo, et hoc quandoque in Sole, quandoque extra Solem.

98. Ex illa correspondentia est, quod Dominus in Verbo non modo dicatur "Sol," sed etiam "Ignis" et "Lux ;" et per "Solem" intelligitur Ipse quoad Divinum Amorem et Divinam Sapientiam simul ; per "Ignem" Ipse quoad Divinum Amorem, et per "Lucem" Ipse quoad Divinam Sapientiam.

Quod spiritualis Calor et Lux, a procedendo a Domino ut Sole, unum faciant, sicut Ipsius Divinus Amor et Divina Sapientia unum faciunt.

99. Quomodo Divinus Amor et Divina Sapientia in Domino unum faciunt in Parte Prima dictum est. Similiter unum faciunt calor et lux, quia haec procedunt, et quae procedunt, unum faciunt per correspondentiam : calor enim correspondet amori, et lux sapientiae. Inde sequitur, quod sicut Divinus Amor est Divinum Esse, et Divina Sapientia est Divinum Existere (ut supra, n. 14–16), ita spiritualis calor est Divinum procedens ex Divino Esse, et spiritualis lux est Divinum procedens ex Divino Existere ; quare sicut per unionem illam Divinus Amor est Divinae Sapientiae et Divina Sapientia est Divini Amoris (ut supra, n. 34–39), ita spiritualis calor est spiritualis lucis, et spiritualis lux est spiritualis caloris ; et quia talis unio est, sequitur quod calor et lux in procedendo a Domino ut Sole unum sint. Quod autem non ut unum recipiantur ab angelis et ab hominibus, videbitur in sequentibus.

100. Calor et lux quae a Domino ut Sole procedunt, sunt quae per eminentiam vocantur spirituale; et vocantur spirituale in singulari, quia unum sunt: quare in sequentibus ubi dicitur spirituale, intelligitur utrumque simul. Ex illo spirituali est, quod totus ille mundus dicatur spiritualis; omnia illius mundi trahunt per illud spirituale suam originem, et inde quoque denominationem. Quod ille calor et illa lux dicantur spirituale, est quia Deus vocatur Spiritus, ac Deus ut Spiritus est id Procedens. Deus ex ipsa sua Essentia vocatur Jehovah; sed per illud Procedens vivificat et illustrat angelos caeli et homines ecclesiae: quare etiam vivificatio et illustratio dicitur fieri per Spiritum Jehovae.

101. Quod calor et lux, hoc est, spirituale procedens a Domino ut Sole, unum faciant, illustrari potest per calorem et lucem, quae procedunt a sole mundi naturalis. Illa duo etiam unum faciunt in exeundo a sole illo. Quod non unum faciant in terris, non est ex sole illo, sed ex tellure: haec enim cottidie volvitur circum axem, et quotannis circumfertur secundum eclipticam; inde apparentia est quod calor et lux non unum faciant; media enim aestate est plus caloris quam lucis, et media hieme est plus lucis quam caloris. Simile est in mundo spirituali; sed tellus ibi non circumvolvitur et circumfertur, verum angeli plus et minus se convertunt ad Dominum; et qui plus se convertunt plus ex calore et minus ex luce recipiunt; et qui minus se convertunt ad Dominum, plus ex luce et minus ex calore recipiunt. Inde est quod caeli, qui ex angelis sunt, distincti sint in duo regna, quorum unum vocatur caeleste, alterum spirituale: angeli caelestes plus recipiunt ex calore, et angeli spirituales plus ex luce. Secundum receptionem caloris et lucis ab illis apparent quoque terrae, super quibus habitant. Plenaria est correspondentia, modo loco motus telluris sumatur mutatio status angelorum.

102. Quod etiam omnia spiritualia oriunda per calorem et lucem sui Solis, in se spectata similiter unum faciant, at quod illa spectata ut procedentia ex affectionibus angelorum non faciant unum, videbitur in sequentibus. Quando calor et lux unum faciunt in caelis, est quasi vernum apud angelos: quando autem non unum faciunt, est vel sicut

aestivum, vel sicut brumale; non sicut brumale in zonis frigidis, sed sicut brumale in zonis calidis: receptio enim amoris et sapientiae ex aequo, est ipsum angelicum; quare angelus est angelus caeli secundum unionem amoris et sapientiae apud illum. Simile est cum homine ecclesiae, si apud illum amor et sapientia, seu charitas et fides, unum faciunt.

Quod Sol mundi spiritualis appareat in media altitudine distans ab angelis sicut sol mundi naturalis ab hominibus.

103. Plerique e mundo ferunt secum ideam de Deo quod sit supra caput in alto, et de Domino quod sit in caelo inter angelos. Quod ferant ideam de Deo, quod sit supra caput in alto, est quia Deus in Verbo vocatur "Altissimus," et dicitur quod habitet "in alto;" quare elevant oculos et manus sursum cum supplicant et adorant; non scientes quod per "altissimum" significetur intimum. Quod ferant ideam de Domino quod sit in caelo inter angelos, est quia de Ipso non cogitant aliter quam sicut de alio homine, et quidam sicut de angelo; non scientes quod Dominus sit Ipse et Unicus Deus, qui regit universum; qui si inter angelos in caelo esset, non potuisset universum sub sua intuitione, subque suo auspicio et regimine habere; et si non coram illis, qui in mundo spirituali sunt, luceret ut Sol, non potuisset angelis aliqua lux esse; sunt enim angeli spirituales, et ideo non alia lux illorum essentiae convenit quam lux spiritualis. Quod lux in caelis sit, immensum excedens lucem in terris, videbitur infra ubi de gradibus.

104. Quod itaque Solem, ex quo lux et calor est angelis, concernit, apparet ille in elevatione a terris, super quibus habitant angeli, circiter quadraginta quinque graduum, quae est media altitudo; et quoque apparet distans ab angelis sicut sol mundi ab hominibus. Sol ille in ea altitudine et in ea distantia apparet constanter, nec dimovetur. Inde est, quod non sint angelis tempora distincta in dies et annos, nec aliqua progressio diei a mane per meridiem ad vesperam in noctem; nec progressio anni a vere per aestatem ad autumnum in hiemem, sed est per-

petua lux et perpetuum ver: quare loco temporum ibi sunt status, ut supra dictum est.

105. Quod Sol mundi spiritualis appareat in media altitudine, sunt imprimis sequentes causae. *Prima*, quod sic calor et lux, quae procedunt ab illo Sole, sint in suo medio gradu, et inde in sua aequalitate, et sic in sua justa temperie; nam si Sol supra mediam altitudinem appareret, perciperetur plus caloris quam lucis; si infra illam, perciperetur plus lucis quam caloris: ut fit in terris dum sol est supra aut infra medium caeli; dum supra, crescit calor supra lucem, et dum infra, crescit lux supra calorem; lux enim manet eadem tempore aestatis et tempore hiemis, sed calor secundum gradus altitudinis solis augetur et diminuitur. *Secunda* causa, quod sol mundi spiritualis in media altitudine supra caelum angelicum appareat, est, quia sic perpetuum ver est in omnibus caelis angelicis, ex quo angeli sunt in statu pacis, nam hic status correspondet tempori veris in terris. *Tertia* causa est, quod sic angeli facies suas ad Dominum jugiter possint vertere, et Ipsum oculis videre; angelis enim in omni conversione corporis eorum est oriens, ita Dominus, ante facies; quod peculiare est in illo mundo: hoc non fieret, si Sol istius mundi appareret supra aut infra medium, et minime si supra caput in zenith.

106. Si Sol mundi spiritualis non appareret distans ab angelis, sicut sol mundi naturalis ab hominibus, non foret universum caelum angelicum, ac sub illo infernum, et sub illis terraqueus noster orbis, sub Domini intuitione, auspicio, omnipraesentia, omniscientia, omnipotentia et providentia: comparative sicut sol mundi nostri, ille nisi foret in tali distantia a tellure, in qua apparet, non potuisset praesens et potens esse in omnibus terris per calorem et lucem, ita non potuisset succcenturiatam opem Soli mundi spiritualis praestare.

107. Maxime necessarium est, ut sciatur, quod duo soles sint, unus spiritualis et alter naturalis: Sol spiritualis pro illis qui in mundo spirituali sunt, et sol naturalis pro illis qui in mundo naturali sunt. Nisi hoc sciatur, non potest aliquid juste intelligi de creatione et de homine, de quibus agendum est. Effectus quidem possunt videri; sed nisi simul causae effectuum videntur, non apparere possunt effectus quam sicut in nocte.

QUOD DISTANTIA INTER SOLEM ET INTER ANGELOS IN MUNDO SPIRITUALI SIT APPARENTIA SECUNDUM RECEPTIONEM DIVINI AMORIS ET DIVINAE SAPIENTIA AB ILLIS.

108. Omnes fallaciae, quae apud malos et apud simplices regnant, oriuntur ex apparentiis confirmatis. Quamdiu apparentiae manent apparentiae, sunt illae veritates apparentes, secundum quas unusquisque potest cogitare et loqui ; at dum acceptantur pro ipsis veritatibus, quod fit dum confirmantur, tunc apparentes veritates fiunt falsitates et fallaciae. Sicut pro exemplo: apparentia est, quod sol cottidie circum tellurem feratur, et quotannis secundum eclipticam progrediatur ; hoc quamdiu non confirmatur, est veritas apparens, secundum quam quisque potest cogitare et loqui ; dicere enim potest, quod sol oriatur et occidat, et per id faciat mane, meridiem, vesperam et noctem ; tum quod sol nunc sit in illis aut in illis gradibus eclipticae seu suae altitudinis, et quod per id faciat ver, aestatem, autumnum et hiemem ; at dum confirmatur quod illa apparentia sit ipsa veritas, tunc confirmator cogitat et loquitur ex fallacia falsitatem. Simile est cum innumeris aliis apparentiis, non modo in naturalibus, civilibus, et moralibus, sed etiam in spiritualibus.

109. Simile est cum distantia Solis mundi spiritualis, qui Sol est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini. Veritas est quod nulla distantia sit ; sed quod distantia sit apparentia secundum receptionem Divini Amoris et Divinae Sapientiae in suo gradu ab angelis. Quod distantiae in mundo spirituali sint apparentiae, constare potest ex illis quae supra demonstrata sunt, ut ex illis n. 7 ad 9, quod Divinum non sit in spatio ; et ex illis n. 69 ad 72, quod Divinum impleat omnia spatia absque spatio: et si non spatia sunt, nec sunt distantiae ; vel quod idem, si spatia sunt apparentiae, etiam distantiae sunt apparentiae, nam distantiae sunt spatii.

110. Quod Sol mundi spiritualis appareat in distantia ab angelis, est quia Divinus Amor et Divina Sapientia recipitur in gradu caloris et lucis adaequato ab illis ; non

enim potest angelus, quia creatus et finitus est, recipere Dominum in primo gradu caloris et lucis, qualis est in Sole, tunc enim plane consumeretur ; quare Dominus recipitur ab illis in gradu caloris et lucis eorum amori et sapientiae correspondente. Hoc illustrari potest per hoc : quod angelus ultimi caeli non possit ascendere ad angelos tertii caeli ; si enim ascendit et intrat caelum illorum, cadit sicut in deliquium, et luctatur vita ejus sicut cum morte ; causa est, quia amor et sapientia ei est in minore gradu, et in simili calor amoris et lux sapientiae ejus. Quid tunc si angelus ascenderet usque versus Solem et veniret in ignem ejus ? Propter differentias receptionis Domini ab angelis, etiam caeli apparent inter se distincti. Supremum caelum, quod vocatur tertium, apparet supra secundum, et hoc supra primum ; non quod caeli distent, sed quod appareant distare ; Dominus enim aeque praesens est apud illos qui in ultimo caelo sunt, ut est apud illos qui in tertio ; id quod facit apparentiam distantiae est in subjectis, quae sunt angeli, non in Domino.

III. Quod ita sit, aegre potest comprehendi idea naturali, quia in illa est spatium ; sed potest comprehendi idea spirituali, quia in ea non est spatium ; in hac idea sunt angeli. Hoc usque comprehendi idea naturali potest, quod amor et sapientia, seu quod idem, quod Dominus qui est Divinus Amor et Divina Sapientia, non possit progredi per spatia, sed quod sit apud unumquemvis secundum receptionem. Quod Dominus sit praesens apud omnes, docet Ipse (apud *Matth.*, cap. xxviii. 20) : et quod mansionem faciat apud illos qui amant Ipsum (*Joh.* xiv. 21, [23]).

112. Sed hoc videri potest sicut superioris sapientiae, quia confirmatum est per caelos et per angelos ; at usque simile est apud homines. Homines quoad interiora mentis eorum ab eodem Sole incalescunt et illustrantur ; a calore ejus incalescunt, et a luce ejus illustrantur, quantum a Domino recipiunt amorem et sapientiam. Differentia inter angelos et homines est, quod angeli solummodo sub illo Sole sint, homines autem non modo sub illo Sole, sed etiam sub sole mundi : corpora enim hominum, nisi sint sub utroque sole non possunt existere et subsistere ; aliter corpora angelorum quae sunt spiritualia.

QUOD ANGELI SINT IN DOMINO, ET DOMINUS IN ILLIS; ET QUIA ANGELI SUNT RECIPIENTES, QUOD SOLUS DOMINUS SIT CAELUM.

113. Caelum vocatur "habitaculum Dei," et quoque "thronus Dei," et inde creditur quod Deus ibi sit, sicut est rex in suo regno. Sed Deus, hoc est Dominus, in Sole supra caelos est, et per praesentiam Ipsius in calore et luce est in caelis, ut in binis articulis superioribus ostensum est: et tametsi Dominus eo modo est in caelo, usque est ibi ut in Se, nam (ut mox supra, n. 108–112 demonstratum est,) est distantia inter Solem et caelum non distantia, sed apparentia distantiae; quare cum distantia illa est solum apparentia, sequitur quod Ipse Dominus sit in caelo, est enim in amore et sapientia angelorum caeli; et quia est in amore et sapientia omnium angelorum, et angeli constituunt caelum, est in universo caelo.

114. Quod Dominus non modo sit in caelo, sed etiam quod sit ipsum Caelum, est quia amor et sapientia faciunt angelum, et illa duo sunt Domini apud angelos; inde sequitur, quod Dominus sit Caelum. Angeli enim non sunt angeli a proprio illorum; proprium illorum est prorsus sicut proprium hominis, quod est malum. Quod hoc sit proprium angelorum, est quia omnes angeli fuerunt homines, et id proprium a nativitate illis inhaeret: removetur modo; et quantum id removetur, tantum recipiunt amorem et sapientiam, hoc est, Dominum in se. Quisque potest videre, si modo aliquantum elevat intellectum, quod Dominus non possit habitare nisi quam in suo apud angelos, hoc est, in proprio suo, quod est Amor et Sapientia, et prorsus non in proprio angelorum, quod est malum. Inde est, quod quantum removetur malum, tantum Dominus sit in illis, et tantum illi sint angeli. Ipsum angelicum caeli est Divinus Amor et Divina Sapientia. Hoc Divinum vocatur angelicum dum est in angelis. Inde iterum patet, quod angeli sirt angeli a Domino, et non a semet; consequenter etiam caelum.

115. Sed quomodo Dominus est in angelo, et angelus in Domino, non potest comprehendi, nisi sciatur qualis

conjunctio est. Conjunctio est Domini cum angelo, ac angeli cum Domino; quare est conjunctio reciproca. Est illa a parte angeli ut sequitur: angelus non percipit aliter quam quod sit in amore et sapientia a se, similiter ut homo, et inde sicut amor et sapientia sint ejus aut sua. Nisi ita perciperet, non foret aliqua conjunctio; ita non foret Dominus in illo, et ille in Domino. Nec dari potest, quod Dominus sit in aliquo angelo et homine, nisi ille, in quo cum amore et sapientia est, percipiat et sentiat id sicut suum: per hoc non modo recipitur, sed etiam receptus retinetur, et quoque redamatur. Quare per id fit angelus sapiens, et manet sapiens. Quis potest velle amare Dominum et proximum, et quis potest velle sapere, nisi sentiat et percipiat id quod amat, discit et haurit, sicut suum? Quis aliter potest retinere illud apud se? Si id non foret, amor et sapientia influens non aliquam sedem haberet, transflueret enim nec afficeret; sic angelus non foret angelus, nec homo foret homo; immo non foret aliud quam sicut est inanimatum. Ex his constare potest, quod reciprocum esse debeat, ut sit conjunctio.

116. Sed quomodo hoc fit, quod angelus percipiat et sentiat ut suum, et sic recipiat et retineat, cum tamen non ejus est, (nam supra dictum est, quod angelus non sit angelus a suo, sed ab illis quae apud eum sunt ex Domino,) nunc dicetur. Res in se talis est. Est apud unumquemvis angelum liberum et rationalitas: haec duo sunt apud illum propterea ut receptibilis amoris et sapientiae a Domino sit. Sed utrumque, tam liberum quam rationalitas, non est illius, sed est Domini apud illum. At quia illa duo intime conjuncta sunt vitae ejus, ita intime ut dici queant vitae injuncta, ideo illa apparent sicut propria ejus. Ex illis potest cogitare et velle, ac loqui et agere; et quod ex illis cogitat, vult, loquitur et agit, apparet sicut a se. Hoc facit reciprocum, per quod conjunctio. At usque quantum angelus credit quod amor et sapientia sint in illo, et sic vindicat illa sibi ut sua, tantum non est angelicum in illo, et inde tantum non est conjunctio ejus cum Domino; non enim est in veritate; et quia veritas cum luce caeli unum facit, tantum non potest esse in caelo; ex eo enim negat quod vivat ex Domino, et credit quod vivat ex se, consequenter quod Divina essentia illi sit. In illis

duobus, libero et rationalitate, consistit vita quae vocatur angelica et humana. Ex his constare potest, quod angelo sit reciprocum propter conjunctionem cum Domino, sed quod reciprocum in sua facultate spectatum non sit ejus sed Domini. Inde est, si reciproco illo, a quo percipit et sentit sicut suum quod est Domini, abutitur, quod fit appropriando illud sibi, quod decidat ab angelico. Quod conjunctio reciproca sit, docet Ipse Dominus apud *Johannem* (cap. xiv. 20–24; cap. xv. 4–6); ac quod conjunctio Domini cum homine, et hominis cum Domino, sit in illis quae Domini sunt, quae vocantur verba Ipsius (*Joh.* xv. 7).

117. Sunt qui opinantur quod Adamus in tali libero seu libero arbitrio fuerit, ut a se potuerit amare Deum et sapere, et quod id liberum arbitrium in posteris ejus deperditum sit; sed hoc est error: homo enim non est Vita, sed recipiens vitae (videatur supra, n. 4–6, 54–60); et qui est recipiens vitae, non potest ex aliquo suo amare et sapere. Quare etiam ille, cum ex suo voluit sapere et amare, delapsus est a sapientia et amore, et ejectus est e Paradiso.

118. Simile quod nunc dictum est de angelo, dicendum est de caelo quod ex angelis consistat, quoniam Divinum in maximis et minimis est idem (ut supra, n. 77–82, demonstratum est). Simile quod dictum est de angelo et caelo, dicendum est de homine et ecclesia: nam angelus caeli et homo ecclesiae unum agunt per conjunctionem; et quoque homo ecclesiae quoad interiora quae mentis ejus sunt, est angelus: sed per hominem ecclesiae intelligitur homo in quo est ecclesia.

Quod in mundo spirituali Oriens sit ubi Dominus ut Sol apparet, et quod reliquae plagae inde sint.

119. Actum est de Sole mundi spiritualis et ejus essentia, ac de calore et luce ejus, ac de praesentia Domini inde: nunc etiam de plagis illius mundi agetur. Quod de illo Sole et de illo mundo agatur, est causa quia agitur de Deo, et de amore et sapientia; et de illis aliter quam ex ipsa origine agere, foret agere ab effectibus, et non a causis: et tamen effectus nihil docent quam effec-

tus, et illi soli lustrati non propalant aliquam causam; sed causae propalant effectus; et scire effectus ex causis est sapere; at inquirere causas ab effectibus non est sapere, quia tunc se offerunt fallaciae, quas inquisitor vocat causas, et hoc est sapientiam infatuare. Causae enim sunt priora, et effectus posteriora; et ex posterioribus non videri possunt priora, sed posteriora ex prioribus. Hic est ordo. Haec causa est, quod de mundo spirituali hic primum agatur, omnes enim causae ibi sunt; et postea de mundo naturali, ubi omnia quae apparent sunt effectus.

120. Hic nunc dicetur de plagis in mundo spirituali. Sunt ibi similiter plagae sicut in mundo naturali; sed plagae mundi spiritualis, sicut ipse mundus est, sunt spirituales; at plagae mundi naturalis, sicut ipse mundus, sunt naturales; quare tantum differunt ut nihil commune habeant. Sunt quatuor plagae in utroque mundo, quae oriens, occidens, meridies et septentrio vocantur. Illae quatuor plagae in mundo naturali sunt constantes, determinatae a sole in meridie; antrorsum est septentrio, ab uno latere est oriens, ab altero est occidens, quae plagae a meridie cujusvis loci determinantur, solis enim statio in meridie ubivis est semper eadem et sic fixa. Aliter in mundo spirituali: ibi plagae determinantur a Sole ibi, qui constanter apparet in suo loco, et ubi apparet est oriens. Quare determinatio plagarum in illo mundo non est sicut in mundo naturali a meridie, sed est ab oriente; antrorsum est occidens, ab uno latere est meridies, ab altero est septentrio. Sed quod plagae illae non sint a Sole ibi, sed ab incolis illius mundi, qui sunt angeli et spiritus, videbitur in sequentibus.

121. Quoniam plagae illae ex origine sua, qui est Dominus ut Sol, sunt spirituales, ideo habitationes angelorum et spirituum, quae omnes sunt secundum plagas illas, etiam spirituales sunt; et spirituales sunt, quia habitant secundum receptiones amoris et sapientiae a Domino. Illi qui in amoris gradu superiori sunt, habitant in oriente, qui in amoris gradu inferiore in occidente, qui in sapientiae gradu superiore in meridie, et qui in sapientiae gradu inferiore in septentrione. Inde est, quod in Verbo per "orientem" in supremo sensu intelligatur Dominus, et in sensu respectivo amor in Ipsum, per "occidentem" amor in Ipsum decrescens, per "meridiem" sapientia in luce,

et per "septentrionem" sapientia in umbra: aut similia respective ad statum eorum de quibus agitur.

122. Quoniam oriens est a quo omnes plagae in mundo spirituali determinantur, et per "orientem" in supremo sensu intelligitur Dominus et quoque Divinus Amor, patet quod Dominus et amor in Ipsum sit, a quo omnia sunt; et quod quantum quis non in illo amore est, tantum ab Ipso remotus sit, et habitet vel in occidente, vel in meridie, vel in septentrione, ad distantias ibi secundum receptiones amoris.

123. Quoniam Dominus ut Sol constanter est in oriente, ideo antiqui, apud quos omnia cultus repraesentativa spiritualium fuerunt, in adorationibus suis verterunt facies ad orientem; ac ut simile in omni cultu facerent, templa sua etiam illuc verterunt: ex quo est, quod etiam templa hodie similiter aedificentur.

QUOD PLAGAE IN MUNDO SPIRITUALI NON SINT A DOMINO UT SOLE, SED QUOD SINT AB ANGELIS SECUNDUM RECEPTIONEM.

124. Dictum est, quod angeli habitent distincti inter se, quidam in plaga orientali, quidam in occidentali, quidam in meridionali, et quidam in septentrionali; et quod qui in plaga orientali habitant, sint in amoris superiori gradu, qui in occidentali in amoris inferiori gradu, qui in meridionali in sapientiae luce, et qui in septentrionali in sapientiae umbra. Illa habitationum diversitas appareret sicut sit a Domino ut Sole, cum tamen est ab angelis. Dominus non est in majori et minori gradu amoris et sapientiae, seu Ipse ut Sol non est in majori et minori gradu caloris et lucis apud unum quam apud alterum, est enim ubivis idem: sed non recipitur ab uno et ab altero in simili gradu; et hoc facit ut appareant sibi inter se distare plus et minus, et quoque varie secundum plagas. Ex quo sequitur, quod plagae in mundo spirituali non aliud sint, quam variae receptiones amoris et sapientiae, et inde caloris et lucis ex Domino ut Sole. Quod ita sit, patet a demonstratis supra (n. 108–112), quod distantiae in mundo spirituali sint apparentiae.

125. Quia plagae sunt variae receptiones amoris et

sapientiae ab angelis, dicetur de varietate, ex qua apparentia illa existit. Dominus est in angelo et angelus in Domino, ut in articulo praecedente ostensum est; sed quia apparet sicut Dominus ut Sol sit extra illum, apparet etiam quod Dominus videat illum e Sole, et quod ille videat Dominum in Sole, quod est paene sicut imago apparet in speculo. Quare si ex apparentia illa loquendum sit, tunc res talis est; quod Dominus videat et inspiciat unumquemvis facie ad faciem, sed quod vicissim angeli non ita Dominum: illi qui in amore in Dominum a Domino sunt, vident Ipsum directe, ideo illi sunt in oriente et occidente: illi autem qui plus in sapientia sunt, vident Dominum oblique ad dextrum; et qui minus in sapientia sunt, oblique ad sinistrum; ideo hi et illi sunt in septentrione et meridie. Quod hi in obliquo aspectu sint, est quia amor et sapientia ut unum procedunt a Domino, sed non ut unum recipiuntur ab angelis, ut quoque prius dictum est; et sapientia, quae abundat super amorem, apparet quidem ut sapientia, sed usque non est, quia superabundanti sapientiae non inest vita ex amore. Ex his patet, unde est diversitas receptionis, juxta quam habitationes angelorum secundum plagas in mundo spirituali apparent.

126. Quod varia receptio amoris et sapientiae faciat plagam in mundo spirituali, constare potest ex eo, quod angelus mutet plagam secundum incrementum et decrementum amoris apud illum; ex quo patet, quod plaga non sit a Domino ut Sole, sed quod sit ab angelo secundum receptionem. Simile est cum homine quoad spiritum ejus. Ille quoad spiritum est in quadam plaga mundi spiritualis, in quacunque plaga mundi naturalis sit; nam ut supra dictum est, plagae mundi spiritualis non commune habent cum plagis mundi naturalis: in his est homo quoad corpus, in illis autem quoad spiritum.

127. Ut amor et sapientia apud angelum et apud hominem unum faciant, sunt paria in omnibus corporis ejus, Oculi, aures et nares sunt paria; manus, lumbi et pedes sunt paria; cerebrum in duo hemisphaeria divisum est, cor in binas cameras, pulmo in binos lobos, similiter reliqua. Ita in angelo et homine est dextrum et sinistrum; et omnes partes dextrae eorum se referunt ad amorem ex quo sapientia, et omnes partes sinistrae ad sapientiam ex

amore : seu quod idem, omnes partes dextrae ad bonum ex quo verum, et omnes partes sinistrae ad verum ex bono. Haec paria angelo et homini sunt, ut amor et sapientia, seu bonum et verum, unum agant, ac ut unum spectent ad Dominum. Sed de hac re plura in sequentibus.

128. Ex his videri potest in qua fallacia et inde falsitate sunt illi, qui opinantur quod Dominus ex arbitrio impertiatur caelum, seu quod ex arbitrio det ut unus sapiat et amet plus quam alter ; cum tamen Dominus aeque vult ut sapiat et salvetur unus ac alter ; providet enim omnibus media : quisque sicut recipit illa et vivit secundum illa, ita sapit et salvatur, est enim Dominus idem apud unum et apud alterum : at quod recipientes, qui sunt angeli et homines, dissimiles sint ex dissimili receptione et vita. Quod ita sit, constare potest ex illis, quae nunc de plagis, et de habitationibus angelorum secundum illas, dicta sunt ; quod nempe illa diversitas non sit a Domino, sed a recipientibus.

QUOD ANGELI FACIEM SUAM JUGITER VERTANT AD DOMINUM UT SOLEM, ET SIC HABEANT MERIDIEM AD DEXTRUM, SEPTENTRIONEM AD SINISTRUM, ET OCCIDENTEM A TERGO.

129. Omnia quae hic de angelis et de conversione illorum ad Dominum ut Solem, dicuntur, etiam de homine quoad ejus spiritum intelligenda sunt ; nam homo quoad suam mentem est spiritus, et si in amore et sapientia est, est angelus : quare etiam post mortem, dum externa sua, quae traxerat ex naturali mundo, exuit, fit spiritus aut angelus. Et quia angeli jugiter vertunt faciem ad orientem Solis, ita ad Dominum, dicitur etiam de homine, qui in amore et sapientia a Domino est, quod videat Deum, quod spectet ad Deum, quod habeat Deum ante oculos, per quae intelligitur quod vivat sicut angelus. Talia dicuntur in mundo, tam quia actualiter existunt in caelo, quam quia actualiter existunt in spiritu hominis. Quis non videt ante se ad Deum, ad quamcunque plagam versa est ejus facies, dum orat ?

130. Quod angeli facies suas jugiter vertant ad Do-

minum ut Solem, est quia angeli in Domino sunt et Dominus in illis, et Dominus interius ducit affectiones et cogitationes eorum, et vertit illas jugiter ad Se; inde non possunt aliter quam ad orientem, ubi Dominus ut Sol apparet, spectare. Inde patet, quod angeli non se ad Dominum vertant, sed quod Dominus illos ad Se: cum enim angeli interius cogitant de Domino, tunc non cogitant de Ipso aliter quam in se; ipsa cogitatio interior non facit distantiam, sed cogitatio exterior, quae cum visu oculorum unum agit, facit. Causa est, quia cogitatio exterior est in spatio, non autem interior; et ubi non est in spatio, ut in mundo spirituali, usque est in apparentia spatii. Sed haec parum possunt intelligi ab homine, qui de Deo cogitat ex spatio; Deus enim est ubivis, et non tamen in spatio: ita est tam intra quam extra angelum; et inde potest angelus videre Deum, hoc est, Dominum, et intra se et extra se; intra se dum ex amore et sapientia cogitat, extra se dum de amore et sapientia. Sed de his in specie dicetur in transactionibus de *Domini Omnipraesentia, Omniscientia et Omnipotentia.* Caveat sibi omnis ne in exsecrabilem illam haeresin labatur, quod Deus Se infuderit hominibus, et quod in illis sit, et non in Se amplius; cum tamen Deus est ubivis, tam intra hominem quam extra illum; est enim in omni spatio absque spatio (ut supra, n. 7–10, 69–72, ostensum est). Nam si foret in homine, foret non modo dividuus, sed etiam inclusus spatio; immo etiam homo tunc potuisset cogitare se Deum esse. Haec haeresis tam abominabilis est, ut in mundo spirituali puteat sicut cadaver.

131. Conversio angelorum ad Dominum talis est, quod in omni conversione corporis illorum spectent ad Dominum ut Solem ante se. Angelus potest se convertere circum et circum, et per id videre varia quae circum illum sunt, sed usque Dominus ut Sol ante faciem ejus jugiter apparet. Hoc potest mirabile videri, sed usque veritas est. Datum etiam est mihi ita Dominum ut Solem videre; ante faciem meum video Ipsum; et per plures annos, ad quamcunque plagam mundi me converteram, Ipsum similiter vidi.

132. Quoniam Dominus ut Sol, ita oriens ante facies omnium angelorum caeli est, sequitur quod ad dextrum illis sit meridies, ad sinistrum septentrio, et a tergo occi-

dens, ita etiam in omni conversione corporis eorum; nam ut prius dictum est, omnes plagae in mundo spirituali determinatae sunt ab oriente; quare illi, quibus oriens est ante oculos, in ipsis plagis sunt, immo sunt ipsi determinationes illarum; nam (ut supra, n. 124–128, ostensum est,) plagae non sunt a Domino ut Sole, sed ab angelis secundum receptionem.

133. Nunc quia caelum est ex angelis, et angeli sunt tales, sequitur quod universum caelum vertat se ad Dominum, et quod caelum per illam conversionem regatur a Domino ut unus Homo, quemadmodum etiam caelum in conspectu Domini est. Quod caelum in conspectu Domini sit sicut unus Homo videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 59–87). Inde etiam sunt plagae caeli.

134. Quoniam plagae ita sunt angelo, et quoque universo caelo, quasi inscriptae, ideo angelus scit domum suam et habitationem suam, ubicunque vadit, secus ac homo in mundo. Causa quod homo non sciat domum et habitationem ex plaga in se, est quia cogitat ex spatio, ita ex plagis naturalis mundi, quae non commune habent cum plagis mundi spiritualis. At usque avibus et animalibus inest talis scientia, illis enim insitum est scire domos et habitationes suas ex se, ut notum est ex multa experientia; indicium, quod tale sit in spirituali mundo; nam omnia quae existunt in naturali mundo sunt effectus, et omnia quae existunt in spirituali mundo sunt effectuum illorum causae: naturale quod non trahit causam ex spirituali, non existit.

Quod omnia interiora tam mentis quam corporis angelorum ad Dominum ut Solem versa sint.

135. Est angelis intellectus et voluntas, et est facies et corpus; et quoque sunt interiora intellectus et voluntatis, tum faciei et corporis. Interiora intellectus et voluntatis, sunt quae interioris eorum affectionis et cogitationis sunt; interiora faciei sunt cerebra; ac interiora corporis sunt viscera, quorum primaria sunt cor et pulmo. Verbo, sunt angelis omnia et singula quae hominibus in terris; ex illis est quod angeli sint homines. Externa forma absque internis illis non facit ut sint homines, sed externa

forma una cum illis, immo ex illis ; alioqui forent solum imagines hominis, in quibus non vita, quia intus non forma vitae.

136. Notum est, quod voluntas et intellectus regant corpus ad nutum, quod enim intellectus cogitat, hoc loquitur os, et quod voluntas vult, hoc agit corpus ; ex quibus patet, quod corpus sit forma correspondens intellectui et voluntati ; et quia de intellectu et voluntate etiam dicitur forma, quod forma corporis correspondeat formae intellectus et voluntatis ; sed qualis una et altera forma est, non hujus loci est describere : sunt etiam innumerabilia in utraque ; ac innumerabilia utrinque unum agunt, quia sibi mutuo correspondent. Inde est, quod mens, seu voluntas et intellectus, regat corpus ad nutum ; ita prorsus sicut semet ipsam. Ex his sequitur, quod interiora mentis unum agant cum interioribus corporis, et quod exteriora mentis cum exterioribus corporis. De interioribus mentis dicetur infra, dum prius de gradibus vitae ; similiter tunc de interioribus corporis.

137. Quoniam interiora mentis unum faciunt cum interioribus corporis, sequitur quod dum interiora mentis se vertunt ad Dominum ut Solem, etiam interiora corporis similiter faciant ; et quia exteriora utriusque, tam mentis quam corporis, ab interioribus eorum pendent, quod etiam illa similiter faciant. Quod enim externum facit, hoc facit ab internis, nam commune trahit omne suum a particularibus, a quibus est. Ex his patet, quod quia angelus vertit faciem et corpus ad Dominum ut Solem, etiam omnia interiora mentis et corporis ejus illuc versa sint. Simile est cum homine, si ille jugiter habet Dominum ante oculos, quod fit si in amore et sapientia est ; tunc non modo oculis et facie Ipsum spectat, sed etiam tota mente et toto corde, hoc est, omnibus voluntatis et intellectus, et simul omnibus corporis.

138. Conversio illa ad Dominum est actualis conversio; est quaedam elevatio : elevatur enim in calorem et lucem caeli, quod fit per quod aperiantur interiora ; quae cum aperta sunt, influit amor et sapientia in interiora mentis, ac calor et lux caeli in interiora corporis ; inde elevatio, quae est sicut e nimbo in aerem, seu ex aere in aetherem : ac amor et sapientia cum eorum calore et luce sunt Dominus apud hominem, qui, ut prius dictum est, vertit illum ad Se. Contrarium est apud illos qui non in amore et sapientia,

et magis apud illos qui contra amorem et sapientiam sunt : illorum interiora tam mentis quam corporis clausa sunt ; et cum clausa sunt, exteriora reagunt contra Dominum, nam talis illis natura inest. Inde est, quod illi se vertant retro a Domino ; ac vertere se retro, est ad infernum.

139. Conversio illa actualis ad Dominum est ex amore et simul sapientia ; non ex solo amore, nec ex sola sapientia ; solus amor est sicut Esse absque suo Existere, amor enim existit in sapientia ; et sapientia absque amore est sicut Existere absque suo Esse, sapientia enim existit ex amore. Datur quidem amor absque sapientia, sed ille amor est hominis et non Domini ; et quoque datur sapientia absque amore, sed illa sapientia est quidem a Domino, sed non habet Dominum in se ; est enim sicut lux hiemalis, quae quidem est a sole, sed tamen solis essentia, quae est calor, non est in illa.

QUOD UNUSQUISQUE SPIRITUS, QUALISCUNQUE SIT, AD AMOREM SUUM REGNANTEM SIMILITER SE VERTAT.

140. Quid spiritus et quid angelus primum dicetur. Omnis homo post mortem primum in mundum spirituum, qui est medius inter caelum et infernum venit, et ibi agit sua tempora seu suos status, et secundum vitam suam praeparatur vel ad caelum vel ad infernum. Quamdiu in illo mundo moratur, vocatur ille spiritus. Qui ex illo mundo elevatus est in caelum, ille vocatur angelus ; qui autem dejectus est in infernum, vocatur satanas vel diabolus. Quamdiu iidem in mundo spirituum sunt, vocatur ille qui praeparatur ad caelum spiritus angelicus, et qui ad infernum spiritus infernalis : spiritus angelicus interea conjunctus est cum caelo, ac spiritus infernalis cum inferno. Omnes spiritus, qui in mundo spirituum sunt, adjuncti sunt hominibus, quia homines quoad interiora mentis suae similiter inter caelum et infernum sunt, et per spiritus illos communicant cum caelo vel cum inferno, secundum vitam. Sciendum est, quod aliud sit *mundus spirituum* et aliud *mundus spiritualis ;* mundus spirituum est ille de quo nunc dictum est ; mundus autem spiritualis est in complexu et ille mundus et caelum et infernum.

141. Dicetur etiam aliquid de amoribus, quia agitur de conversione angelorum et spirituum ex suis amoribus

ad suos amores. Universum caelum in societates distinctum est secundum omnes differentias amorum ; similiter infernum ; et similiter mundus spirituum : sed caelum est distinctum in societates secundum differentias amorum caelestium ; infernum autem in societates secundum differentias amorum infernalium ; mundus vero spirituum secundum differentias amorum tam caelestium quam infernalium. Sunt duo amores, qui sunt capita omnium reliquorum, seu ad quos se omnes reliqui amores referunt : amor qui caput, seu ad quem omnes amores caelestes se referunt, est amor in Dominum ; et amor qui caput, seu ad quem se referunt omnes amores infernales, est amor dominandi ex amore sui. Illi bini amores sunt e diametro sibi oppositi.

142. Quoniam bini illi amores, amor in Dominum, et amor dominandi ex amore sui, sunt sibi prorsus oppositi, et quia omnes qui in amore in Dominum sunt se vertunt ad Dominum ut Solem, ut in antecedente articulo ostensum est, constare potest, quod omnes qui in amore dominandi ex amore sui sunt, se vertant retro a Domino. Quod ita ex opposito se vertant, est quia illi qui in amore in Dominum sunt, non plus amant quam duci a Domino, ac volunt ut solus Dominus dominetur ; at qui in amore dominandi ex amore sui sunt, non plus amant quam duci a semet, et volunt ut ipsi soli dominentur. Dicitur amor dominandi ex amore sui, quia datur amor dominandi ex amore faciendi usus, qui amor, quia unum facit cum amore erga proximum, est amor spiritualis ; verum hic amor non vocari potest amor dominandi, sed amor faciendi usus.

143. Quod unusquisque spiritus, qualiscunque sit, ad amorem regnantem suum se vertat, est quia amor est vita cujusvis, (ut in Prima parte, n. 1–3, ostensum est,) et vita vertit receptacula sua, quae vocantur membra, organa et viscera, ita totum hominem, ad illam societatem quae in simili amore secum est, ita ubi suus amor est.

144. Quoniam amor dominandi ex amore sui est prorsus oppositus amori in Dominum, ideo spiritus qui in amore illo dominandi sunt, faciem retro vertunt a Domino, et inde oculis spectant ad occidentem istius mundi ; et quia sic in contrario versu quoad corpus sunt, a tergo illis est oriens, ad dextrum illis est septentrio, et ad sinistrum illis est meridies : a tergo illis est oriens, quia odio habent Dominum ; ad dextrum illis est septentrio, quia fallacias et inde falsitates amant ; et ad sinistrum illis est meridies,

quia lucem sapientiae spernunt. Possunt se circum et circum vertere, sed omnia quae circum se vident, apparent amori suo similia. Sunt omnes illi naturales sensuales; et quidam tales ut opinentur se solos vivere, et spectent alios tanquam imagines: credunt se sapere super omnes, tametsi insaniunt.

145. In mundo spirituali apparent viae, stratae sicut viae in mundo naturali; quaedam ducunt ad caelum, et quaedam ad infernum; sed viae, quae ducunt ad infernum non apparent illis qui ad caelum eunt, nec viae quae ducunt ad caelum apparent illis qui ad infernum eunt. Sunt innumerae tales viae, sunt enim quae tendunt ad unamquemvis societatem caeli, et ad unamquamvis societatem inferni; unusquisque spiritus intrat viam quae ducit ad societatem sui amoris, nec videt vias alio tendentes: inde est, quod unusquisque spiritus, sicut ad amorem suum regnantem se vertit, etiam progrediatur.

Quod Divinus Amor et Divina Sapientia, quae procedunt a Domino ut Sole, et faciunt calorem et lucem in caelo, sit Divinum procedens, quod est Spiritus Sanctus.

146. In *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* ostensum est, quod Deus unus sit Persona et Essentia, in quo trinitas, et quod ille Deus sit Dominus; tum quod Trinitas Ipsius nominetur Pater, Filius et Spiritus Sanctus, ac quod Divinum a Quo nominetur Pater, Divinum Humanum Filius, ac Divinum Procedens Spiritus Sanctus. Dicitur Divinum procedens, et usque nemo scit unde est quod dicatur procedens; quod non sciatur, est quia hactenus ignotum fuit quod Dominus coram angelis appareat ut Sol, et quod ex illo Sole procedat calor, qui in sua essentia est Divinus Amor, tum lux quae in sua essentia est Divina Sapientia; quamdiu haec ignota fuerunt, non potuit aliter sciri, quam quod Divinum procedens esset Divinum per se; quare etiam in Doctrina Trinitatis Athanasiana dicitur, quod alia Persona sit Patris, alia Filii, et alia Spiritus Sancti. Nunc autem quando scitur quod Dominus ut Sol appareat, haberi potest justa idea de Divino Procedente, quod vocatur Spiritus Sanctus, quod sit unum cum Domino, sed quod procedat ab Ipso, sicut calor et

lux a sole: quae etiam causa est, quod quantum angeli in amore et sapientia sunt, tantum sint in Divino calore et Divina luce. Absque cognitione quod Dominus in mundo spirituali appareat ut Sol, et quod Divinum Ipsius ita procedat, nusquam aliquis scire potest, quid intelligitur per procedere, ut num solum sit communicare illa quae Patris et Filii sunt, aut solum illustrare et docere: sed usque sic ex ratione illustrata non est agnoscere id pro Divino per se, et vocare Deum, ac distinguere, quando etiam notum fuit quod Deus unus sit, et Ille omnipraesens.

147. Supra ostensum est quod Deus non sit in spatio, et quod per id sit omnipraesens; tum quod Divinum sit idem ubivis, sed quod apparens varium Ejus sit in angelis et hominibus ex varia receptione. Nunc quia Divinum procedens a Domino ut Sole est in luce et calore, ac lux et calor influunt primum in universalia recipientia, quae in mundo vocantur atmosphaerae, et hae sunt recipientia nubium; constare potest, quod quemadmodum interiora, quae sunt intellectus apud hominem aut angelum, talibus nubibus circumvelata sunt, ita sit receptaculum Divini procedentis. Per nubes intelliguntur nubes spirituales quae sunt cogitationes, quae si ex veris sunt, concordant cum Divina Sapientia, si autem ex falsis, discordant; quare etiam cogitationes ex veris in mundo spirituali, quando ad visum sistuntur, apparent sicut nubes candidae, et cogitationes ex falsis sicut nubes atrae. Ex his constare potest, quod Divinum procedens sit quidem in omni homine, sed quod ab illo varie obveletur.

148. Quoniam ipsum Divinum per calorem et lucem spiritualem in angelo et in homine est praesens, ideo dicitur de illis qui in veris Divinae Sapientiae et in bonis Divini Amoris sunt, dum afficiuntur illis, et ex affectione cogitant ex illis de illis, quod *incalescant Deo*, quod fit etiam quandoque ad perceptionem et sensationem, ut dum praedicator ex zelo loquitur. De iisdem etiam dicitur, quod *illustrentur a Deo*, quia Dominus per Divinum suum procedens non modo accendit voluntatem calore spirituali, sed etiam illustrat intellectum luce spirituali.

149. Quod Spiritus Sanctus sit idem cum Domino, et quod sit ipsa Veritas, ex qua homini est illustratio, patet ex his locis in Verbo:

Jesus dixit, "Quando..venerit Spiritus Veritatis, ducet vos in omnem veritatem; non..loquetur a se ipso, sed quaecunque audiverit, loquetur" (*Joh.* xvi. 13).
"Ille Me glorificabit, quia ex Meo accipiet, et annuntiabit vobis" (*Joh.* xvi. 14, 15).
Quod apud discipulos et in illis erit (*Joh.* [xiv. 17;] xv. 26).
Jesus dixit, "Quae Ego loquor vobis, spiritus..et vita sunt" (*Joh.* vi. 63);

ex his patet, quod ipsa Veritas, quae a Domino procedit, dicatur Spiritus Sanctus; quae quia in luce est, illustrat.

150. Illustratio, quae attribuitur Spiritui Sancto, est quidem in homine a Domino, sed usque fit mediis spiritibus et angelis; at qualis illa mediatio est, non potest adhuc describi; solum quod angeli et spiritus nequicquam possint illustrare hominem a se, quia illi illustrantur similiter ac homo a Domino; et quia illi similiter illustrantur, sequitur quod omnis illustratio sit a solo Domino: quod sit mediis angelis aut spiritibus, est quia homo qui in illustratione est, ponitur tunc in medio talium angelorum et spirituum, qui illustrationem a solo Domino plus quam alii recipiunt.

Quod Dominus universum et omnia ejus medio Sole, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae, creaverit.

151. Per Dominum intelligitur Deus ab aeterno seu Jehovah, qui Pater et Creator vocatur, quia unus est cum Illo, ut in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* ostensum est: quare in sequentibus, ubi etiam de Creatione agitur, Dominus nominatur.

152. Quod omnia in universo a Divino Amore et a Divina Sapientia creata sint, in Parte Prima plene ostensum est (in specie, n. 52, 53); hic nunc quod medio Sole, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae. Nemo qui potest videre effectus ex causis, et dein a causis effectus in suo ordine et in serie, potest negare quin sol sit primum creationis, subsistunt enim ab illo omnia illa quae in ejus mundo sunt; et quia subsistunt ab illo, etiam exstiterunt ab illo; unum concludit et testatur alterum; sunt enim omnia sub ejus intuitu, quia posuit ut sint; ac tenere sub illo est continue ponere;

quare etiam [r]dicitur, quod subsistentia sit perpetua existentia. Si etiam aliquid subtraheretur prorsus a solis influxu per atmosphaeras, hoc illico dissolveretur; atmosphaerae enim, quae sunt puriores et puriores, et a sole actuatae in potentia, omnia in nexu continent. Nunc quia subsistentia universi et omnium ejus est a sole, patet quod sol [2]sit primum creationis a quo. Dicitur, a sole, sed intelligitur a Domino per solem, nam sol etiam a Domino est creatus.

153. Sunt bini soles, per quos omnia a Domino creata sunt; Sol mundi spiritulis et sol mundi naturalis. Per Solem mundi spiritualis a Domino sunt omnia creata, non autem per solem mundi naturalis, nam hic sol est longe infra illum Solem; est in media distantia; supra illum est mundus spiritualis, et infra illum est mundus naturalis; et sol mundi naturalis creatus est, ut succenturiatam opem ferat; de qua ope in sequentibus dicetur.

154. Quod universum et omnia ejus medio Sole mundi spiritualis a Domino creata sint, est quia ille Sol est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae, et ex Divino Amore et ex Divina Sapientia sunt omnia, ut supra (n. 52–82) demonstratum est. Sunt tria quae in omni creato, tam maximo [3]quam minimo sunt; finis, causa et effectus. Creatum, in quo illa tria non sunt, non datur. Haec tria in maximo seu in universo in hoc ordine existunt; in Sole, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae, est finis omnium; in mundo spirituali sunt causae omnium; et in mundo naturali sunt effectus omnium; quomodo autem haec tria in primis et in ultimis sunt, in sequentibus dicetur. Nunc quia non datur creatum, in quo illa tria non sunt, sequitur quod universum et omnia ejus, a Domino per Solem, ubi est finis omnium, creatus sint.

155. Ipsa creatio non potest ad captum trahi, si non a cogitatione removeantur spatium et tempus; at si haec removentur, comprehendi potest. Remove, si potes, aut quantum potes, et tene mentem in idea abstracta a spatio et tempore, ac percipies maximum spatii et minimum spatii nihil differre; et tunc non potes habere nisi similem ideam de creatione universi, quam de creatione singu-

larium in universo; et quod diversitas in creatis existat ex eo, quod infinita in Deo Homine sint, et inde indefinita in Sole qui est primum procedens ab Ipso, et haec indefinita existunt sicut in imagine in universo creato. Inde est, quod non possit dari alicubi unum idem cum altero. Inde est varietas omnium, quae sistitur coram oculis una cum spatio in mundo naturali, et in apparentia spatii in mundo spirituali: ac varietas est communium et est singularium. Haec sunt quae in Prima Parte sunt demonstrata: ut, Quod in Deo Homine Infinita distincte unum sint (n. 17–22): Quod omnia in universo a Divino Amore et Divina Sapientia creata sint (n. 52, 53): Quod omnia in universo creato sint Divini Amoris et Divinae Sapientiae Dei Hominis recipientia (n. 54–60): Quod Divinum non sit in spatio (n. 7–10): Quod Divinum impleat omnia spatia absque spatio (n. 69–72): Quod Divinum in maximis et minimis sit idem (n. 77–82).

156. Creatio universi et omnium ejus non dici potest facta a spatio ad spatium, nec a tempore ad tempus, ita progressive et successive, sed ab Aeterno et ab Infinito; non ab aeterno temporis, quia hoc non datur, sed ab Aeterno non temporis, hoc enim est idem cum Divino; nec ab infinito spatii, quia hoc nec datur, sed ab Infinito non spatii, quod etiam est idem cum Divino. Scio quod haec transcendant ideas cogitationum quae sunt in naturali luce, sed non transcendunt ideas cogitationum quae sunt in spirituali luce, in his enim nihil spatii et temporis est: immo nec plane transcendunt in luce naturali; nam cum dicitur, quod infinitum spatii non detur, hoc quisque ex ratione affirmat; simile est cum aeterno, hoc enim est infinitum temporis. Si dicitur *in aeternum*, hoc comprehenditur a tempore; non autem *ab aeterno*, nisi removeatur tempus.

Quod sol mundi naturalis sit purus ignis, et inde mortuus; et quod natura, quia ex illo sole ducit originem, sit mortua.

157. Ipsa creatio ne hilum potest adscribi soli mundi naturalis, sed omnis Soli mundi spiritualis; quoniam sol

mundi naturalis est plane mortuus, at Sol mundi spiritualis est vivus; est enim primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae; et quod mortuum est, non agit quicquam a se, sed agitur: quare adscribere illi aliquid creationis, foret sicut adscribere instrumento, quod per manus artificis agitur, opus quod artifex facit. Est sol mundi naturalis purus ignis, a quo omne vitae abstractum est; at Sol mundi spiritualis est ignis in quo Vita Divina est. Idea angelica de igne solis mundi naturalis, et de igne Solis mundi spiritualis, est haec: quod Vita Divina sit intus in igne Solis mundi spiritualis, at extus in igne solis mundi naturalis. Ex eo videri potest, quod actualitas solis naturalis non sit a se, sed a vi viva procedente a Sole mundi spiritualis; quare si vis viva hujus Solis retraheretur seu auferretur, sol ille collaberetur. Inde est, quod cultus solis sit omnium cultuum Dei infimus, est enim prorsus mortuus sicut ipse sol; quare ille cultus in Verbo vocatur "abominatio."

158. Quoniam sol mundi naturalis est purus ignis, et inde ille mortuus, ideo etiam calor inde procedens est mortuus, similiter lux inde procedens est mortua: pariter atmosphaerae, quae vocantur aether et aer, ac in sinu suo recipiunt et deferunt calorem et lucem solis illius, sunt mortuae. Quoniam haec sunt mortua, sunt etiam omnia et singula telluris, quae subjacent, et vocantur terrae, mortua. Sed usque omnia et singula circumcincta sunt spiritualibus, quae e Sole mundi spiritualis procedunt et profluunt; a quibus nisi circumcincta forent, terrae non potuissent actuari, et producere formas usuum, quae sunt vegetabilia, nec formas vitae, quae sunt animalia; nec subministrare materias, per quas homo existat et subsistat.

159. Nunc quia natura inchoat a sole illo, et omne id quod ex illo existit et subsistit, vocatur naturale, sequitur quod natura cum omnibus et singulis ejus sit mortua. Quod natura appareat in homine et in animali sicut viva, est ex vita quae comitatur et actuat.

160. Quoniam infima naturae quae faciunt terras sunt mortua, et illa non sunt mutabilia et varia secundum status affectionum et cogitationum, ut in mundo spirituali, sed immutabilia et fixa, ideo ibi spatia sunt, et spatiorum distantiae sunt. Talia sunt, quia creatio ibi desiit, et in

sua quiete subsistit. Inde patet, quod spatia sint propria naturae ; et quia spatia ibi non sunt apparentiae spatiorum secundum status vitae, ut in mundo spirituali, possunt illa etiam vocari mortua.

161. Quoniam tempora similiter stata et constantia sunt, etiam illa sunt propria naturae, nam tempus diei est constanter viginti quatuor horarum, et tempus anni est constanter [r]trecentorum sexaginta quinque dierum ac quartae partis diei. Ipsi status lucis et umbrae, ac caloris et frigoris, qui variant illa, constanter etiam redeunt. Status qui redeunt quovis die, sunt mane, meridies, vespera et nox ; et quovis anno, sunt ver, aestas, autumnus et hiems. Status anni etiam constanter variant status dierum. Omnes hi status, quia non sunt status vitae, ut in mundo spirituali, sunt quoque mortui ; nam in mundo spirituali est continua lux et continuus calor, ac lux correspondet statui sapientiae, et calor statui amoris apud angelos, ex quo horum status sunt vivi.

162. Ex his videri potest fatuitas illorum, qui omnia naturae adscribunt. Illi qui pro natura se confirmarunt, induxerunt sibi statum, ut non amplius velint elevare mentem supra naturam ; quare mens eorum clauditur superius et aperitur inferius, et sic fit homo naturalis sensualis, qui est spiritualiter mortuus ; et quia tunc non cogitat nisi quam ex talibus quae hauserat ex sensibus corporis, seu per illos e mundo, etiam corde negat Deum. Tunc quia rupta est conjunctio cum caelo, fit conjunctio cum inferno, remanente solum facultate cogitandi et volendi ; facultate cogitandi ex rationalitate, ac facultate volendi ex libero, quae duae facultates sunt cuivis homini a Domino, nec auferuntur. Illae duae facultates sunt aeque diabolis ac sunt angelis ; sed diaboli applicant illas ad insaniendum et ad malefaciendum, at angeli ad sapiendum et ad benefaciendum.

Quod absque bino sole, uno vivo et altero mortuo, non detur creatio.

163. Universum in genere distinctum est in duos mundos, spiritualem et naturalem. In mundo spirituali sunt angeli et spiritus ; in mundo naturali sunt homines.

Duo illi mundi prorsus similes quoad externam faciem sunt, ita similes ut non distingui possint, at quoad internam faciem prorsus dissimiles sunt. Ipsi homines qui in mundo spirituali sunt, qui ut dictum est, vocantur angeli et spiritus, sunt spirituales; et quia spirituales sunt, spiritualiter cogitant et spiritualiter loquuntur: at homines qui in naturali mundo sunt, naturales sunt, et ideo naturaliter cogitant et naturaliter loquuntur; ac cogitatio et loquela spiritualis cum cogitatione et loquela naturali nihil commune habet. Ex eo patet, quod duo illi mundi, spiritualis et naturalis, inter se prorsus distincti sint, adeo ut nullo modo simul esse possint.

164. Nunc quia duo illi mundi ita distincti sunt, necessum est ut bini soles sint, unus ex quo omnia spiritualia sunt, et alter ex quo omnia naturalia: et quia omnia spiritualia in sua origine sunt viva, et omnia naturalia ex sua origine mortua, ac soles sunt origines, sequitur quod unus Sol vivus sit, et quod alter sol mortuus sit: tum quod ipse sol mortuus per Solem vivum a Domino creatus sit.

165. Quod sol mortuus creatus sit, est ob causam ut in ultimis omnia fixa, stata et constantia sint, ac ut inde existant quae perennatura et perduratura sunt: ita non aliter fundatur creatio. Orbis terraqueus, in quo, super quo et circum quem, talia sunt, est sicut basis et firmamentum, nam est ultimum opus, in quod omnia desinunt, et super quo quiescunt. Quod etiam sit sicut matrix, ex qua effectus, qui sunt fines creationis, producuntur, in sequentibus dicetur.

166. Quod omnia a Domino per Solem vivum creata sint, et nihil per solem mortuum, constare potest ex eo, quod vivum disponat mortuum ad sui obsequium, et formet illud ad usus, qui sunt fines ejus; non autem vicissim. Cogitare quod omnia a natura sint, et quod ab illa etiam sit vita, non potest nisi quam orbatus ratione; is non scit quid vita. Natura non potest disponere vitam ad quicquam, est enim natura in se prorsus iners. Quod mortuum in vivum, seu vis mortua in vim vivam, seu quod idem, naturale in spirituale, agat, est prorsus contra ordinem, et inde id cogitare est contra sanae rationis lumen. Potest quidem mortuum, seu naturale, multis modis ab externis

accidentibus perverti aut mutari, at usque non potest agere in vitam ; sed vita in illud secundum inductam mutationem formae agit. Hoc idem est cum influxu physico in spirituales animae operationes ; qui quod non detur, quia non dabilis, notum est.

QUOD FINIS CREATIONIS EXISTAT IN ULTIMIS, QUI EST, UT OMNIA REDEANT AD CREATOREM, AC UT SIT CONJUNCTIO.

167. Primum aliquid dicetur de finibus. Sunt tria quae sequuntur in ordine, quae vocantur finis primus, finis medius et finis ultimus ; et quoque vocantur finis, causa et effectus. Illa tria simul erunt in omni re, ut sit aliquid ; nam finis primus absque fine medio, et simul ultimo, non datur ; seu quod idem est, finis solus absque causa et effectu non datur ; pariter nec datur causa sola absque fine ex quo, et absque effectu in quo ; pariter nec datur effectus solus, seu effectus absque causa et ejus fine. Quod ita sit, potest comprehendi si cogitatur quod finis absque effectu seu separatus ab effectu non sit aliquid existens, quare non est nisi quam vox. Nam finis ut actualiter sit finis, erit terminatus, et terminatus est in effectu, in quo primum vocatur finis quia est finis. Apparet sicut agens seu efficiens per se existat ; sed hoc est apparentia ex eo quod sit in effectu ; sed si separatur ab effectu, momento disparatur. Ex his patet, quod tria illa, finis, causa et effectus erunt in omni re, ut sit aliquid.

168. Porro sciendum est, quod finis sit omne in causa, et quoque omne in effectu : inde est, quod finis, causa et effectus, dicantur finis primus, medius et ultimus. Sed ut finis sit omne in causa, erit aliquid ex fine in quo erit ; ac ut sit omne in effectu, erit aliquid ex fine per causam, in quo erit ; finis enim non potest in se solo esse, sed erit in aliquo existente a se, cui quoad omne suum inesse potest et agendo efficere, usque dum subsistit. Id in quo subsistit est finis ultimus, qui vocatur effectus.

169. In universo creato, tam in ejus maximis quam in ejus minimis, sunt tria illa, nempe finis, causa et effectus.

Quod tria illa in universi creati maximis et minimis sint, est quia in Deo Creatore, qui est Dominus ab aeterno, sunt tria illa. Sed quia Infinitus est, et infinita in Infinito sunt distincte unum (ut supra, n. 17–22, demonstratum est), ideo quoque tria illa in Ipso, et tria in infinitis Ipsius distincte unum sunt. Inde est, quod universum, quod creatum est ab Ipsius Esse, et quoad usus spectatum est imago Ipsius, obtinuerit tria illa in omnibus et singulis suis.

170. Finis universalis seu omnium creationis est, ut conjunctio aeterna Creatoris sit cum universo creato; et illa non datur nisi subjecta sint, in quibus Divinum Ipsius potest esse sicut in se, ita in quibus potest habitare et manere; quae subjecta, ut sint habitacula et mansiones Ipsius, erunt recipientia Amoris et Sapientiae Ipsius sicut a se, ita qui se sicut a se elevaturi sint ad Creatorem, et se conjuncturi cum Ipso. Absque hoc reciproco non datur conjunctio. Haec subjecta sunt homines, qui se sicut a se elevare et conjungere possunt. Quod homines talia subjecta sint, et quod recipientes Divini sint sicut a se, supra pluries demonstratum est. Per illam conjunctionem est Dominus praesens in omni opere ab Ipso creato: nam omne creatum est finaliter propter hominem; quare usus omnium quae creata sunt, ascendunt per gradus ab ultimis ad hominem, et per hominem ad Deum Creatorem a quo, ut supra (n. 65–68) ostensum est.

171. Creatio ad ultimum hunc finem vadit continue per tria illa, quae sunt finis, causa, et effectus, quia in Domino Creatore tria illa sunt, ut mox supra dictum est; et Divinum est in omni spatio absque spatio (n. 69–72), et in maximis et minimis idem (n. 77–82): ex quo patet, quod universum creatum in communi progressione ad finem ultimum, sit finis medius respective; ex tellure enim a Domino Creatore elevantur continue formae usuum in suo ordine usque ad hominem, qui quoad corpus etiam inde est: homo dein elevatur per receptionem amoris et sapientiae a Domino; ac ut amorem et sapientiam recipiat, media omnia provisa sunt; ac talis est factus ut recipere possit, si modo velit. Ex nunc dictis videri potest, tametsi adhuc non nisi quam communiter, quod finis crea-

tionis existat in ultimis; qui est ut omnia redeant ad Creatorem, ac ut sit conjunctio.

172. Quod tria illa, finis, causa et effectus sint in omnibus et singulis, quae creata sunt, constare etiam potest ex eo, quod omnes effectus, qui vocantur fines ultimi, fiant e novo fines primi in continua serie a Primo, qui est Dominus Creator, usque ad ultimum, qui est conjunctio hominis cum Ipso. Quod omnes fines ultimi e novo fiant fines primi, patet inde, quod non detur aliquid tale iners et mortuum, ut nihil efficientis sit in illo. Etiam ex arena exspirat tale, quod confert opem ad aliquid producendum, ita ad aliquid efficiendum.

Pars Tertia.

QUOD IN MUNDO SPIRITUALI SINT ATMOSPHAERAE, AQUAE ET TERRAE, QUEMADMODUM IN MUNDO NATURALI; SED QUOD ILLAE SINT SPIRITUALES, HAE AUTEM NATURALES.

173. Quod mundus spiritualis et mundus naturalis similes sint, cum sola differentia, quod omnia et singula mundi spiritualis sint spiritualia, ac omnia et singula mundi naturalis sint naturalia, in antecedentibus dictum est, et in opere *De Caelo et Inferno* ostensum. Quoniam duo illi mundi similes sunt, ideo in utrisque sunt atmosphaerae, aquae et terrae, quae sunt communia, per quae et ex quibus omnia et singula cum infinita varietate existunt.

174. Quod atmosphaeras, quae aetheres et aeres vocantur, attinet, sunt illae in utroque mundo, spirituali et naturali, similes, cum differentia, quod illae in mundo spirituali sint spirituales, et illae in mundo naturali sint naturales. Spirituales sunt, quia a Sole, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini, existunt, et ab Ipso recipiunt in se Divinum ignem qui est amor, et Divinam lucem quae est sapientia, et utrumque deferunt ad caelos ubi sunt angeli; et faciunt praesentiam Solis illius in maximis et in minimis ibi. Atmosphaerae spirituales sunt substantiae discretae, seu minimae formae, oriundae a Sole; et quia singillatim recipiunt Solem, inde ignis Solis in tot substantias seu formas divisus, et ab illis quasi involutus, ac per involutiones temperatus, fit calor, adaequatus tandem amori angelorum in caelo, ac spirituum sub caelo: similiter lux Solis. Atmosphaerae naturales in eo sunt similes atmosphaeris spiritualibus, quod etiam sint substantiae discretae et minimae formae, oriundae a sole mundi naturalis, quae quoque singillatim recipiunt solem, et ignem ejus in se recondunt, ac illum temperant,

ac ut calorem deferunt ad tellurem ubi sunt homines; et similiter lucem.

175. Differentia inter atmosphaeras spirituales et inter atmosphaeras naturales est, quod atmosphaerae spirituales sint receptacula Divini ignis et Divinae lucis, ita amoris et sapientiae, intus enim in se illa continent: ast atmosphaerae naturales non sunt receptacula Divini ignis et Divinae lucis, sed sunt receptacula ignis et lucis sui solis, qui in se est mortuus, ut supra ostensum est; quare intus in illis non est aliquid ex Sole mundi spiritualis, sed usque ambiuntur ab atmosphaeris spiritualibus quae ex illo Sole sunt. Quod haec differentia sit inter atmosphaeras spirituales et inter atmosphaeras naturales est ex sapientia angelica.

176. Quod atmosphaerae sint in mundo spirituali, aeque ac in mundo naturali, constare potest ex eo, quod angeli et spiritus aeque respirent, tum aeque loquantur, et quoque audiant sicut homines in mundo naturali, ac respiratio fit per atmosphaeram ultimam quae aer vocatur, similiter loquela et auditus: tum ex eo, quod angeli et spiritus aeque videant, sicut homines in mundo naturali; ac visus non datur nisi quam per atmosphaeram aere purorem: tum ex eo, quod angeli et spiritus aeque cogitent et afficiantur sicut homines in mundo naturali, ac cogitatio et affectio non dantur nisi mediis atmosphaeris adhuc purioribus: et tandem ex eo, quod omnia corporis angelorum et spirituum, tam externa quam interna, contineantur in nexu, externa ab atmosphaera aerea, ac interna ab atmosphaeris aethereis. Quod absque illarum atmosphaerarum circumpressione et actione formae corporis interiores et exteriores diffluerent, patet. Quoniam angeli sunt spirituales, ac omnia et singula corporis eorum continentur in nexu, forma et ordine per atmosphaeras, sequitur quod atmosphaerae illae sint spirituales; ac spirituales sunt, quia oriuntur a Sole spirituali, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini.

177. Quod in mundo spirituali etiam aquae sint, et quoque terrae sint, sicut in mundo naturali, cum differentia quod aquae et terrae mundi spiritualis sint spirituales, supra dictum est, et in opere *De Caelo et Inferno* ostensum; quae quia spirituales sunt, actuantur et modificantur per calorem et lucem Solis spiritualis mediis atmosphaeris

inde, prorsus sicut aquae et terrae in mundo naturali per calorem et lucem solis sui mundi mediis atmosphaeris ejus.

178. Atmosphaerae, aquae et terrae hic dicuntur, quia illa tria sunt communia, per quae et ex quibus omnia et singula cum infinita varietate existunt. Atmosphaerae sunt vires activae, aquae sunt vires mediae, et terrae sunt vires passivae, ex quibus omnes effectus existunt. Quod illa tria tales vires sint in sua serie, est unice ex vita, quae a Domino ut Sole procedit, et quae facit ut sint activae.

Quod gradus amoris et sapientiae sint, et inde gradus caloris et lucis, tum gradus atmosphaerarum.

179. Nisi sciatur quod gradus sint, tum quid sunt, et quales, non comprehendi possunt sequentia, quoniam in omni re creata sunt gradus, ita in omni forma; quare in hac Parte *Sapientiae Angelicae* de gradibus agetur. Quod gradus amoris et sapientiae sint, manifeste constare potest ex angelis trium caelorum. Angeli tertii caeli [1]excellunt amore et sapientia prae angelis secundi caeli, et hi prae angelis ultimi caeli, in tantum, ut non possint simul esse; gradus amoris et sapientiae distinguunt et separant illos. Inde est, quod angeli inferiorum caelorum non ascendere possint ad angelos superiorum caelorum; et si illis datur ut ascendant, tunc non vident illos, nec aliquid quod est apud illos. Causa quod non videant illos, est quia amor et sapientia illorum est in superiori gradu, qui perceptionem transcendit: unusquisque enim angelus est suus amor et sua sapientia, ac amor una cum sapientia est in sua forma homo, quia Deus, qui est ipse Amor et ipsa Sapientia, est Homo. Datum est mihi aliquoties videre, quod angeli ultimi caeli ascenderint ad angelos tertii caeli; et cum illuc enisi sunt, audivi illos conquestos, quod non videant aliquem, et usque erant in medio illorum. Et postea instructi sunt, quod illis inconspicui fuerint, quia amor et sapientia eorum imperceptibiles illis essent, et quod amor et sapientia faciant ut angelus appareat ut homo.

180. Quod gradus amoris et sapientiae dentur, adhuc manifestius patet ex amore et sapientia angelorum re-

spective ad amorem et sapientiam hominum. Quod sapientia angelorum respective sit ineffabilis, notum est; quod etiam sit hominibus, quando in naturali amore sunt, incomprehensibilis, videbitur in sequentibus. Causa quod ineffabilis et incomprehensibilis appareat, est quia in superiori gradu est.

181. Quoniam gradus amoris et sapientiae sunt, etiam gradus caloris et lucis sunt. Per calorem et lucem intelliguntur calor et lux spirituales, quales sunt angelis in caelis, et quales sunt hominibus quoad interiora quae sunt mentis eorum, nam hominibus similis calor amoris est, et similis lux sapientiae est, quae sunt angelis. In caelis ita est: qualis et quantus est angelis amor, talis et tantus est illis calor; similiter lux quoad sapientiam: causa est, quia amor in calore est, et sapientia in luce apud illos, ut prius ostensum est. Simile est in terris apud homines, cum differentia tamen, quod angeli sentiant calorem illum, ac videant lucem illam, non autem homines; ex causa quia homines in calore et luce naturali sunt, et tamdiu non sentiunt calorem spiritualem, nisi quam per quoddam amoris jucundum, ac vident lucem spiritualem nisi quam per perceptionem veri. Nunc quia homo, dum in naturali calore et luce est, nihil scit de calore et luce spirituali apud se, et hoc non sciri potest quam per experientiam e mundo spirituali, ideo de calore et de luce, in quibus sunt angeli ac caeli illorum, hic imprimis dicetur. Inde et non aliunde datur in hac re illustratio.

182. Sed gradus caloris spiritualis non possunt ab experientia describi, quia amor, cui calor spiritualis correspondet, non ita cadit sub ideas cogitationis; sed gradus lucis spiritualis possunt describi, quia lux cadit, est enim haec cogitationis. Ex gradibus lucis usque comprehendi possunt gradus caloris spiritualis, sunt enim in parili gradu. Quod itaque lucem spiritualem, in qua sunt angeli, attinet, hanc datum est oculis meis videre. Lux apud angelos superiorum caelorum tam candida est, ut non describi possit, ne quidem per candorem nivis, et quoque tam rutilans, ut nec describi possit, ne quidem per jubar solis mundi. Verbo, lux illa millenis vicibus excedit lucem meridianam in terris. At lux apud angelos inferiorum caelorum aliquantum potest per comparationes describi, sed usque excedit

summam lucem nostri mundi. Quod lux angelorum superiorum caelorum non describi possit, est causa, quia lux illorum unum facit cum sapientia illorum ; et quia sapientia illorum est respective ad sapientiam hominum ineffabilis, ita quoque est lux. Ex his paucis constare potest, quod gradus lucis dentur ; et quia sapientia et amor in simili gradu sunt, consequitur quod similes gradus caloris dentur.

183. Quoniam atmosphaerae sunt receptacula et continentia caloris et lucis, sequitur quod totidem gradus atmosphaerarum sint, quot sunt gradus caloris et lucis, et quoque quod totidem, quot sunt gradus amoris et sapientiae. Quod plures atmosphaerae sint, et illae inter se per gradus distinctae, patuit mihi a pluri experientia in mundo spirituali ; ex hac imprimis, quod angeli inferiorum caelorum in regione angelorum superiorum non possint respirare, et quod appareant sibi trahere animam sicut solent viventia quae ab aere in aetherem elevantur, aut sicut viventia quae ab aquis in aerem ; etiam spiritus infra caelos apparent sicut in nimbo. Quod plures atmosphaerae sint, et illae per gradus inter se distinctae, videatur supra (n. 176).

Quod gradus duplicis generis sint, gradus altitudinis et gradus latitudinis.

184. Scientia graduum est sicut clavis ad aperiendum causas rerum, et ad intrandum in illas. Absque illa scientia vix aliquid causae potest sciri ; objecta enim et subjecta utriusque mundi absque illa apparent ita univoca, sicut nihil illis inesset praeter tale quod oculo conspicitur ; cum tamen id respective ad illa quae interius latent, est sicut unum ad millia, immo ad myriades. Interiora quae non patent, neutiquam retigi possunt, nisi sciantur gradus : vadunt enim exteriora ad interiora, et per haec ad intima, per gradus ; non per gradus continuos, sed per gradus discretos. Gradus continui vocantur decrementa aut decrescentiae a crassiori ad tenuius, seu a densiori ad rarius ; vel potius sicut incrementa et increscentiae a tenuiori ad crassius, seu a rariori ad densius, prorsus sicut est lucis ad

umbram, aut caloris ad frigus. At gradus discreti sunt prorsus alii; sunt sicut priora, posteriora, et postrema; ac sicut finis, causa et effectus. Hi gradus discreti dicuntur, quia prius per se est, posterius per se, et postremum per se, sed usque simul sumpti unum faciunt. Sunt atmosphaerae a summo ad imum, seu a sole ad tellurem, quae vocantur aetheres et aeres, discreti in tales gradus; et sunt sicut simplicia, congregata ex illis, ac iterum ex his congregata, quae simul sumpta vocantur compositum. Hi gradus sunt discreti, quia distincte existunt, ac intelliguntur per gradus altitudinis; illi autem gradus sunt continui, quia continue increscunt, ac intelliguntur per gradus latitudinis.

185. Omnia et singula quae in mundo spirituali, et quae in mundo naturali existunt, ex gradibus discretis et simul ex gradibus continuis coexistunt, seu ex gradibus altitudinis et ex gradibus latitudinis. Illa dimensio quae consistit ex gradibus discretis, vocatur altitudo; et illa quae ex gradibus continuis, vocatur latitudo: situs eorum respective ad visum oculi non mutat denominationem. Absque cognitione horum graduum, non sciri aliquid potest de discrimine inter tres caelos, nec de discrimine inter amorem et sapientiam angelorum ibi, nec de discrimine inter calorem et lucem in quibus sunt, nec de discrimine inter atmosphaeras quae ambiunt et continent. Tum absque cognitione horum graduum, nihil sciri potest de discrimine facultatum interiorum quae mentis sunt apud homines, ita nec de statu illorum quoad reformationem et regenerationem; nec de discrimine facultatum exteriorum, quae corporis sunt, tam apud angelos quam apud homines; et prorsus nihil de discrimine inter spirituale et naturale, et inde nihil de correspondentia: immo nihil de ullo discrimine vitae inter homines et bestias, et de discrimine inter bestias perfectiores et imperfectiores; nec de discriminibus inter formas regni vegetabilis, et inter materias regni mineralis. Ex quibus constare potest, quod illi, qui hos gradus ignorant, non ex aliquo judicio possint videre causas; vident modo effectus, et judicant causas ex illis, quod fit plerumque ex inductione effectibus continua: cum tamen causae non producunt effectus per continuum, sed per discretum; aliud enim est causa, et aliud est effectus;

est discrimen sicut inter prius et posterius, aut sicut inter formans et formatum.

186. Ut adhuc melius comprehendatur quid et quales sunt gradus discreti, et quae differentia illorum est a gradibus continuis, sint caeli angelici pro exemplo. Sunt tres caeli, et illi distincti per gradus altitudinis; quare unum caelum est sub altero; nec communicant inter se aliter quam per influxum, qui fit a Domino per caelos in suo ordine ad infimum, et non vicissim. At unumquodvis caelum per se non per gradus altitudinis, sed per gradus latitudinis distinctum est; illi qui in medio sunt, seu in centro, in sapientiae luce sunt, at qui in peripheriis usque ad terminos sunt in sapientiae umbra: ita decrescit sapientia usque ad ignorantiam sicut lux decrescit in umbram, quod fit per continuum. Simile est apud homines: interiora quae mentis eorum sunt, distincta sunt in totidem gradus in quot sunt caeli angelici, ac unus eorum gradus est supra alterum; quare interiora hominum quae mentis eorum sunt, distincta sunt per gradus discretos seu altitudinis. Inde est, quod homo possit in infimo gradu esse, tum in superiori, et quoque in supremo, secundum gradum sapientiae ejus; et quod cum solum in infimo gradu est, superior gradus clausus sit; et quod is aperiatur, sicut recipit sapientiam a Domino. Sunt etiam apud hominem, sicut in caelo, gradus continui seu latitudinis. Quod homo caelis similis sit, est quia ille quoad interiora mentis suae est caelum in minima forma, quantum in amore et in sapientia est a Domino. Quod homo quoad interiora mentis suae sit caelum in minima forma, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 51–58).

187. Ex his paucis constare potest, quod qui non scit aliquid de gradibus discretis seu altitudinis, nec scire aliquid possit de statu hominis quoad ejus reformationem et regenerationem, quae fiunt per receptionem amoris et sapientiae a Domino, et tunc per aperitionem graduum interiorum mentis ejus in suo ordine; nec scire potest aliquid de influxu per caelos a Domino, nec aliquid de ordine in quem creatus est; si enim aliquis de illis non ex gradibus discretis seu altitudinis, sed ex gradibus continuis seu latitudinis, cogitat, tunc non potest quicquam de illis videre quam ab effectibus, et nihil ex causis; et ex

solis effectibus videre, est ex fallaciis, unde errores, unus post alterum; qui per inductiones ita multiplicari possunt, ut tandem enormes falsitates dicantur veritates.

188. Non scio an hactenus aliquid innotuerit de gradibus discretis seu altitudinis, sed solum de gradibus continuis seu latitudinis; et tamen non aliquid causae in sua veritate potest innotescere absque cognitione graduum utriusque generis. Ideo de illis in tota hac Parte agendum est: nam finis hujus opusculi est, ut detegantur causae, et ex illis videantur effectus, et sic discutiantur tenebrae, in quibus homo ecclesiae est de Deo, deque Domino et in genere de Divinis quae spiritualia vocantur. Hoc possum memorare, quod angeli in maestitia sint propter tenebras in tellure: dicunt, quod vix ullibi videant lucem; et quod homines fallacias arripiant et illas confirment, et per id multiplicent falsitates super falsitates; et ad confirmandum illas indagent per ratiocinia ex falsis et ex veris falsificatis talia, quae propter tenebras de causis et propter ignorantiam de veritatibus, discuti nequeunt. Maxime lamentantur super confirmationibus de fide separata a charitate, et super justificatione per illam; tum de ideis de Deo, de angelis et spiritibus, et de ignorantia quid amor et sapientia.

Quod gradus altitudinis sint homogenei, ac unus ab altero in serie, sicut sunt finis, causa et effectus.

189. Quoniam gradus latitudinis seu continui sunt sicut lucis ad umbram, caloris ad frigus, duri ad molle, densi ad rarum, crassi ad tenue, et sic porro, et hi gradus ab experientia sensuali et oculari sunt noti, et non ita gradus altitudinis seu discreti, ideo de his in hac Parte imprimis agendum est, nam absque horum graduum cognitione non videri possunt causae. Notum quidem est, quod finis, causa et effectus sequantur in ordine sicut prius, posterius et postremum; tum quod finis producat causam et per causam effectum, ut finis existat; et quoque plura alia de illis: attamen illa scire, et non per applicationes ad existentia videre, est modo scire abstracta; quae non

diutius manent, quam dum in cogitatione sunt analytica ex metaphysica. Inde est, quod tametsi finis, causa et effectus vadunt per gradus discretos, usque tamen de illis gradibus parum si quicquam in mundo scitur. Sola enim cognitio abstractorum, est sicut quoddam aereum, quod avolat: sed si abstracta applicantur ad talia quae in mundo sunt, sunt sicut id quod oculis in tellure conspicitur, et in memoria permanet.

190. Omnia quae in mundo existunt, de quibus trina dimensio praedicatur, seu quae vocantur composita, ex gradibus altitudinis seu discretis consistunt. Sed exempla illustrent. Ab experientia oculari notum est, quod unusquisque musculus in corpore humano consistat ex minimis fibris, et quod hae fasciculatim compositae sistant fibras majores, quae motrices vocantur, et quod ex harum manipulis existat compositum, quod vocatur musculus. Simile est cum nervis: in illis ex fibris minimis compaginantur majores, quae sicut filamenta apparent; ex his congregatis compaginatur nervus. Simile est in reliquis compaginationibus, confasciationibus et congregationibus, ex quibus sunt organa et viscera; sunt enim haec compositiones ex fibris et vasis per similes gradus varie conformatis. Simile etiam est in omnibus et singulis regni vegetabilis, et in omnibus et singulis regni mineralis: in lignis sunt compaginationes filamentorum in triplici ordine; in metallis et lapidibus sunt conglobationes partium etiam in triplici ordine. Ex his patet, quales sunt gradus discreti, quod nempe unum ab altero, et per alterum tertium, quod vocatur compositum; et quod unusquisque gradus ab altero discretus sit.

191. Ex his concludi potest ad illa, quae coram oculis non apparent, quia similis res cum his est; ut cum substantiis organicis, quae sunt receptacula et habitacula cogitationum et affectionum in cerebris; cum atmosphaeris; cum calore et luce; et cum amore et sapientia. Atmosphaerae enim sunt receptacula caloris et lucis; ac calor et lux sunt receptacula amoris et sapientiae; quare cum atmosphaerarum gradus sunt, etiam similes gradus sunt caloris et lucis, et similes amoris et sapientiae: non enim alia ratio horum est quam illarum.

192. Quod gradus illi sunt homogenei, hoc est, ejus-

dem indolis et naturae, constat ex nunc dictis. Fibrae motrices musculorum, minimae, majores et maximae, sunt homogeneae; fibrae nerveae, minimae, majores et maximae, sunt homogeneae; filamenta lignea a minimis ad eorum compositum sunt homogenea. Partes lapideae et metallicae cujusvis generis, similiter. Substantiae organicae, quae sunt receptacula et habitacula cogitationum et affectionum, a simplicissimis ad congregatum commune, quod est cerebrum, sunt homogeneae. Atmosphaerae a puro aethere ad aerem sunt homogeneae. Gradus caloris et lucis in serie secundum gradus atmosphaerarum sunt homogenei; et inde quoque gradus amoris et sapientiae sunt homogenei. Illa quae non ejusdem indolis et naturae sunt, heterogenea sunt, et non concordant cum homogeneis; ita non possunt gradus discretos simul cum illis sistere, sed modo cum suis, quae ejusdem indolis et naturae sunt, cum quibus sunt homogenea.

193. Quod haec in suo ordine sint, sicut fines, causae et effectus, patet; nam primum, quod est minimum, agit suam causam per medium, et suum effectum per ultimum.

194. Sciendum est, quod unusquisque gradus ab altero distinctus sit per velamina propria, et omnes gradus simul distincti sint per velamen commune: et quod velamen commune communicet cum interioribus et cum intimis in suo ordine. Inde est omnium conjunctio et unanima actio.

Quod gradus primus sit omne in omnibus graduum sequentium.

195. Causa est, quia gradus cujusvis subjecti et cujusvis rei homogenei sunt; ac homogenei sunt, quia producti a gradu primo: nam formatio illorum talis est, quod primum per confasciculationes aut conglobationes, verbo, per congregationes, producat alterum, et per hoc tertium; ac unumquodvis discernit ab altero per circumductum velamen. Inde patet, quod primus gradus sit principalis ac unice regnans in sequentibus; proinde quod primus gradus sit omne in omnibus graduum sequentium.

196. Dicitur quod tales sint gradus inter se, sed intelligitur quod tales sint substantiae in suis gradibus.

Locutio per gradus est locutio abstracta, quae est universalis, ita applicabilis cuivis subjecto aut rei, quae in ejuscemodi gradibus sunt.

197. Applicatio fieri potest ad omnia illa, quae in praecedente articulo recensita sunt, ut ad musculos, nervos, materias et partes utriusque regni, vegetabilis et mineralis, ad substantias organicas quae sunt subjecta cogitationum et affectionum in homine, ad atmosphaeras, ad calorem et lucem, et ad amorem et sapientiam. In omnibus est primum unice regnans in sequentibus, immo est unicum in illis ; et quia est unicum in illis, est omne in illis. Quod ita sit, etiam patet ex his quae nota sunt, nempe quod finis sit omne causae, et quod per causam sit omne effectus ; ac ideo finis, causa et effectus dicuntur finis primus, medius et ultimus ; tum quod causa causae sit etiam causa causati ; et quod nihil essentiale in causis sit quam finis, et nihil essentiale in motu quam conatus : tum quod substantia unica sit, quae in se substantia est.

198. Ex his clare potest videri, quod Divinum, quod est substantia in se, seu unica et sola, sit ex qua sunt omnia et singula quae creata sunt, ita quod Deus sit omne in omnibus universi, secundum illa quae in Parte Prima [1]demonstrata sunt : ut, Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sit substantia et forma (n. 40–43) : Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sit substantia et forma in se, ita ipsum et unicum (n. 44–46) : Quod omnia in universo a Divino Amore et Divina Sapientia creata sint (n. [2]52–60) : Quod inde universum creatum sit imago Ipsius (n. 61–65) : Quod solus Dominus sit caelum, ubi angeli (n. 113–118).

Quod omnes perfectiones crescant et ascendant cum gradibus et secundum illos.

199. Quod duplicis generis gradus sint, gradus latitudinis et gradus altitudinis, supra (n. 184–188) ostensum est ; et quod gradus latitudinis sint sicut lucis vergentis ad umbram, aut sicut sapientiae ad ignorantiam ; at quod gradus altitudinis sint sicut finis, causa et effectus, aut sicut prius, posterius et postremum. De his gradibus dicitur quod ascendant aut descendant, sunt enim altitudinis ; de illis autem dicitur quod crescant aut decrescant, sunt

enim latitudinis. Hi gradus ab illis tantum differunt, ut nihil commune habeant ; quare distincte percipiendi sunt, ac minime confundendi.

200. Quod omnes perfectiones crescant et ascendant cum gradibus et secundum illos, est quia omnia praedicata sequuntur sua subjecta, ac perfectio et imperfectio sunt praedicata communia ; praedicantur enim de vita, de viribus, et de formis.

Perfectio vitae est perfectio amoris et sapientiae ; et quia voluntas et intellectus sunt receptacula illorum, est perfectio vitae etiam perfectio voluntatis et intellectus, et inde affectionum et cogitationum ; et quia calor spiritualis est continens amoris, et lux spiritualis est continens sapientiae, etiam perfectio horum referri potest ad perfectionem vitae.

Perfectio virium est perfectio omnium quae per vitam actuantur et moventur, in quibus tamen non vita est. Tales vires sunt atmosphaerae quoad actualitates ; et quoque tales vires sunt substantiae organicae interiores et exteriores apud hominem, tum etiam apud animalia omnis generis. Tales etiam vires sunt omnia in mundo naturali quae a sole ibi immediate et mediate activitates sortiuntur.

Perfectio formarum et perfectio virium unum faciunt, nam quales vires sunt, tales sunt formae ; cum sola differentia quod formae sint substantiae, vires autem [1]sunt activitates illarum ; quare similes gradus perfectionis sunt utrisque. Formae quae non simul vires sunt, etiam perfectae sunt secundum gradus.

201. Hic non dicetur de perfectionibus vitae, virium et formarum crescentibus aut decrescentibus secundum gradus latitudinis seu continuos, quia hi gradus in mundo noti sunt ; sed de perfectionibus vitae, virium et formarum ascendentibus aut descendentibus secundum gradus altitudinis seu discretos, quia hi gradus in mundo non noti sunt. At quomodo perfectiones secundum hos gradus ascendunt ac descendunt, parum potest cognosci a visibilibus in mundo naturali, sed clare a visibilibus in mundo spirituali. Ex visibilibus in mundo naturali modo detegitur, quod quo interius spectantur, eo mirabiliora occurrant : ut pro exemplo, in oculis, in auribus, in lingua, in musculis, in corde, pulmone, hepate, pancreate, renibus, et in reliquis visceribus ; tum in seminibus, fructibus et floribus ; et quoque in

metallis, mineris et lapidibus. Quod in his et in illis mirabiliora, quo interius spectantur, occurrant, notum est: attamen ex illis parum innotuit, quod illa interius perfectiora sint secundum gradus altitudinis seu discretos; ignorantia horum graduum id celavit. At quia iidem gradus in mundo spirituali perspicue exstant, est enim totus ille mundus, a supremo ad infimum, in illos distincte discretus, ideo exinde potest illorum cognitio hauriri: ex quibus dein concludi potest ad perfectiones virium et formarum, quae in similibus gradibus sunt in mundo naturali.

202. In mundo spirituali sunt tres caeli secundum gradus altitudinis ordinati. In supremo caelo sunt angeli in omni perfectione prae angelis in medio caelo; et in medio caelo sunt angeli in omni perfectione prae angelis infimi caeli. Perfectionum gradus sunt tales, ut angeli infimi caeli non possint ad primum limen perfectionum angelorum medii caeli ascendere, nec hi ad primum limen perfectionum angelorum supremi caeli. Hoc apparet paradoxon, sed usque est veritas. Causa est, quia consociati sunt secundum gradus discretos, et non secundum gradus continuos. Per experientiam mihi notum factum est, quod tale discrimen affectionum et cogitationum, et inde loquelae, sit inter angelos superiorum et inferiorum caelorum, ut nihil commune habeant; et quod communicatio fiat solum per correspondentias, quae existunt per influxum immediatum Domini in omnes caelos, et per influxum mediatum per caelum supremum in infimum. Haec discrimina, quia talia sunt, non possunt naturali lingua exprimi, ita non describi; cogitationes enim angelorum non cadunt in ideas naturales, nam sunt spirituales. Exprimi et describi solum possunt ab ipsis per eorum linguas, voces et scripturas, et non per humanas. Ex eo est quod dicatur, quod in caelis ineffabilia audita et visa sint. Discrimiua illa aliquantum comprehendi possunt per haec: quod cogitationes angelorum supremi seu tertii caeli sint cogitationes finium, et cogitationes angelorum medii seu secundi caeli sint cogitationes causarum, ac cogitationes angelorum infimi seu primi caeli sint cogitationes effectuum. Sciendum est, quod aliud sit ex finibus cogitare, et aliud de finibus; tum quod aliud sit ex causis cogitare, et aliud de causis; ut et quod aliud sit ex effectibus cogitare, et

aliud de effectibus. Angeli inferiorum caelorum cogitant de causis et de finibus, sed angeli superiorum caelorum ex causis et ex finibus; et ex his cogitare est superioris sapientiae, at de illis est inferioris. Cogitare ex finibus est sapientiae, ex causis est intelligentiae, et ex effectibus est scientiae. Ex his patet, quod omnis perfectio ascendat et descendat cum gradibus et secundum illos.

203. Quoniam interiora hominis quae ejus voluntatis et intellectus sunt, similia sunt caelis quoad gradus, est enim homo, quoad interiora quae mentis ejus sunt, caelum in minima forma, ideo etiam illorum perfectiones similes sunt. Sed illae perfectiones non apparent alicui homini quamdiu in mundo vivit, tunc enim in infimo gradu est; et ex infimo gradu non possunt cognosci gradus superiores; sed post mortem cognoscuntur: nam tunc homo in illum gradum venit, qui ejus amori et sapientiae correspondet, fit enim tunc angelus, ac ineffabilia naturali suo homini cogitat et loquitur. Est enim tunc elevatio omnium ejus mentis non in ratione simplici, sed in ratione triplicata. In hac ratione sunt gradus altitudinis, in illa autem gradus latitudinis. Sed in gradus illos non alii ascendunt et elevantur, quam qui in mundo in veris fuerunt, et illa applicuerunt vitae.

204. Apparet sicut priora sint minus perfecta quam posteriora, seu simplicia quam composita; sed usque priora ex quibus sunt posteriora, seu simplicia ex quibus sunt composita, perfectiora sunt. Causa est, quia priora seu simpliciora sunt nudiora, ac minus obvelata substantiis et materiis vitae expertibus; et sunt sicut diviniora; quare propiora sunt Soli spirituali, ubi Dominus. Ipsa enim perfectio est in Domino, et inde in Sole, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae Ipsius; et inde in illis quae proxime succedunt, et sic ordine usque ad infima, quae sicut distant, imperfectiora sunt. Nisi talis perfectio eminens foret in prioribus et simplicibus, non potuisset homo, nec ullum animal, ex semine existere, et postea subsistere; nec potuissent semina arborum et fruticum vegetari et prolificare: omne enim prius quo prius, et omne simplex quo simplicius, quia est perfectius, est immunius a damnis.

QUOD IN ORDINE SUCCESSIVO PRIMUS GRADUS FACIAT SUPREMUM, AC TERTIUS INFIMUM; AT QUOD IN ORDINE SIMULTANEO PRIMUS GRADUS FACIAT INTIMUM, AC TERTIUS EXTIMUM.

205. Est ordo successivus et ordo simultaneus. Ordo successivus horum graduum est a supremo ad infimum, seu a summo ad imum. In hoc ordine sunt caeli angelici; caelum tertium ibi est supremum, secundum est medium, ac primum est infimum; situs eorum inter se talis est. In simili ordine successivo sunt ibi status amoris et sapientiae apud angelos, tum etiam caloris et lucis, ut et atmosphaerarum spiritualium; in simili ordine sunt omnes perfectiones formarum et virium ibi. Cum gradus altitudinis seu discreti in ordine successivo sunt, tunc illi comparari possunt columnae divisae in tres gradus, per quos fit ascensus et descensus; in cujus superiore mansione sunt perfectissima et pulcherrima; in media minus perfecta et pulchra; in infima autem adhuc minus perfecta et pulchra. Ordo autem simultaneus, qui ex similibus gradibus consistit, in alia apparentia est. In hoc sunt suprema ordinis successivi, quae ut dictum est, perfectissima et pulcherrima sunt in intimo, inferiora in medio, et infima in ambitu. Sunt sicut in solido ex tribus illis gradibus constante; in cujus medio seu centro sunt partes subtilissimae, circumcirca illud partes minus subtiles, et in extremis, quae ambitum faciunt, sunt partes ex illis compositae, et inde crassiores. Est sicut columna illa, de qua nunc supra, subsidens in planum; cujus supremum facit intimum, ac medium facit medium, ac infimum facit extremum.

206. Quoniam supremum ordinis successivi fit intimum ordinis simultanei, ac infimum fit extimum, ideo in Verbo per "superius" significatur interius, et per "inferius" significatur exterius; simile per "sursum" et "deorsum," tum per "altum" et "profundum."

207. In omni ultimo sunt gradus discreti in ordine simultaneo. Fibrae motrices in omni musculo, fibrae in omni nervo, tum fibrae et vascula in omni viscere et organo, sunt in tali ordine. Intime in illis sunt simplicissima quae perfectissima; extimum est compositum ex illis. Similis ordo graduum istorum est in omni semine,

inque omni fructu, tum etiam in omni metallo et lapide ; partes horum tales sunt, ex quibus totum. Partium intima, media et extima sunt in illis gradibus ; sunt enim successivae compositiones, seu confasciationes et conglobationes a simplicibus, quae sunt primae eorum substantiae seu materiae.

208. Verbo, tales gradus sunt in omni ultimo, ita in omni effectu : nam omne ultimum consistit ex prioribus, et haec a suis primis ; ac omnis effectus consistit ex causa, et haec ex fine, et finis est omne causae, et causa est omne effectus (ut supra demonstratum est) ; ac finis facit intimum, causa medium, et effectus ultimum. Quod simile sit cum gradibus amoris et sapientiae, caloris et lucis, tum cum formis organicis affectionum et cogitationum apud hominem, in sequentibus videbitur. De serie horum graduum in ordine successivo et in ordine simultaneo actum etiam est in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 38 et alibi) ; ostensum est quod similes gradus in omnibus et singulis Verbi sint.

QUOD GRADUS ULTIMUS SIT COMPLEXUS, CONTINENS ET BASIS GRADUUM PRIORUM.

209. Doctrina graduum, quae in hac Parte traditur, hactenus illustrata est per varia quae in utroque mundo existunt ; ut per gradus caelorum ubi sunt angeli, per gradus caloris et lucis apud illos, et per gradus atmosphaerarum, et per varia in corpore humano, et quoque in regno animali et minerali. Sed doctrina illa est amplioris extensionis : extensio ejus non modo est ad naturalia, sed etiam ad civilia, moralia et spiritualia, et ad omnia et singula eorum. Causae quod doctrina graduum ad talia etiam se extendat, sunt binae : *prima*, quia in omni re, de qua aliquid praedicari potest, est trinum, quod vocatur finis, causa et effectus, et haec tria inter se sunt secundum gradus altitudinis : *altera* est, quod omne civile, morale et spirituale non sit aliquid abstractum a substantia, sed quod sint substantiae, nam sicut amor et sapientia non sunt res abstractae, sed quod sint substantia, (ut supra, n. 40–43, demonstratum est,) ita similiter omnes res, quae civiles, morales et spirituales vocantur. Hae quidem possunt abstracte a substantiis cogitari, sed usque in se non sunt abstractae. Sicut pro exemplo, affectio et cogitatio, cha-

ritas et fides, voluntas et intellectus; cum his enim simile est, sicut est cum amore et sapientia, nempe quod non dentur extra subjecta, quae sunt substantiae, sed quod sint status subjectorum seu substantiarum; quod sint mutationes illorum, quae sistunt variationes, videbitur in sequentibus. Per substantiam etiam intelligitur forma, nam substantia absque forma non datur.

210. Ex eo quod de voluntate et intellectu, deque affectione et cogitatione, tum de charitate et fide, abstracte a substantiis, quae sunt illorum subjecta, cogitari potuisset, et cogitatum sit, factum est quod justa idea de illis perierit, quae est quod sint status substantiarum seu formarum: prorsus sicut sunt sensationes, et actiones, quae nec sunt res abstractae ab organis sensoriis et motoriis; abstractae seu separatae ab illis non sunt nisi quam entia rationis; sunt enim sicut visus absque oculo, auditus absque aure, gustus absque lingua, et sic porro.

211. Quoniam omnes res civiles, morales et spirituales similiter per gradus progrediuntur, sicut res naturales, non solum per gradus continuos, sed etiam per gradus discretos, et progressiones graduum discretorum se habent sicut progressiones finium ad causas, et causarum ad effectus, volui rem praesentem, quae est, quod gradus ultimus sit complexus, continens et basis graduum priorum, illustrare et confirmare per supradicta; nempe per illa quae sunt amoris et sapientiae, voluntatis et intellectus, affectionis et cogitationis, ac charitatis et fidei.

212. Quod gradus ultimus sit complexus, continens et basis graduum priorum, constat manifeste ex progressione finium et causarum ad effectus. Quod effectus sit complexus, continens et basis causarum et finium, a ratione illustrata potest comprehendi; sed non ita clare, quod finis cum omnibus ejus, et causa cum omnibus ejus, actualiter sint in effectu, ac quod effectus sit plenus complexus eorum. Quod res talis sit, a praedictis in hac Parte constare potest, ex illis imprimis, quod unum sit ab altero in serie triplicata; et quod effectus non sit aliud quam finis in suo ultimo; et quia ultimum est complexus, sequitur quod ultimum sit continens, et quoque basis.

213. Quod amorem et sapientiam attinet: est amor finis, sapientia causa per quam, ac usus est effectus; ac usus est complexus, continens et basis sapientiae et amo-

ris ; atque usus est talis complexus et tale continens, ut omnia amoris et omnia sapientiae actualiter illi insint ; est simultaneum eorum. Sed probe sciendum est, quod omnia amoris et sapientiae, quae homogenea et concordantia sunt, usui insint, secundum illa, quae supra (in articulo n. 189–194) dicta et ostensa sunt.

214. In serie similium graduum sunt quoque affectio, cogitatio et actio ; quia omnis affectio se refert ad amorem, cogitatio ad sapientiam, et actio ad usum. In serie similium graduum sunt charitas, fides, et bonum opus ; nam charitas est affectionis, fides est cogitationis, et bonum opus est actionis. In serie similium graduum sunt etiam voluntas, intellectus, et exercitium ; nam voluntas est amoris et inde affectionis, intellectus est sapientiae et inde fidei, et exercitium est usus et inde operis. Sicut itaque usui insunt omnia sapientiae et amoris, ita actioni insunt omnia cogitationis et affectionis, bono operi omnia fidei et charitatis, et sic porro ; sed omnia homogenea, hoc est concordantia.

215. Quod ultimum cujusvis seriei, quod est usus, actio, opus et exercitium, sit complexus et continens omnium priorum, nondum est notum. Apparet sicut in usu, actione, opere et exercitio, non plus insit quam tale quod est in motu ; sed usque illis omnia priora actualiter insunt, et tam plene ut nihil desit : sunt in illis inclusa, sicut vinum in suo vase, et sicut utensilia in sua domo. Quod haec non appareant, est quia solum exterius spectantur, et exterius spectata sunt modo activitates et motus. Est sicut cum brachia et manus se movent, ac nescitur quod mille fibrae motrices ad quemlibet motum eorum concurrunt ; et quod mille fibris motricibus millia cogitationis et affectionis correspondeant, quae fibras motrices excitant ; quae quia intime agunt, coram aliquo sensu corporis non apparent. Hoc notum est, quod nihil agatur in corpore aut per illud, nisi quam ex voluntate per cogitationem ; et quia utraque agit, non potest non quin omnia et singula voluntatis et cogitationis actioni insint ; non separari possunt. Inde est, quod ex factis seu operibus judicetur ab aliis de hominis cogitatione voluntatis, quae vocatur intentio. Hoc mihi notum factum est, quod angeli ex solo facto seu opere hominis percipiant et videant omne voluntatis et cogitationis ejus qui facit ; angeli tertii caeli ex voluntate finem propter quem ; ac angeli secundi caeli causam per quam finis

agit. Exinde est quod in Verbo "opera" et "facta" toties mandentur, ac dicatur quod homo ex illis cognoscatur.

216. Ex sapientia angelica est, quod nisi voluntas et intellectus, seu affectio et cogitatio, tum charitas et fides, indant ac involvant se operibus seu factis, quando possibile est, non sint nisi quam sicut aerea quae transeunt, aut sicut imagines in aere, quae pereunt; et quod illae tunc primum maneant apud hominem, ac fiant ejus vitae, quando homo operatur et facit illa. Causa est, quia ultimum est complexus, continens et basis priorum. Tale aereum et talis imago est fides separata a bonis operibus, et quoque tale est fides et charitas absque suis exercitiis; cum sola differentia, quod qui fidem et charitatem ponunt, sciant et possint velle facere bona, non autem illi qui in fide separata a charitate sunt.

Quod gradus altitudinis in suo ultimo sint in pleno et in potentia.

217. In praecedente articulo ostensum est, quod gradus ultimus sit complexus et continens graduum priorum. Inde sequitur, quod gradus priores in suo ultimo sint in pleno; sunt enim in suo effectu, et omnis effectus est causarum plenum.

218. Quod gradus illi ascendentes et descendentes, qui etiam vocantur priores et posteriores, tum gradus altitudinis et discreti, in suo ultimo sint in sua potentia, confirmari potest ab omnibus illis, quae in praecedentibus a sensibilibus et perceptibilibus ad confirmationes allata sunt. Sed hic solum illa confirmare volo per conatus, vires et motus in subjectis mortuis et in subjectis vivis. Notum est, quod conatus ex se nihil agat, sed per vires sibi correspondentes, et quod per eas sistat motum; et quod inde sit, quod conatus sit omne in viribus, et per vires in motu; et quia motus est gradus conatus ultimus, quod per illum agat suam potentiam. Conatus, vis et motus non aliter conjuncti sunt quam secundum gradus altitudinis, quorum conjunctio non est per continuum, sunt enim discreti, sed per correspondentias. Nam conatus non est vis, nec vis est motus; sed vis producitur a conatu, est enim vis conatus excitatus, et motus producitur per vim: quare non

aliqua potentia est in solo conatu, nec in sola vi, sed in motu, qui est productum eorum. Quod ita sit, [1]apparet adhuc sicut anceps, quia non per applicationes ad sensibilia et perceptibilia in natura illustratum ; sed usque talis est progressio illorum in potentiam.

219. Sed sit applicatio illorum ad conatum vivum, adque vim vivum, et ad motum vivum. Conatus vivus in homine, qui est subjectum vivum, est ejus voluntas unita intellectui ; vires vivae in homine sunt quae intus constituunt ejus corpus, in quibus omnibus sunt fibrae motrices vario modo consertae ; ac motus vivus in homine est actio, quae producitur per illas vires a voluntate unita intellectui. Interiora enim quae voluntatis ac intellectus sunt, faciunt primum gradum ; interiora quae corporis sunt, faciunt secundum ; ac totum corpus, quod est complexus eorum, facit tertium gradum. Quod interiora quae mentis sunt, in nulla potentia sint nisi per vires in corpore, et quod vires nec in potentia sint nisi per actionem ipsius corporis, notum est. Haec tria non agunt per continuum, sed per discretum, et agere per discretum est agere per correspondentias. Interiora [2]quae mentis sunt, correspondent interioribus corporis ; et interiora [3]corporis correspondent exterioribus ejus, per quae actiones existunt : quare duo [4]priora per exteriora corporis sunt in potentia. Videri potest, sicut conatus et vires in homine in aliqua potentia sint, tametsi non est actio, ut in somnis et in statibus quietis, sed usque tunc determinationes conatuum et virium sunt in communia corporis motoria, quae sunt cor et pulmo ; at cessante horum actione cessant etiam vires, et cum viribus conatus.

220. Quoniam totum seu corpus determinavit suas potentias praecipue in brachia et manus, quae sunt ultima, ideo per "brachia" et "manus" in Verbo significatur potentia, ac per "dextram" potentia superior. Quoniam talis est evolutio et exsertio graduum in potentiam, ideo ex sola actione, quae fit per manus, ab angelis, qui apud hominem sunt, et in correspondentia omnium ejus, noscitur qualis homo est quoad intellectum et voluntatem, tum quoad charitatem et fidem, ita quoad vitam internam quae mentis ejus est, et quoad vitam externam quae ex illa in corpore est. Quod talis cognitio angelis sit ex sola actione corporis per manus, saepius miratus sum ; sed usque per

vivam experientiam aliquoties ostensum est; et dictum quod inde sit quod inaugurationes in ministerium fiant per impositionem manuum, et quod per tangere manu significetur communicare, praeter alia similia. Ex his conclusum factum est, quod omne charitatis et fidei in operibus sit, et quod charitas et fides absque operibus sint sicut irides circum solem, quae evanescunt et a nube dissipantur. Quare toties in Verbo dicuntur "opera," et dicitur "facere," et quod salus hominis ab illis pendeat; etiam qui facit vocatur sapiens, et qui non facit vocatur stultus. At sciendum est, quod per "opera" hic intelligantur usus qui actualiter fiunt; in illis enim et secundum illos est omne charitatis et fidei: cum usibus est illa correspondentia, quia correspondentia illa est spiritualis, sed fit per substantias et materias, quae sunt subjecta.

221. Hic duo arcana, quae per supradicta in intellectum cadunt, revelari possunt. *Primum arcanum* est, quod Verbum in sensu litterae sit in suo pleno et in sua potentia. Sunt enim tres sensus secundum tres gradus in Verbo; sensus caelestis, sensus spiritualis, et sensus naturalis. Quoniam illi sensus secundum tres gradus altitudinis in Verbo sunt, et conjunctio illorum fit per correspondentias, ideo ultimus sensus, qui est naturalis, et vocatur sensus litterae, non modo est complexus, continens et basis sensuum interiorum correspondentium, sed etiam est Verbum in ultimo sensu in suo pleno et in sua potentia. Quod ita sit, multis ostensum et confirmatum est in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 27–35, 36–49, 50–61, 62–69). *Alterum arcanum* est, quod Dominus in mundum venerit, ac susceperit Humanum, ut in potentiam subjugandi inferna, ac in ordinem redigendi omnia tam in caelis quam in terris, Se mitteret. Hoc Humanum superinduxit Humano suo priori. Humanum quod in mundo superinduxit, fuit sicut humanum hominis in mundo, utrumque tamen Divinum, et inde infinite transcendens humana finita angelorum et hominum. Et quia plene glorificavit Humanum naturale usque ad ultima ejus, ideo cum toto Corpore resurrexit, secus ac ullus homo. Per assumptionem hujus Humani induit omnipotentiam Divinam non modo subjugandi inferna, ac in ordinem redigendi caelos; sed etiam inferna in aeternum subjugata tenendi, et salvandi homines. Haec potentia intelligitur, per quod sedeat ad dex-

tram potentiae et virtutis Dei. Quoniam Dominus per assumptionem Humani naturalis Se fecit Divinum Verum in ultimis, ideo vocatur Verbum, ac dicitur quod Verbum Caro factum sit; ac Divinum Verum in ultimis est Verbum quoad sensum litterae. Hoc Se fecit per impletionem omnium Verbi de Ipso in *Mose* et *Prophetis*. Unusquisque enim homo est suum bonum et suum verum; homo non aliunde est homo: Dominus autem per assumptionem Humani naturalis est ipsum Divinum Bonum et Divinum Verum, seu quod idem, est Ipse Divinus Amor et Divina Sapientia, tam in primis quam in ultimis. Inde est, quod in caelis angelicis appareat ut Sol, post adventum Ipsius in mundum in fortiori jubare et in majori splendore, quam ante adventum Ipsius. Hoc arcanum est, quod per doctrinam graduum potest sub intellectum cadere. De omnipotentia Ipsius ante adventum in mundum, in sequentibus dicetur.

QUOD UTRIUSQUE GENERIS GRADUS SINT IN OMNIUM MAXIMIS ET MINIMIS QUAE CREATA SUNT.

222. Quod omnium maxima et minima ex gradibus discretis et continuis, seu altitudinis et latitudinis consistant, non potest illustrari per exempla ex visibilibus, quia minima non exstant coram oculis, et maxima quae exstant, non distincta in gradus apparent. Quapropter hanc rem non licet nisi quam per universalia demonstare. Et quia angeli in sapientia ex universalibus sunt, et inde in scientia de singularibus, licet de his effata illorum proferre.

223. Angelorum effata de hac re sunt haec: quod non detur tam minimum, in quo non sint gradus utriusque generis; ut, non minimum in aliquo animali; non minimum in aliquo vegetabili; nec minimum in aliquo minerali; nec minimum in aethere et aere; et quia aether et aer sunt receptacula caloris et lucis, quod non detur minimum caloris et lucis; et quia calor spiritualis et lux spiritualis sunt receptacula amoris et sapientiae, quod nec detur minimum horum,—in quibus non utriusque generis gradus sunt. Ex angelorum effatis etiam est, quod minimum affectionis, ac minimum cogitationis, immo quod minimum ideae cogitationis, consistat ex utriusque generis

gradibus, et quod minimum, quod non ex illis consistit, sit nihil ; non enim habet formam, ita non quale, nec aliquem statum qui mutari et variari potest, et per id existere. Angeli confirmant id per hoc verum, quod infinita in Deo Creatore, qui est Dominus ab aeterno, distincte unum sint ; ac quod infinita in infinitis Ipsius ; et quod in infinite infinitis sint gradus utriusque generis, qui etiam in Ipso distincte unum sunt ; et quia illa in Ipso sunt, et ab Ipso omnia creata sunt, et quae creata sunt, in quadam imagine referunt illa quae in Ipso sunt, sequitur quod non detur minimum finitum, in quo non tales gradus sunt. Quod illi gradus aeque in minimis ac in maximis sint, est quia Divinum in maximis et minimis est idem. Quod in Deo Homine infinita distincte unum sint, videatur supra (n. 17–22) ; et quod Divinum in maximis et minimis sit idem (n. 77–82) ; quae adhuc illustrata sunt (n. 155, 169, 171).

224. Quod non minimum amoris et sapientiae, nec minimum affectionis et cogitationis, et nec minimum ideae cogitationis, detur in quo non sunt utriusque generis gradus, est quia amor et sapientia sunt substantia et forma (ut supra, n. 40–43, ostensum est) ; similiter affectio et cogitatio. Et quia non datur forma, in qua non illi gradus sunt, ut supra dictum est, sequitur quod similes gradus illis sint ; separare enim amorem et sapientiam, tum affectionem et cogitationem a substantia in forma, est annihilare illa, quia non dantur extra sua subjecta, sunt enim horum status ab homine percepti in variatione, qui sistunt illa.

225. Maxima, in quibus utriusque generis gradus sunt, est universum [r]in toto suo complexu ; est mundus naturalis in suo complexu ; estque mundus spiritualis in suo ; est quodvis imperium, et quodvis regnum in suo complexu ; est omne civile, omne morale et omne spirituale eorum, in suo complexu ; totum regnum animale, totum regnum vegetabile, et totum regnum minerale, quodlibet in suo complexu ; sunt omnes atmosphaerae utriusque mundi simul sumptae, tum calores et luces earum. Pariter minus communia, ut homo in suo complexu, omne animal in suo, omnis arbor et omne virgultum in suo, tum omnis lapis et omne metallum in suo. Horum formae sunt similes quoad id, quod ex utriusque generis gradibus consistant : causa est, quia Divinum, a quo creata sunt, in

maximis et minimis est idem (ut supra, n. 77–82, demonstratum est). Horum omnium singularia et singularissima sunt communibus et communissimis similia in eo, quod sint formae utriusque generis [1]graduum.

226. Ex eo quod maxima et minima sint formae utriusque generis graduum, est connexio eorum a primis ad ultima, similitudo enim illa conjungit. Sed usque non datur aliquod minimum quod idem est cum altero ; per id est omnium singularium et singularissimorum distinctio. Quod non aliquod minimum in aliqua forma, aut inter aliquas formas, quod est idem, detur, est quia in maximis sunt similes gradus, et maxima ex minimis consistunt : quando tales gradus in maximis sunt, et secundum illos perpetua discrimina a summo ad imum, et a centro ad peripherias, sequitur quod non dentur aliqua minora et minima illorum, in quibus similes gradus sunt, quae idem sunt.

227. Ex sapientia angelica etiam est, quod perfectio universi creati sit ex similitudine communium et particularium, seu maximorum et minimorum quoad illos gradus : tunc enim spectat unum alterum ut suum simile, cum quo ad omnem usum conjungi potest, ac omnem finem sistere in effectu.

228. Verum haec possunt ut paradoxa videri, quia per applicationes ad visibilia non sunt ostensa ; sed usque abstracta, quia universalia, solent melius comprehendi quam applicata, haec enim perpetuae varietatis sunt, ac varietas obscurat.

229. Traditur a quibusdam quod substantia tam simplex detur, ut non sit forma a minoribus formis, et quod ex illa substantia per coacervationes existant substantiata seu composita, et tandem substantiae quae materiae vocantur. Sed usque tales simplicissimae substantiae non dantur. Quid enim est substantia absque forma? Est tale de quo non aliquid praedicari potest ; et ex ente, de quo nihil praedicari potest, non potest aliquid per coacervationes conflari. Quod innumerabilia sint in omnium primis substantiis creatis, quae sunt minima et simplicissima, videbitur in sequentibus, ubi de formis agetur.

QUOD TRES GRADUS ALTITUDINIS INFINITI ET INCREATI SINT IN DOMINO, ET QUOD TRES GRADUS FINITI ET CREATI SINT IN HOMINE.

230. Quod in Domino tres gradus altitudinis infiniti et increati sint, est quia Dominus est ipse Amor et ipsa Sapientia, ut in antecedentibus demonstratum est; et quia Dominus est ipse Amor et ipsa Sapientia, ideo quoque est ipse Usus; nam amor pro fine habet usum, quem producit per sapientiam; amor enim et sapientia absque usu non habent terminum aut finem, seu non habent suum domicilium; quapropter non potest dici quod sint et existant, nisi sit usus in quo. Haec tria constituunt tres gradus altitudinis in subjectis vitae. Sunt haec tria sicut finis primus, finis medius qui vocatur causa, et finis ultimus qui vocatur effectus. Quod finis, causa et effectus constituant tres gradus altitudinis, supra ostensum est et multis confirmatum.

231. Quod tres illi gradus in homine sint, constare potest ex elevatione mentis ejus usque ad gradus amoris et sapientiae, in quibus sunt angeli secundi et tertii caeli; omnes enim angeli fuerunt nati homines, et homo quoad interiora quae mentis ejus sunt, est caelum in minima forma; quot itaque caeli sunt, tot gradus altitudinis sunt apud hominem a creatione. Homo etiam est imago et similitudo Dei; quare illi tres gradus inscripti sunt homini, quia in Deo Homine, hoc est, in Domino sunt. Quod illi gradus in Domino infiniti et increati sint, et quod illi in homine finiti et creati sint, constare potest ex illis, [1]quae in Parte Prima demonstrata sunt: ut ex his, quod Dominus sit Amor et Sapientia in Se; et quod homo sit recipiens amoris et sapientiae a Domino; tum quod de Domino nihil nisi quam Infinitum dici queat, et quod de homine nihil nisi quam finitum.

232. Illi tres gradus apud angelos nominantur *caelestis*, *spiritualis*, et *naturalis*; ac illis gradus caelestis est gradus amoris, gradus spiritualis est gradus sapientiae, et gradus naturalis est gradus usuum. Causa quod illi gradus ita nominentur, est quia caeli in duo regna distincti sunt, ac unum regnum nominatur caeleste, et alterum spirituale, quibus accedit tertium regnum, in quo sunt homines in mundo, quod est regnum naturale. Etiam angeli, ex quibus regnum caeleste consistit, in amore

sunt; ac angeli ex quibus regnum spirituale consistit, in sapientia sunt; at homines in mundo in usibus sunt; ac ideo illa regna conjuncta sunt. Quomodo intelligendum est quod homines in usibus sint, in Parte sequente dicetur.

233. Ex caelo dictum est mihi, quod in Domino ab aeterno, qui est Jehovah, ante assumptionem Humani in mundo, fuerint bini gradus priores actualiter, et tertius gradus in potentia, quales etiam sunt apud angelos; sed quod post assumptionem humani in mundo, etiam tertium gradum, qui naturalis vocatur, superinduerit, et quod per id factus sit Homo similis homini in mundo, cum discrimine tamen, quod hic gradus, sicut priores, infinitus et increatus sit, et quod illi gradus in angelo et in homine finiti et creati sint. Divinum enim, quod impleverat omnia spatia absque spatio (n. 69–72), etiam ad ultima naturae penetravit; sed ante assumptionem Humani fuit Divinus influxus in naturalem gradum mediatus per caelos angelicos, sed post assumptionem immediatus ab Ipso; quae causa est, quod omnes ecclesiae in mundo ante adventum Ipsius repraesentativae spiritualium et caelestium fuerint, sed post adventum Ipsius factae sint naturales spirituales et caelestes, et quod repraesentativus cultus sit abolitus: quae etiam causa fuit, quod Sol caeli angelici, qui est ut supra dictum est, primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae Ipsius, post assumptionem Humani effulserit jubare et splendore eminentiori, quam ante assumptionem. Hoc quoque intelligitur per haec apud *Esaiam:*

> In die illo "erit lux Lunae sicut lux Solis, et lux Solis erit septupla sicut lux septem dierum" (xxx. [1]26);

haec dicta sunt de statu caeli et ecclesiae post adventum Domini in mundum. Ac in *Apocalypsi:*

> Visa est facies Filii hominis "sicut sol fulget in sua potentia" (i. 16);

et alibi

> (ut *Esai.* lx. 20; 2 *Sam.* xxiii. 3, 4; *Matth.* xvii. 1, 2).

Illustratio hominum mediata per caelum angelicum, quae fuit ante adventum Domini, comparari potest luci lunae, quae est lux solis mediata; quae quia post adventum Ipsius facta est immediata, dicitur apud *Esaiam*, quod "lux lunae erit sicut lux solis;" et apud *Davidem*,

"Florebit in die Ipsius justus, et multa pax usque dum non luna" (*Psalm.* lxxii. 7);

hoc etiam de Domino.

234. Quod Dominus ab aeterno, seu Jehovah, tertium illum gradum per assumptionem Humani in mundo superinduerit, erat ex causa, quia in illum non potuit intrare nisi quam per naturam similem naturae humanae, ita non nisi quam per conceptionem a Divino suo, et per nativitatem a virgine; sic enim potuit naturam, quae in se est mortua, et usque receptaculum Divini, exuere, ac Divinum induere. Hoc intelligitur per binos status Domini in mundo, qui vocantur status exinanitionis et status glorificationis, de quibus in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* actum est.

235. Haec de triplici ascensu graduum altitudinis in genere dicta sunt; sed quia illi gradus dantur in maximis et minimis, ut in mox praecedente articulo dictum est, de illis non potest hic aliquid in specie dici: solum hoc, quod tales gradus in omnibus et singulis amoris, et inde tales gradus in omnibus et singulis sapientiae, et ex illis tales gradus in omnibus et singulis usuum sint; sed quod omnes illi in Domino sint infiniti, in angelo autem et in homine finiti. At quomodo gradus illi sunt in amore, in sapientia, et in usibus, non potest describi et evolvi nisi in serie.

Quod tres illi gradus altitudinis in quovis homine a nativitate sint, et quod successive possint aperiri, et quod sicut aperiuntur, homo in Domino sit, et Dominus in illo.

236. Quod tres gradus altitudinis in quovis homine sint, hactenus non innotuit: causa est, quia illi gradus non cogniti fuerunt; et quamdiu illi gradus latuerunt, non possunt alii gradus sciri, quam gradus continui; et cum hi gradus solum sciuntur, credi potest quod amor et sapientia apud hominem modo per continuum crescant. At sciendum est, quod apud unumquemvis hominem a nativitate tres gradus altitudinis seu discreti sint, unus supra aut intra alterum: et quod unusquisque gradus altitudinis seu discretus etiam habeat gradus latitudinis seu continuos, secundum quos ille crescit per continuum; nam utriusque generis gradus in omnium maximis et minimis

sunt, ut supra (n. 222–229) ostensum est : non enim potest dari unius generis gradus absque altero.

237. Tres illi gradus altitudinis nominantur naturalis, spiritualis et caelestis, ut supra (n. 232) dictum est. Homo dum nascitur, primum venit in gradum naturalem, et hic apud illum crescit per continuum secundum scientias ac secundum intellectum per illas acquisitum, usque ad summum intellectus quod vocatur rationale. Sed usque per id non aperitur alter gradus, qui vocatur spiritualis ; hic aperitur per amorem usuum ex intellectualibus, sed per amorem usuum spiritualem, qui amor est amor erga proximum : hic gradus similiter potest crescere per gradus continuum usque ad ejus summum, et crescit per cognitiones veri et boni, seu per veritates spirituales. At, usque per has non aperitur tertius gradus, qui vocatur caelestis, sed hic aperitur per caelestem amorem usus, qui amor est amor in Dominum ; et amor in Dominum non aliud est, quam praecepta Verbi mandare vitae, quae in summa sunt fugere mala quia infernalia et diabolica, ac facere bona quia caelestia et Divina. Tres illi gradus ita sucessive apud hominem aperiuntur.

238. Homo, quamdiu in mundo vivit, non scit aliquid de [1]aperitione illorum graduum apud se ; causa est, quia tunc in gradu naturali, qui est ultimus, est, et ex illo tunc cogitat, vult, loquitur et agit ; et spiritualis gradus, qui est interior, cum naturali gradu non communicat per continuum, sed per correspondentias, et communicatio per correspondentias non sentitur. At usque dum homo naturalem gradum exuit, quod fit cum moritur, tunc venit in illum gradum qui apud illum in mundo apertus fuit ; in spiritualem ille apud quem spiritualis gradus apertus fuit, in caelestem ille apud quem caelestis gradus. Ille qui in spiritualem gradum post mortem venit, non amplius naturaliter cogitat, vult, loquitur et agit, sed spiritualiter ; et qui in caelestem, ille secundum suum gradum cogitat, vult, loquitur et agit. Et quia communicatio trium graduum inter se datur solum per correspondentias, ideo discrimina amoris, sapientiae et usus quoad gradus illos talia sunt, ut non commune per aliquod continuum inter se habeant. Ex his patet, quod homini tres gradus altitudinis sint, et quod successive possint aperiri.

239. Quoniam tres gradus amoris et sapientiae et inde usus dantur apud hominem, sequitur quod tres gra-

dus voluntatis ac intellectus et inde conclusi, et sic determinationis ad usum, dentur apud illum ; nam voluntas est receptaculum amoris, et intellectus receptaculum sapientiae, ac conclusum est usus ex illis. Ex quibus patet, quod apud unumquemvis hominem sit voluntas et intellectus naturalis, spiritualis et caelestis in potentia a nativitate, et in actu dum aperiuntur. Verbo, mens hominis, quae consistit ex voluntate et intellectu, ex creatione et inde ex nativitate est trium graduum, ita quod homini sit mens naturalis, mens spiritualis et mens caelestis, et quod homo per id elevari possit in sapientiam angelicam, ac illam possidere quando in mundo vivit ; sed usque in illam non venit nisi quam post mortem, si fit angelus, et tunc loquitur ineffabilia et naturali homini incomprehensibilia. Cognovi hominem mediocriter doctum in mundo, et post mortem vidi illum et locutus sum cum illo in caelo, et clare percepi quod locutus sit sicut angelus, et quod illa quae locutus est, homini naturali imperceptibilia essent. Causa erat, quia in mundo praecepta Verbi applicuerat vitae, et coluerat Dominum, et inde a Domino in tertium gradum amoris et sapientiae elevatus est. Interest ut haec elevatio mentis humanae sciatur, inde enim pendet intellectus sequentium.

240. Sunt binae facultates a Domino apud hominem, per quas homo distinguitur a bestiis. Una facultas est, quod possit intelligere quid verum est, et quid bonum; haec facultas vocatur rationalitas, et est facultas ejus intellectus: altera facultas est quod possit facere verum et bonum; haec facultas vocatur libertas, et est facultas ejus voluntatis: homo enim potest ex rationalitate sua cogitare quicquid lubet, tam cum Deo quam contra Deum, et cum proximo et contra proximum; et quoque potest velle et facere, quae cogitat; sed cum videt malum et timet poenam, potest ex libero desistere a faciendo. Homo ex binis illis facultatibus est homo, et distinguitur a bestiis. Binae illae facultates sunt homini a Domino, et continue sunt ab Ipso, nec ei auferuntur; nam si auferrentur, periret humanum ejus. In his binis facultatibus est Dominus apud unumquemvis hominem, tam apud bonum quam apud malum ; sunt illae mansio Domini in humano genere : inde est quod omnis homo tam bonus quam malus vivat in aeternum. At mansio Domini propior apud hominem est, sicut homo mediis illis facultatibus aperit gradus superiores ;

per aperitionem enim illorum venit in gradus superiores amoris et sapientiae, sic propius ad Dominum. Ex his constare potest, quod sicut illi gradus aperiuntur, ita homo in Domino sit, et Dominus in illo.

241. Dictum est supra, quod tres gradus altitudinis sint sicut finis, causa et effectus, et quod secundum illos gradus succedant amor, sapientia et usus ; quare hic paucis dicetur de amore quod sit finis, de sapientia quod sit causa, et de usu quod sit effectus. Quisque qui rationem suam, dum illa in luce est, consulit, potest videre quod amor hominis sit finis omnium ejus, nam quod amat, hoc cogitat, hoc concludit, et hoc facit, consequenter pro fine habet ; homo etiam ex ratione sua videre potest, quod sapientia sit causa, nam ille, seu ejus amor qui est finis, in intellectu conquirit media, per quae ad finem suum perveniat ; ita consulit sapientiam suam, ac media illa faciunt causam per quam. Quod usus sit effectus absque explicatione patet. Sed amor apud unum hominem non est idem qui apud alterum ; ita nec sapientia apud unum est eadem quae apud alterum ; proinde nec usus ; et quia tria illa homogenea sunt, (ut supra, n. 189–194, ostensum est,) sequitur, quod qualis apud hominem est amor, talis apud illum sit sapientia, et quod talis sit usus. Dicitur sapientia, sed intelligitur id quod intellectus ejus est.

Quod lux spiritualis influat per tres gradus apud hominem, sed non calor spiritualis, nisi quantum homo fugit mala ut peccata, et spectat ad Dominum.

[1]**242.** Ex supra demonstratis constat, quod a Sole caeli, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae, (de quo in Secunda Parte actum est,) procedat lux et calor ; a Sapientia Ipsius lux, et ab Amore Ipsius calor; et quod lux sit receptaculum sapientiae, et calor receptaculum amoris ; et quod quantum homo in sapientiam venit, tantum in Divinam illam lucem veniat, et quantum in amorem, tantum in Divinum illum calorem. Ex supra demonstratis etiam constat, quod tres gradus lucis et tres gradus caloris sint, seu tres gradus sapientiae et tres gradus amoris, et quod illi gradus apud hominem formati sint, ut homo receptaculum Divini Amoris et Divinae Sa-

pientiae, ita Domini, esset. Hic nunc demonstrandum est, quod lux spiritualis influat per tres illos gradus apud hominem, sed non calor spiritualis, nisi quantum homo fugit mala ut peccata, et spectat ad Dominum ; seu quod idem, quod homo recipere possit sapientiam usque ad tertium gradum, sed non amorem, nisi fugiat mala ut peccata, et spectet ad Dominum ; seu quod adhuc idem, quod intellectus hominis elevari possit in sapientiam, non autem voluntas ejus, nisi quantum fugit mala ut peccata.

243. Quod intellectus possit elevari in lucem caeli, seu in sapientiam angelicam, et quod voluntas ejus non possit elevari in calorem caeli seu in amorem angelicum, nisi fugiat mala ut peccata, et spectet ad Dominum, evidenter mihi patuit ab experientia in mundo spirituali. Pluries vidi et percepi, quod spiritus simplices, qui modo sciverunt quod Deus sit, et quod Dominus natus sit Homo, et vix aliquid praeterea, arcana sapientiae angelicae plene intellexerint, paene sicut angeli ; nec solum illi, sed etiam plures ex diabolica turba. At intellexerunt quando audiverunt, non autem quando secum cogitaverunt ; nam cum audiverunt, intrabat lux a superiori, cum autem secum cogitaverunt, tunc non alia lux potuit intrare, quam quae correspondebat calori seu amori illorum. Quare etiam postquam audiverunt illa arcana, et perceperunt illa, dum averterunt aures, nihil retinuerunt ; immo illi qui e diabolica turba erant, tunc respuerunt illa et prorsus negaverunt. Causa erat, quia ignis amoris illorum et lux ejus quae fatua erant, induxerunt tenebras, per quas lux caelestis e superiori intrans exstinguebatur.

[1]**244.** Simile fit in mundo. Homo qui non plane stupidus est, et qui non ex fastu propriae intelligentiae confirmaverat falsa apud se, ille dum audit loquentes de re altiore, aut dum legit talia, si in aliqua affectione sciendi est, tunc intelligit illa, et quoque retinet, et postea potest confirmare illa. Simile potest tam malus quam bonus. Etiam malus, tametsi corde negat Divina quae ecclesiae sunt, usque potest intelligere illa, et quoque loqui et praedicare illa, tum scripto docte confirmare illa ; at vero cum sibi relictus cogitat, ex amore suo infernali contra illa cogitat, et negat illa. Ex quo patet, quod intellectus possit in luce spirituali esse, tametsi non voluntas in calore spirituali. Ex quo etiam sequitur, quod intellectus non ducat voluntatem, seu quod sapientia non producat amorem, sed quod solum doceat et monstret viam ; docet

quomodo homo victurus est, et monstrat quam viam iturus. Et quoque sequitur, quod voluntas ducat intellectum, ac efficiat ut secum unum agat ; et quod amor qui est voluntatis id vocet sapientiam in intellectu, quod concordat. In sequentibus videbitur, quod voluntas per se absque intellectu nihil agat, sed omne quod agit, in conjunctione cum intellectu agat ; at quod voluntas adsciscat intellectum in consortium secum, per influxum, non autem vicissim.

245. Nunc dicetur qualis est influxus lucis in tres gradus vitae, quae mentis sunt, apud hominem. Formae, quae sunt receptacula caloris et lucis, seu amoris et sapientiae apud illum, et quae, ut dictum est, in triplici ordine, seu trium graduum sunt, a nativitate sunt diaphanae, ac lucem spiritualem transmittunt, sicut vitrum crystallinum lucem naturalem. Inde est quod homo quoad sapientiam usque in tertium gradum possit elevari. At usque formae illae non aperiuntur, nisi dum calor spiritualis se conjungit luci spirituali, seu amor sapientiae ; per hanc conjunctionem formae illae diaphanae secundum gradus aperiuntur. Hoc simile est cum luce et calore solis mundi quoad vegetabilia super tellure. Lux hiemalis, quae aeque candida est cum luce aestiva, non aperit aliquid in semine aut in arbore ; sed cum calor vernalis se conjungit luci, tunc aperit : similis res est, nam lux spiritualis correspondet luci naturali, et calor spiritualis correspondet calori naturali.

246. Calor ille spiritualis non aliter comparatur, quam per fugere mala ut peccata, et tunc spectare ad Dominum. Nam quamdiu homo in malis est, etiam in amore illorum est, est enim in concupiscentia ad illa, ac amor mali et concupiscentia est in amore opposito amori et affectioni spirituali ; ac ille amor seu concupiscentia non potest removeri quam per fugere mala ut peccata ; et quia homo non potest fugere illa a se sed a Domino, ideo spectabit ad Ipsum. Quum itaque fugit illa a Domino, tunc amor mali et calor ejus removetur, et loco ejus infertur amor boni et calor ejus, per quem aperitur gradus superior. Dominus enim a superiori influit, et aperit illum, et tunc conjungit amorem seu calorem spiritualem sapientiae seu luci spirituali ; ex qua conjunctione homo spiritualiter florere incipit, sicut arbor tempore veris.

247. Per influxum lucis spiritualis in omnes tres gradus mentis, homo distinguitur a bestiis ; ac homo prae bestiis potest analytice cogitare, videre vera non solum

naturalia sed etiam spiritualia, et cum videt illa potest agnoscere illa, et sic reformari et regenerari. Facultas recipiendi lucem spiritualem, est quae intelligitur per rationalitatem, de qua supra, quae cuivis homini a Domino est, et quae ei non aufertur ; nam si auferretur, non potuisset reformari. Ex facultate illa, quae vocatur rationalitas, est quod homo non solum possit cogitare, sed etiam ex cogitatione loqui, secus ac bestiae ; et dein ex altera facultate ejus, quae vocatur libertas, de qua etiam prius, potest facere illa quae ex intellectu cogitat. Quia de binis his facultatibus, rationalitate et libertate, quae homini propriae sunt, supra (n. 240) actum, ideo plura de illis hic non dicentur.

Quod homo, si non apud illum superior gradus, qui est spiritualis, aperitur, fiat naturalis et sensualis.

248. Supra ostensum est, quod tres gradus mentis humanae sint, qui vocantur naturalis, spiritualis et caelestis, et quod illi gradus apud illum successive possint aperiri : tum ostensum est, quod primum aperiatur gradus naturalis, ac postea, si fugit mala ut peccata, et spectat ad Dominum, aperiatur gradus spiritualis, et demum caelestis. Quoniam illi gradus successive aperiuntur secundum vitam hominis, sequitur quod bini superiores gradus etiam non aperiri possint, et quod homo tunc in gradu naturali, qui est ultimus, maneat. Notum etiam est in mundo, quod homo naturalis et homo spiritualis sit, seu homo externus et homo internus ; sed non notum est, quod homo naturalis fiat spiritualis per aperitionem alicujus gradus superioris apud illum, et quod aperitio fiat per vitam spiritualem, quae est vita secundum praecepta Divina ; et quod absque vita secundum illa, homo maneat naturalis.

249. Sunt tria genera hominum naturalium : unum genus est illorum, qui nihil sciunt de praeceptis Divinis ; alterum illorum, qui sciunt quod sint, sed nihil cogitant de vita secundum illa ; et tertium illorum, qui contemnunt et negant illa. Quod *primum genus*, quod est illorum, qui nihil sciunt de praeceptis Divinis, concernit, illi non possunt aliter quam manere naturales, quia a se ipsis non possunt doceri : omnis homo de praeceptis Divinis docetur ab aliis qui illa sciunt ex religione, et non per

revelationes immediatas; de qua re videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 114–118). Qui ex *altero genere* sunt, qui sciunt quod praecepta Divina sint, sed nihil cogitant de vita secundum illa, illi quoque manent naturales, nec curant alia quam quae mundi et corporis sunt; hi post mortem fiunt famulitia et servitia secundum usus quos praestare possunt illis qui spirituales sunt; nam naturalis homo est famulus et servus, ac spiritualis homo est herus et dominus. Qui ex *tertio genere* sunt, qui praecepta Divina contemnunt et negant, illi non modo manent naturales, sed etiam fiunt sensuales secundum contemptum et negationem. Sensuales sunt infimi naturales, qui non possunt supra apparentias et fallacias sensuum corporis cogitare; hi post mortem sunt in inferno.

250. Quia in mundo nescitur quid spiritualis et [n]quid naturalis homo, et a multis vocatur is spiritualis qui mere naturalis est, et vicissim, ideo de his distincte dicendum est:

(i.) *Quid homo naturalis, et quid homo spiritualis.*
(ii.) *Qualis est homo naturalis apud quem spiritualis gradus apertus est.*
(iii.) *Qualis est homo naturalis, apud quem spiritualis gradus non apertus est, sed usque non occlusus.*
(iv.) *Qualis homo naturalis est, apud quem spiritualis gradus prorsus occlusus est.*
(v.) *Demum quale discrimen est inter vitam mere naturalis hominis et inter vitam bestiae.*

251. (i.) *Quid homo naturalis, et quid homo spiritualis.*—Homo non est homo ex facie et corpore, sed ex intellectu et voluntate; quare per hominem naturalem et hominem spiritualem intelligitur intellectus et voluntas ejus, quod vel naturales vel spirituales sint. Naturalis homo quoad intellectum suum et voluntatem suam est sicut mundus naturalis, et quoque vocari potest mundus seu microcosmus; et spiritualis homo quoad intellectum suum et voluntatem suam, est sicut mundus spiritualis, et quoque vocari potest ille mundus seu caelum. Exinde patet quod naturalis homo, quia in quadam imagine est mundus naturalis, amet illa quae mundi naturalis sunt; et quod spiritualis homo, quia in quadam imagine est mundus spiritualis, amet illa quae hujus mundi seu caeli sunt. Spiritualis homo quidem etiam amat mundum naturalem, sed non aliter quam sicut herus suum famulum, per quem praestat usus: secundum usus etiam naturalis homo fit sicut spiri-

tualis, quod fit cum naturalis homo sentit jucundum usus ex spirituali; hic naturalis homo potest vocari naturalis spiritualis. Homo spiritualis amat vera spiritualia; amat non modo illa scire et intelligere, sed etiam vult illa; naturalis autem homo amat vera illa loqui et quoque facere: facere vera est praestare usus. Haec subordinatio est ex conjunctione mundi spiritualis et mundi naturalis; nam quicquid apparet et fit in mundo naturali, ducit causam ex mundo spirituali. Ex his constare potest, quod spiritualis homo prorsus distinctus sit a naturali homine, et quod non alia communicatio intercedat, quam qualis est inter causam et effectum.

252. (ii.) *Qualis naturalis homo est, apud quem spiritualis gradus apertus est*, patet a supradictis: quibus addendum est, quod naturalis homo sit plenus homo dum spiritualis gradus apud illum apertus est; est enim tunc consociatus angelis in caelo, et simul consociatus hominibus in mundo, et quoad utrumque vivit sub auspicio Domini; spiritualis enim homo haurit mandata per Verbum a Domino, et illa per naturalem hominem exsequitur. Naturalis homo, cui gradus spiritualis apertus est, non scit quod cogitet et agat ex spirituali suo homine; apparet enim sicut ex se, cum tamen non ex se sed ex Domino. Naturalis homo cujus gradus spiritualis apertus est, nec scit quod per spiritualem suum hominem in caelo sit, cum tamen spiritualis ejus homo in medio angelorum caeli est; quandoque etiam angelis apparet, sed quia retrahit se ad naturalem suum hominem, post brevem moram ibi disparatur. Naturalis homo apud quem spiritualis gradus apertus est, nec scit quod spiritualis ejus mens impleatur millenis arcanis sapientiae, et millenis jucunditatibus amoris a Domino, et quod in illa post mortem veniat, cum fit angelus. Causa quod naturalis homo illa non sciat, est quia communicatio inter hominem naturalem et spiritualem fit per correspondentias, et communicatio per correspondentias non percipitur aliter in intellectu quam quod videantur vera in luce, et in voluntate quam quod praestentur usus ex affectione.

253. (iii.) *Qualis est homo naturalis apud quem spiritualis gradus non apertus est, sed usque non occlusus.*—Spiritualis gradus apud illos non apertus est, sed usque non occlusus, qui aliquam charitatis vitam egerunt, et tamen

parum genuini veri sciverunt. Causa est, quia gradus ille aperitur per conjunctionem amoris et sapientiae, seu caloris cum luce: solus amor seu solus calor spiritualis non aperit illum, nec sola sapientia seu sola lux spiritualis; sed utraque in conjunctione. Quapropter si genuina vera, ex quibus sapientia seu lux, non sciuntur, amor non valet illum gradum aperire, sed solum tenet illum in potentia, ut aperiri possit; quod intelligitur per quod non occlusus sit. Hoc fit simile sicut in regno vegetabili, quod solus calor non det seminibus et arboribus vegetationem, sed calor in conjunctione cum luce hoc operatur. Sciendum est, quod omnia vera sint lucis spiritualis, ac omnia bona [1]sint caloris spiritualis, et quod bonum per vera aperiat gradum spiritualem; nam bonum per vera operatur usum, ac usus sunt bona amoris, quae essentiam suam trahunt ex conjunctione boni et veri. Sors illorum, apud quos gradus spiritualis non apertus est, et usque non occlusus, post mortem est, quod quia usque naturales sunt et non spirituales, in infimis caeli sint, ubi aliquando dura patiuntur; vel quod sint in caelo aliquo superiori in terminis, ubi quasi in luce vesperae sunt; nam, ut supra dictum est, in caelo et in unaquavis societate ejus lux decrescit e medio ad terminos, et [2]in medio sunt qui in Divinis veris sunt prae aliis, ac in terminis, qui in paucis veris: ac in paucis veris sunt, qui non plus sciunt ex religione, quam quod Deus sit, et quod Dominus passus sit pro illis; tum quod charitas et fides sint essentialia ecclesiae, et non satagunt scire quid fides et quid charitas; cum tamen fides est in sua essentia veritas, ac veritas est multiplex, et charitas est omne opus muneris, quod homo facit ex Domino; quod tunc facit ex Domino, cum fugit mala ut peccata. Est prorsus sicut prius dictum est, quod finis sit omne causae, et effectus omne finis per causam: finis est charitas seu bonum, causa est fides seu verum, ac effectus sunt bona opera seu usus. Ex quo patet, quod ex charitate non plus possit inferri operibus, quam quantum charitas conjuncta est veris quae fidei vocantur. Per haec intrat charitas in opera, et qualificat illa.

254. (iv.) *Qualis est naturalis homo, apud quem spiritualis gradus prorsus occlusus est.*—Gradus spiritualis occluditur apud illos qui in malis sunt quoad vitam, et magis apud illos qui ex malis in falsis sunt. Hoc simile est sicut

cum fibrilla nervi, quae a minimo tactu alicujus heterogenei se contrahit ; similiter omnis fibra motrix musculi, immo ipse musculus, ut et totum corpus a tactu duri aut frigidi ; ita quoque substantiae seu formae gradus spiritualis apud hominem a malis et inde falsis, haec enim sunt heterogenea. Gradus enim spiritualis, quia in forma caeli est, non admittit nisi bona, ac vera quae ex bono sunt ; haec sunt ei homogenea ; at mala et falsa quae mali sunt, ei heterogenea. Hic gradus contrahitur, et per contractionem occluditur, imprimis apud illos qui in mundo ex amore sui in amore dominandi sunt, quoniam hic amor oppositus est amori in Dominum. Occluditur etiam apud illos qui ex amore mundi in vesana cupiditate possidendi aliorum bona sunt ; sed non in tantum. Causa quod illi amores claudant gradum spiritualem, est quia sunt origines malorum. Contractio seu occlusio illius gradus est sicut retorsio spirae in oppositum : quae causa est, quod postquam ille gradus occlusus est, reflectat lucem caeli ; inde pro luce caeli ibi est caligo ; proinde veritas, quae in luce caeli est, fit nausea. Apud hos non modo ipse ille gradus occluditur, sed etiam superior regio gradus naturalis, quae vocatur rationalis ; usque dum ima regio gradus naturalis solum stet aperta, quae vocatur sensualis ; haec enim proxima est mundo et sensibus externis corporis, ex quibus ille homo postea cogitat, loquitur et ratiocinatur. Naturalis homo, qui sensualis factus est per mala [r]et inde falsa, ille in mundo spirituali in luce caeli non apparet sicut homo, sed sicut monstrum, etiam cum retracto naso : quod intracto naso, est quia nasus correspondet perceptioni veri. Ille etiam non sustinet radium lucis caeli ; est illis in suis cavernis non alia lux, quam sicut lux ex prunis seu ignitis carbonibus. Ex his patet, quinam et quales sunt illi, apud quos spiritualis gradus occlusus est.

255. [(v.)] *Quale discrimen est inter vitam naturalis hominis et inter vitam bestiae :* de hoc discrimine in sequentibus, ubi de Vita, in specie dicetur ; hic solum, quod discrimen sit, quod homini sint tres gradus mentis, seu tres gradus intellectus et voluntatis ; et quod illi gradus successive possint aperiri ; qui quia diaphani sunt, quod homo quoad intellectum possit elevari in lucem caeli, ac videre vera, non solum civilia et moralia, sed etiam spiritualia,

et ex pluribus visis concludere vera in ordine, ac sic intellectum perficere in aeternum. At bestiis non sunt bini gradus superiores, sed sunt modo gradus naturales, qui absque gradibus superioribus in nulla facultate cogitandi sunt de aliqua re civili, morali et spirituali. Et quia gradus illorum naturales non sunt apertibiles et inde elevabiles in lucem superiorem, non possunt cogitare in ordine successivo, sed in ordine simultaneo, quod non est cogitare, sed ex scientia amori eorum correspondente agere; et quia non possunt analytice cogitare, ac cogitationem inferiorem a quadam superiore videre, ideo non possunt loqui, sed convenienter scientiae amoris eorum sonare. At usque sensualis homo, qui est infime naturalis, a bestia non differt nisi per quod possit memoriam implere scientificis, et ex illis cogitare et loqui; quod trahit ex facultate cuivis homini propria, quae est quod possit intelligere verum si velit; haec facultas distinguit. Sed usque plures per abusum hujus facultatis se inferiores bestiis reddiderunt.

QUOD GRADUS NATURALIS MENTIS HUMANAE IN SE SPECTATUS SIT CONTINUUS, SED QUOD PER CORRESPONDENTIAM CUM BINIS GRADIBUS SUPERIORIBUS, DUM ELEVATUR, APPAREAT SICUT SIT DISCRETUS.

256. Hoc tametsi aegre potest comprehendi ab illis qui nondum in scientia graduum altitudinis sunt, usque tamen revelandum est, quia sapientiae angelicae est, quae sapientia quamvis ab homine naturali non potest eo modo, quo ab angelis, cogitari, potest tamen comprehendi intellectu, dum hic usque ad gradum lucis, in qua sunt angeli, elevatur; intellectus enim potest eo usque elevari, ac secundum elevationem illustrari. Sed illustratio mentis naturalis non ascendit per gradus discretos, sed increscit per gradum continuum; tunc sicut increscit, ita ab interiori ex luce graduum binorum superiorum illustratur. Quomodo hoc fit, comprehendi potest ex perceptione graduum altitudinis, quod unus sit supra alterum, et quod gradus naturalis, qui est ultimus, sit quasi velamen commune duorum superiorum graduum; tunc sicut naturalis gradus elevatur ad gradum superioris, ita superior ab interiori agit in exteriorem naturalem, ac illum illuminat.

Fit quidem illuminatio ab interiori ex luce graduum superiorum ; at illa a gradu naturali, qui circumtegit et ambit, recipitur per continuum, ita lucidius et purius secundum ascensum ; hoc est, gradus naturalis illustratur ab interiore ex luce graduum superiorum discrete, sed in se continue. Ex his patet, quod homo, quamdiu in mundo vivit, et per id in naturali gradu est, non possit elevari in ipsam sapientiam, qualis illa est apud angelos, sed modo in lucem superiorem usque ad angelos, ac recipere illustrationem ab illorum luce, quae ab interiori influit ac illuminat. Sed haec non possunt adhuc clarius describi ; potest melius comprehendi ab effectibus, nam effectus ponunt causas, dum hae aliquantum prius sciuntur, in se in luce, et sic illustrant.

257. Effectus sunt : (1.) Quod mens naturalis possit usque ad lucem caeli, in qua sunt angeli, elevari, ac naturaliter percipere quae angeli spiritualiter, ita non tam plene ; sed usque non potest mens naturalis hominis elevari in ipsam lucem angelicam. (2.) Quod homo per naturalem suam mentem elevatam ad lucem caeli cum angelis possit cogitare, immo loqui ; sed tunc influit cogitatio et loquela angelorum in cogitationem et loquelam naturalem hominis, et non vicissim ; quare angeli cum homine loquuntur lingua naturali, quae est hominis vernacula. (3.) Quod hoc fiat per influxum spiritualem in naturalem, et non per aliquem influxum naturalem in spiritualem. (4.) Quod sapientia humana, quae est naturalis quamdiu homo in mundo naturali vivit, nullatenus possit elevari in sapientiam angelicam, sed modo in quandam imaginem ejus ; causa est, quia elevatio mentis naturalis fit per continuum, sicut ab umbra ad lucem, seu a crassiori ad purius. At usque homo, apud quem gradus spiritualis apertus est, in illam sapientiam venit quando moritur, et quoque in illam venire potest per sopitionem sensationum corporis, et tunc per influxum e superiori in mentis hujus spiritualia. (5.) Mens naturalis hominis consistit ex substantiis spiritualibus, et simul ex substantiis naturalibus : ex substantiis ejus spiritualibus fit cogitatio, non autem ex substantiis naturalibus ; hae substantiae recedunt cum homo moritur, non autem substantiae spirituales ; quare eadem illa mens post mortem, dum homo fit spiritus seu angelus, in simili forma manet in qua fuit in mundo. (6.) Substantiae illius mentis naturales, quae

ut dictum est, per mortem recedunt, faciunt involucrum cutaneum corporis spiritualis, in quo sunt spiritus et angeli. Per involucrum tale, quod desumptum est ex mundo naturali, subsistunt corpora illorum spiritualia, naturale enim est ultimum continens: inde est, quod non sit aliquis spiritus et angelus, qui non fuerat natus homo. Haec arcana sapientiae angelicae hic adducuntur, ut sciatur, qualis est mens naturalis apud hominem, de qua ulterius in sequentibus etiam agitur.

258. Omnis homo nascitur in facultatem intelligendi vera usque ad intimum gradum, in quo sunt angeli tertii caeli; intellectus enim humanus assurgens per continuum circum binos superiores gradus recipit lucem sapientiae illorum graduum, eo modo quo supra (n. 256) dictum est. Inde est, quod homo possit rationalis fieri secundum elevationem; si elevatur ad gradum tertium, fit ille rationalis ex tertio gradu; si elevatur ad gradum secundum, fit ille rationalis ex secundo gradu; et si non elevatur, est ille rationalis in primo gradu. Dicitur quod fiat rationalis ex illis gradibus, quia naturalis gradus est commune receptaculum lucis illorum. Quod homo non fiat rationalis usque ad summum, sicut potest fieri, est quia amor, qui est voluntatis, non similiter ut sapientia quae est intellectus, potest elevari. Amor qui est voluntatis elevatur solum per fugere mala ut peccata, et tunc per bona charitatis, quae sunt usus, quae homo ex Domino dein praestat. Quare si amor qui est voluntatis non simul elevatur, sapientia quae est intellectus, utcunque ascenderit, usque ad amorem suum relabitur. Inde est, quod homo, si non amor ejus in gradum spiritualem simul elevatur, usque non sit rationalis nisi in ultimo gradu. Ex his constare potest, quod rationale hominis sit in apparentia sicut trium graduum; rationale ex caelesti, rationale ex spirituali, et rationale ex naturali; tum quod rationalitas, quae est facultas quod possit elevari, sive elevetur sive non, usque apud hominem sit.

259. Dictum est quod omnis homo nascatur in facultatem illam, seu in rationalitatem; sed intelligitur omnis homo apud quem externa, per aliqua contingentia, vel in utero, vel post nativitatem ex morbo, vel ex inflicto capiti vulnere, vel ex vesano amore erumpente et relaxante repagula, non laesa sunt: apud hos rationale non potest elevari; vita enim, quae est voluntatis et intellectus, apud hos non

habet terminos, in quos desinat, ita dispositos, ut secundum ordinem possit ultimos actus agere; agit enim secundum determinationes ultimas, sed non ex illis. Quod nec dari possit apud infantes et pueros, videatur infra (n. 266 fin.).

QUOD MENS NATURALIS, QUIA EST CONTEGENS ET CONTINENS GRADUUM SUPERIORUM MENTIS HUMANAE, SIT REAGENS; ET QUOD SI NON APERIUNTUR GRADUS SUPERIORES, AGAT CONTRA ILLOS; AT SI APERIUNTUR, AGAT CUM ILLIS.

260. In praecedente articulo ostensum est, quod mens naturalis, quia in ultimo gradu est, circumtegat et includat mentem spiritualem et mentem caelestem, quae superiores sunt quoad gradus. Hic nunc demonstrandum venit, quod mens naturalis reagat contra mentes superiores seu interiores. Causa quod reagat, est quia circumtegit, includit et continet illos, et hoc absque reactione non potest fieri; nam nisi reageret, interiora seu inclusa relaxarent se, ac truderent se foras, et sic dilaberentur. Foret sicut nisi tunicae circum corpus humanum [1]in reactione essent, viscera, quae interiora corporis sunt, se ejicerent, et sic diffluerent; ac foret sicut membrana circumtegens fibras motrices musculi, non reageret contra vires fibrarum istarum in actionibus, desineret non modo actio, sed etiam textus interiores omnes resolverentur. Simile est cum omni ultimo gradu graduum altitudinis: consequenter cum mente naturali respective ad gradus superiores; nam, ut supra dictum est, sunt tres gradus mentis humanae, naturalis, spiritualis et caelestis, et mens naturalis est in ultimo gradu. Quod mens naturalis reagat contra mentem spiritualem, est quoque causa, quia mens naturalis consistit non modo ex substantiis mundi spiritualis, sed etiam ex substantiis mundi naturalis, ut supra (n. 257) dictum est; ac substantiae mundi naturalis ex sua natura reagunt contra substantias mundi spiritualis; substantiae enim mundi naturalis in se sunt mortuae, et aguntur ab extra a substantiis mundi spiritualis; et quae mortuae sunt, et ab extra aguntur, ex sua natura resistunt, et sic ex sua natura reagunt. Ex his constare potest, quod homo naturalis reagat contra hominem spiritualem,

et quod pugna sit. Idem est, si dicatur homo naturalis et spiritualis, sive dicatur mens naturalis et spiritualis.

261. Ex his constare potest, quod si mens spiritualis occlusa sit, mens naturalis continue agat contra illa quae mentis spiritualis sunt, ac timeat quod aliquid inde influat, quod suos status perturbet. Omne id quod per mentem spiritualem influit, est e caelo, nam mens spiritualis est in forma caelum ; et omne quod in mentem naturalem influit, est e mundo, nam mens naturalis est in forma mundus ; ex quo sequitur, quod mens naturalis, quando mens spiritualis occlusa est, reagat contra omnia caeli, nec in se admittat illa, nisi quantum ei [inserviunt] pro mediis ad sibi comparandum et ad possidendum illa quae mundi sunt ; et quando illa quae caeli sunt, et inserviunt pro mediis naturali menti ad suos fines, tunc media illa, tametsi apparent caelestia, usque fiunt naturalia ; finis enim qualificat illa, fiunt enim sicut scientifica naturalis hominis, in quibus intus nihil vitae est. Sed quia caelestia non ita possunt conjungi naturalibus, ut unum agant, ideo separant se, ac caelestia apud mere naturales homines se reponunt ab extra in circuitu circum naturalia quae intra sunt. Inde est, quod homo mere naturalis possit loqui et praedicare caelestia, et quoque per actus simulare illa, tametsi intus cogitat contra illa ; hoc facit cum solus est, illud autem cum in coetu est. Sed de his plura in sequentibus.

262. Mens seu homo naturalis ex reactione sibi connata agit contra illa quae mentis seu hominis spiritualis sunt, cum se et mundum super omnia amat ; tunc etiam jucundum sentit in malis omnis generis, ut in adulteriis, in defraudationibus, in vindictis, inque blasphemationibus, et in similibus aliis ; et quoque tunc naturam ut creatricem universi agnoscit ; et omnia per rationale suum confirmat ; et post confirmationes bona et vera caeli et ecclesiae vel pervertit, vel suffocat, vel reflectit, et tandem illa vel fugit, vel aversatur, vel odio habet. Hoc in spiritu suo, et tantum in corpore, quantum ex spiritu suo cum aliis absque timore jacturae famae propter honorem et lucrum, audet loqui. Quando homo talis est, tunc mentem spiritualem successive arctius et arctius occludit ; confirmationes mali per falsa imprimis occludunt. Inde est quod malum et falsum confirmatum post mortem non exstirpari possit ; exstirpatur modo in mundo per paenitentiam.

263. At prorsus alius status est mentis naturalis, cum mens spiritualis aperta est: disponitur tunc mens naturalis ad obsequium mentis spiritualis, et subordinatur; agit enim mens spiritualis a superiori seu ab interiori in mentem naturalem, ac removet illa quae ibi reagunt; et adaptat sibi illa, quae secum similiter agunt; inde successive tollitur reactio superans. Sciendum est, quod in maximis et minimis universi, tam vivis quam mortuis, sit actio et reactio; inde est omnium aequilibrium: hoc tollitur cum actio superat reactionem, et vicissim. Simile est cum mente naturali et cum mente spirituali. Quando mens naturalis ex sui amoris jucundis, et ex suae cogitationis amoenis, quae in se sunt mala et falsa, agit, tunc reactio mentis naturalis removet illa quae mentis spiritualis sunt, ac obstipat fores ne intrent, et facit ut actio fiat ex talibus quae cum reactione ejus concordant. Ita fit actio et reactio mentis naturalis, quae opposita est actioni et reactioni mentis spiritualis. Inde fit occlusio mentis spiritualis sicut retorsio spirae. At si aperitur mens spiritualis, tunc invertitur actio et reactio mentis naturalis: agit enim mens spiritualis a superiori aut interiori, et simul per illa quae ad obsequium ejus disposita sunt in mente naturali ab interiori aut exteriori, et retorquet spiram, in qua est actio et reactio mentis naturalis; est enim haec mens ex nativitate in opposito contra illa quae mentis spiritualis sunt; hoc trahit per hereditatem a parentibus, ut notum est. Talis est mutatio status, quae vocatur reformatio et regeneratio. Status mentis naturalis ante reformationem comparari potest spirae torquenti seu circumflectenti se deorsum; at post reformationem comparari potest spirae torquenti seu circumflectenti se sursum; quare homo ante reformationem spectat deorsum ad infernum, at post reformationem spectat sursum ad caelum.

Quod origo mali sit ex abusu facultatum, quae hominis propriae sunt, et vocantur rationalitas et libertas.

264. Per rationalitatem intelligitur facultas intelligendi vera et inde falsa, ac bona et inde mala; et per

libertatem intelligitur facultas illa libere cogitandi, volendi et faciendi. Ex praecedentibus constare potest, et ex sequentibus ulterius constabit, quod hae duae facultates cuivis homini a creatione et inde a nativitate sint, et quod sint a Domino; et quod non auferantur; et quod ex illis sit apparentia quod homo cogitet, loquatur, velit et faciat sicut ex se; et quod Dominus in illis facultatibus habitet apud unumquemvis hominem; et quod homo ex conjunctione illa vivat in aeternum; et quod homo per illas, et non absque illis, reformari et regenerari possit; tum quod homo per illas distinguatur a bestiis.

265. Quod origo mali sit ex abusu illarum facultatum, dicetur in hoc ordine:—

(i.) *Quod malus homo aeque ac bonus duabus illis facultatibus gaudeat.*
(ii.) *Quod malus homo abutatur illis ad confirmandum mala et falsa, ac quod bonus homo utatur illis ad confirmandum bona et vera.*
(iii.) *Quod mala et falsa confirmata apud hominem permaneant, ac fiant amoris et inde vitae ejus.*
(iv.) *Quod illa quae facta sunt amoris et vitae, ingenerentur proli.*
(v.) *Quod omnia mala tam ingenerata quam superinducta in mente naturali resideant.*

266. (i.) *Quod malus homo aeque ac bonus duabus illis facultatibus gaudeat.*—Quod mens naturalis possit quoad intellectum elevari usque ad lucem in qua sunt angeli tertii caeli, ac videre vera, agnoscere illa, et dein loqui illa, in praecedente articulo ostensum est. Ex quo patet, quod quia mens naturalis ita potest elevari, aeque malus homo quam bonus homo facultate illa, quae vocatur rationalitas, gaudeat: et quia mens naturalis potest in tantum elevari, sequitur, quod etiam possit cogitare et loqui illa. Quod autem possit velle et facere illa, tametsi non vult et facit, hoc testatur ratio et experientia. *Ratio:* Quis non potest velle et facere quae cogitat? Sed quod non velit et faciat, sit quod non amet illa velle et facere. Quod possit velle et facere est libertas, quae cuivis homini a Domino est; sed quod non velit et faciat bonum, cum potest, est ex amore mali, qui repugnat; cui tamen potest resistere, et quoque plures resistunt. Hoc *ab experientia* in mundo spirituali aliquoties confirmatum est. Audivi spiritus malos, qui intus diaboli erant, et qui vera caeli et ecclesiae in mundo reje-

cerunt: illi, dum affectio sciendi, in qua est omnis homo a pueritia, per gloriam, quae quemvis amorem sicut splendor ignis ambit, excitata fuit, tunc illi perceperunt arcana sapientiae angelicae, aeque bene ac perceperunt illa spiritus boni qui intus angeli erant. Immo spiritus illi diabolici dixerunt, quod quidem possint velle et facere secundum illa, sed quod non velint. Cum dictum est illis, quod velint illa, modo fugiant mala ut peccata, dixerunt quod etiam id possint, sed quod non velint. Ex quo patuit, quod malis aeque ac bonis sit facultas quae vocatur libertas: consulat quisque se, et animadvertet quod ita sit. Quod homo possit velle, est quia Dominus, a quo est facultas illa, continue dat ut possit; nam supra dictum est, Dominus in binis illis facultatibus apud unumquemvis hominem habitat, ita in facultate seu in potentia quod possit velle. Quod facultatem intelligendi, quae vocatur rationalitas, concernit, illa non datur apud hominem, priusquam mens ejus naturalis venit ad suam aetatem; interea est sicut semen in fructu immaturo, quod non potest in terra aperiri, et in virgultum excrescere. Facultas illa nec datur apud illos de quibus supra (n. 259).

267. (ii.) *Quod malus homo abutatur illis facultatibus ad confirmandum mala et falsa, et bonus homo utatur illis ad confirmandum bona et vera.*—Ex facultate intellectuali quae vocatur rationalitas, et ex facultate voluntaria quae vocatur libertas, trahit homo quod confirmare possit quicquid vult; naturalis enim homo potest elevare intellectum suum ad superiorem lucem quousque desiderat; sed qui in malis et inde falsis est, non elevat illum altius quam in superiorem regionem naturalis suae mentis, et raro ad regionem mentis spiritualis. Causa est, quia in jucundis amoris naturalis suae mentis est; et si supra illam elevat, perit jucundum amoris ejus: si altius elevatur, et videt vera opposita jucundis vitae suae, aut principiis propriae intelligentiae suae, tunc vel falsificat illa, vel praeterit, et ex contemptu relinquit illa, vel retinet in memoria, ut inserviant amori vitae suae, aut fastui propriae intelligentiae suae, pro mediis. Quod naturalis homo possit confirmare quicquid vult, patet manifeste ex tot haeresibus in Christiano orbe, quarum quaelibet confirmatur a suis. Quod mala et falsa omnis generis possint confirmari, quis non novit? Confirmari potest, et quoque a malis apud

se confirmatur, quod Deus non sit, et quod natura sit omne, et quod se ipsam creaverit ; quod religio sit modo medium, quo animi simplices teneantur in vinculis ; quod prudentia humana faciat omnia, et quod Divina providentia nihil praeter quod universum in ordine, in quo creatum est, sustineat ; tum quod neces, adulteria, furta, fraudes, ac vindictae sint licita, secundum Macchiavellum et ejus asseclas. Haec et similia plura naturalis homo confirmare, immo libros confirmationibus implere potest ; et cum confirmata sunt, tunc falsa illa apparent in luce sua fatua, et vera in tali umbra, ut non possint videri, nisi sicut larvae tempore noctis. Verbo, sume falsissimum, et da illud in propositionem, et dic ingenioso, "Confirma," et confirmabit usque ad plenam exstinctionem lucis veri ; sed sepone confirmationes, redi, et specta ipsam propositionem ex rationalitate tua, et videbis falsum ejus in sua deformitate. Ex his constare potest, quod homo possit abuti duabus illis facultatibus, quae a Domino apud illum sunt, ad confirmandum mala et falsa omnis generis. Hoc non potest aliqua bestia, quia non facultatibus illis gaudet ; quare bestia in omnem ordinem suae vitae, et in omnem scientiam amoris sui naturalis, nascitur, secus ac homo.

268. (iii.) *Quod mala et falsa confirmata apud hominem permaneant, ac fiant amoris et vitae ejus.*—Confirmationes mali et falsi non sunt aliud quam remotiones boni et veri, et si increscunt sunt rejectiones, nam malum removet et rejicit bonum, ac falsum verum : inde etiam confirmationes mali et falsi sunt occlusiones caeli, nam omne bonum et verum a Domino per caelum influit ; et cum caelum clausum est, tunc homo in inferno est, et ibi in societate ubi simile malum et falsum regnat, a quo dein eximi nequit. Datum est loqui cum aliquibus, qui ante saecula apud se confirmaverunt falsa religionis suae, et vidi quod in iisdem, similiter ut in illis fuerunt in mundo, permaneant : causa est, quia omnia, quae homo apud se confirmat, fiunt amoris et vitae ejus ; fiunt amoris, quia fiunt voluntatis et intellectus, ac voluntas et intellectus faciunt vitam cujusvis ; et cum fiunt vitae hominis, fiunt non solum totius mentis ejus sed etiam totius corporis ejus. Inde patet, quod homo, qui se confirmaverat in malis et falsis, a capite ad calcem sit talis ; et cum totus talis est, non potest per aliquam inversionem aut retor-

sionem redigi in statum ei oppositum, et sic ab inferno extrahi. Ex his et ex praecedentibus in hoc articulo videri potest, unde origo mali est.

269. (iv.) *Quod illa, quae facta sunt amoris et inde vitae, ingenerentur proli.*—Notum est, quod homo nascatur in malum, et quod id trahat ut hereditarium a parentibus: et a quibusdam creditur, quod non a parentibus, sed per parentes ex Adamo; sed hoc est error. Trahit id a patre, a quo est ei anima, ac induitur corpore apud matrem; semen enim, quod est ex patre, est primum receptaculum vitae, sed tale receptaculum quale fuit apud patrem, est enim in forma amoris ejus, et amor cujusvis in maximis et minimis sibi similis est, et est in illo conatus in formam humanam, in quam etiam abit successive; inde sequitur, quod mala, quae vocantur hereditaria, sint a patribus, ita ab avis et atavis successive derivata in progenies. Hoc etiam experientia docet, est enim quoad affectiones similitudo gentium cum primo genitore suo, et magis similitudo familiarum, et adhuc magis similitudo domuum; immo talis similitudo, ut internoscantur generationes non modo ab animis, sed etiam a faciebus. Sed de ingeneratione amoris mali a parentibus in proles, in sequentibus, ubi de correspondentia mentis, seu voluntatis et intellectus, cum corpore et ejus membris et organis, plura dicentur. Hic solum haec pauca allata sunt, ut sciatur, quod mala a parentibus successive deriventur, et quod per accumulationes unius post alterum increscant, usque ut homo ex nativitate non sit nisi quam malum: et quod malignitas mali crescat secundum gradum occlusionis mentis spiritualis, sic enim mens naturalis etiam superius clauditur; et quod hoc in posteris non restituatur, nisi per fugere mala ut peccata ex Domino; sic non aliter aperitur mens spiritualis, et per illud mens naturalis in formam correspondentem reducitur.

270. (v.) *Quod omnia mala et inde falsa, tam ingenerata quam superinducta, in mente naturali resideant.*—Quod mala et inde falsa in mente naturali resideant, est quia illa mens est in forma seu in imagine mundus; mens autem spiritualis est in forma seu in imagine caelum, et in caelo non potest hospitari malum: quare haec mens a nativitate non est aperta, sed modo in potentia ut aperiri possit. Mens naturalis ducit suam formam etiam

quoad partem a substantiis mundi naturalis, sed mens spiritualis solum a substantiis mundi spiritualis; quae in sua integritate a Domino conservatur, ut homo possit fieri homo; nascitur enim animal, sed fit homo. Mens naturalis cum omnibus ejus circumflexa est in gyros a dextro ad sinistrum, mens autem spiritualis in gyros a sinistro ad dextrum: ita mentes illae sunt in contrario versu ad se invicem; indicium, quod malum in mente naturali resideat, et quod ex se agat contra mentem spiritualem: ac circumgyratio a dextro ad sinistrum est versa deorsum, ita versus infernum, at circumgyratio a sinistro ad dextrum vadit sursum, ita versus caelum. Quod ita sit, patuit mihi ab hac experientia, quod malus spiritus corpus suum non circumgyrare possit a sinistro ad dextrum, sed a dextro ad sinistrum; spiritus autem bonus aegre potest circumgyrare corpus a dextro ad sinistrum, sed facile a sinistro ad dextrum. Circumgyratio sequitur fluxum interiorum quae mentis sunt.

QUOD MALA ET FALSA IN OMNI OPPOSITO SINT CONTRA BONA ET VERA, QUIA MALA ET FALSA SUNT DIABOLICA ET INFERNALIA, AC BONA ET VERA SUNT DIVINA ET CAELESTIA.

271. Quod malum et bonum sint opposita, tum falsum mali et verum boni, quisque dum audit id, agnoscit; sed quia illi qui in malo sunt, non sentiunt et inde non percipiunt aliter, quam quod malum sit bonum,—malum enim jucundat illorum sensus, imprimis visum et auditum, et inde etiam jucundat cogitationes et sic perceptiones,—ideo agnoscunt quidem quod malum et bonum sint opposita, sed cum in malo sunt, ex jucundo ejus dicunt malum esse bonum, et vicissim. Sit pro exemplo: qui libertate sua ad cogitandum et ad faciendum malum abutitur, ille vocat id libertatem, ac oppositum ejus, quod est cogitare bonum quod in se bonum est, servitutem; cum tamen hoc vere liberum est, illud autem servum. Qui adulteria amat, vocat adulterari liberum, ac non licere adulterari vocat servum; sentit enim in lascivia jucundum, et in castitate injucundum. Qui in amore dominandi ex amore sui est, is in amore illo sentit jucundum vitae excedens jucunda

alia cujusvis generis; inde omne id quod amoris illius est vocat bonum, et declarat malum omne id quod ei contrariatur; cum tamen oppositum est. Simile est cum omni alio malo. Quare tametsi quisque agnoscit, quod malum et bonum sint opposita, usque illi qui in malis sunt, contrariam ideam de oppositione illa fovent, et non alii justam quam qui in bonis sunt. Nemo dum est in malo potest videre bonum; sed qui est in bono, potest videre malum. Malum est infra sicut in spelunca, bonum est supra sicut in monte.

272. Nunc quia a multis nescitur quale est malum, et quod prorsus oppositum sit bono, et tamen interest ut sciatur, ideo haec res in hoc ordine lustranda est:—

(i.) *Quod mens naturalis, quae in malis et inde falsis est, sit forma et imago inferni.*
(ii.) *Quod mens naturalis, quae est forma et imago inferni, descendat per tres gradus.*
(iii.) *Quod tres gradus mentis naturalis, quae est forma et imago inferni, sint oppositi tribus gradibus mentis spiritualis, quae est forma et imago caeli.*
(iv.) *Quod mens naturalis quae est infernum, in omni opposito sit contra mentem spiritualem quae est caelum.*

273. (i.) *Quod mens naturalis, quae in malis et inde falsis est, sit forma et imago inferni.*—Qualis mens naturalis in sua forma substantiali est apud hominem, seu qualis est in sua forma ex substantiis utriusque mundi contexta in cerebris, ubi illa mens in suis primis residet, hic non describi potest: universalis idea de illa forma in sequentibus, ubi de correspondentia mentis et corporis agendum est, dabitur. Hic solum aliquid dicetur de forma ejus quoad status et eorum mutationes, per quas sistuntur perceptiones, cogitationes, intentiones, voluntates, et quae illarum sunt; nam mens naturalis quae in malis et inde falsis est, quoad illas est forma et imago inferni. Haec forma ponit formam substantialem ut subjectum, status enim mutationes absque forma substantiali, quae subjectum, non dari possunt; prorsus sicut visus non absque oculo, et auditus absque aure. Quod itaque formam seu imaginem, qua mens naturalis refert infernum, attinet, est illa forma et imago talis, quod amor regnans cum ejus concupiscentiis, qui est status universalis hujus mentis, sit sicut in inferno est Diabolus; et quod cogitationes falsi ex amore illo regnante oriundae, sint sicut Diaboli turba; per Diabolum et per ejus turbam, nec aliud in Verbo intelligitur. Simi-

lis etiam res est ; nam in inferno est amor dominandi ex amore sui, amor regnans ; hic ibi vocatur Diabolus, ac affectiones falsi cum cogitationibus ex illo amore oriundae vocantur ejus turba : simile est in unaquavis societate inferni, cum differentiis, quales sunt differentiae specificae unius generis. In simili forma est quoque mens naturalis quae in malis et inde falsis est ; quare etiam homo naturalis qui talis est, post mortem in societatem inferni sibi similem venit, et tunc in omnibus et in singulis unum cum illa agit ; venit enim in suam formam ; hoc est in suae mentis status. Est quoque alius amor, qui vocatur Satanas, subordinatus priori amori qui vocatur Diabolus ; ille est amor possidendi bona aliorum quacunque arte mala ; malitiae ingeniosae et astutiae sunt ejus turba. Qui in hoc inferno sunt, illi in genere vocantur satanae, et qui in priori, illi in genere vocantur diaboli ; et qui non clandestine ibi agunt, non renuunt suum nomen ; inde est, quod inferna in composito appellentur Diabolus et Satanas. Quod duo inferna secundum duos illos amores in genere distincta sint, est quia omnes caeli in duo regna, caeleste et spirituale, secundum duos amores distincti sunt ; ac infernum diabolicum ex opposito correspondet regno caelesti, ac infernum satanicum ex opposito correspondet regno spirituali. Quod caeli in duo regna, caeleste et spirituale, distincti sint, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. [1]20–28). Quod mens naturalis quae talis est, sit in forma infernum, est quia omnis forma spiritualis in maximis et minimis est sibi similis ; inde est, quod unusquisque angelus sit caelum in minore forma, ut quoque in opere *De Caelo et Inferno* (n. 51–58), ostensum est ; ex hoc etiam sequitur, quod unusquisque homo seu spiritus, qui est diabolus vel satanas, sit infernum in minore forma.

274. (ii.) *Quod mens naturalis, quae est forma seu imago inferni, descendat per tres gradus.*—Quod in omnium maximis et minimis sint duplicis generis gradus, qui vocantur altitudinis et latitudinis, videatur supra (n. 222–229) ; ita quoque mens naturalis in suis maximis et minimis : hic intelliguntur gradus altitudinis. Mens naturalis ex binis suis facultatibus, quae vocantur rationalitas et libertas, in eo statu est, ut possit per tres gradus ascendere, et per tres gradus descendere ; ascendit ex bonis et veris, et descendit ex malis et falsis ; et dum ascendit, clauduntur gradus inferiores qui tendunt ad infernum, ac dum de-

scendit, clauduntur gradus superiores qui tendunt ad caelum. Causa est, quia in reactione sunt. Tres illi gradus superiores et inferiores non aperti sunt nec clausi in homine recens nato; est enim tunc in ignorantia boni et veri, ac mali et falsi; sed sicut in illa se mittit, ita gradus aperiuntur et clauduntur vel ab una parte vel ab altera. Cum aperiuntur versus infernum, tunc supremum seu intimum locum sortitur amor regnans qui est voluntatis; alterum seu medium locum sortitur cogitatio falsi, quae intellectus est ex illo amore; ac infimum locum sortitur conclusum amoris per cogitationem, seu voluntatis per intellectum. Est etiam simile hic sicut est cum gradibus altitudinis, de quibus prius, quod in ordine sint sicut finis, causa, et effectus, aut sicut finis primus, medius et ultimus. Descensus horum graduum est versus corpus; inde illi in descensu crassescunt, et fiunt materiales et corporei. Si vera ex Verbo in secundo gradu ad formandum illum adsciscuntur, tunc illa vera ex primo gradu, qui est amor mali, falsificantur, ac fiunt famulitia et mancipia; ex quo constare potest, qualia fiunt vera ecclesiae ex Verbo apud illos qui in amore mali sunt, seu quorum mens naturalis est in forma infernum; quod quia inserviunt diabolo pro mediis, profanentur; amor enim mali regnans in naturali mente, quae est infernum, est Diabolus; ut supra dictum est.

275. (iii.) *Quod tres gradus mentis naturalis, quae est forma et imago inferni, oppositi sint tribus gradibus mentis spiritualis, quae est forma et imago caeli.*—Quod tres gradus mentis sint, qui dicuntur naturalis, spiritualis et caelestis, et quod mens humana ex illis gradibus consistens spectet versus caelum, et circumflectat se illuc, supra ostensum est; inde videri potest, quod mens naturalis, dum spectat deorsum, et se circumflectit versus infernum, similiter ex tribus gradibus consistat, et quod quivis gradus ejus oppositus sit gradui mentis quae est caelum. Quod ita sit patuit mihi manifeste ex illis quae visa sunt in mundo spirituali; quae sunt, quod tres caeli sint, et illi secundum tres gradus altitudinis distincti, et quod tria inferna sint, ac illa secundum tres gradus altitudinis seu profunditatis etiam distincta; et quod inferna caelis in omnibus et singulis opposita sint: tum quod infernum imum oppositum sit caelo supremo, quod infernum medium oppositum sit caelo medio, et quod infernum summum oppositum sit caelo ultimo. Simile est cum mente naturali, quae in

forma inferni est; formae enim spirituales sunt sibi similes in maximis et in minimis. Quod caeli et inferni ita in opposito sint, est quia amores illorum ita oppositi sunt. Amor in Dominum, et inde amor erga proximum, faciunt intimum gradum in caelis; at amor sui et amor mundi faciunt intimum gradum in infernis: sapientia ac intelligentia ex suis amoribus faciunt medium gradum in caelis; at stultitia et insania, quae apparent sicut sapientia et intelligentia, ex suis amoribus faciunt medium gradum in infernis: conclusa autem ex binis suis gradibus, quae vel reponuntur in memoria ut scientiae, vel determinantur in corpore in actus, faciunt ultimum gradum in caelis; conclusa ex binis suis gradibus, quae vel fiunt scientiae, vel fiunt actus, faciunt extimum gradum in infernis. Quomodo bona et vera caeli in mala et falsa, ita in oppositum, vertuntur in infernis, constare potest ex hac experientia. Audivi quod Divinum aliquod verum e caelo defluxerit in infernum, et audivi quod illud in via in descensu per gradus conversum sit in falsum, ita ad infernum infimum in prorsus oppositum; ex quo patuit, quod inferna secundum gradus sint in opposito ad caelos quoad omnia bona et vera, et quod fiant mala et falsa per influxum in formas in contrarium versas; nam quod omne influens percipiatur et sentiatur secundum formas recipientes et illarum status, notum est. Quod in oppositum versa sint, patuit mihi etiam ab hac experientia: datum est videre inferna in situ suo respective ad caelos, et apparuerunt illi qui ibi erant inversi, capite deorsum et pedibus sursum; sed dictum est, quod usque appareant sibi ipsis erecti super pedibus; quod comparari potest cum [1]antipodibus. Ex his experientiae documentis constare potest, quod tres gradus mentis naturalis, quae in forma et imagine est infernum, sint oppositi tribus gradibus mentis naturalis quae in forma et imagine est caelum.

276. (iv.) *Quod mens naturalis quae infernum, in omni opposito sit contra mentem spiritualem quae caelum.*—Quando amores sunt oppositi, tunc omnia quae perceptionis sunt, fiunt opposita; ex amore enim, qui ipsam vitam hominis facit, fluunt omnia reliqua, sicut rivi a suo fonte: illa quae non inde sunt, in mente naturali se separant ab illis quae inde sunt. Illa quae ex amore ejus regnante sunt, in medio sunt, et reliqua ad latera. Haec si vera

ecclesiae ex Verbo sunt, a medio remotius ad latera ablegantur, et tandem exterminantur, et tunc homo seu mens naturalis percipit malum sicut bonum, et videt falsum sicut verum, ac vicissim. Ex eo est, quod malitiam credat sapientiam, insaniam intelligentiam, astutiam prudentiam, artes malas ingeniositatem; et tunc quoque Divina et caelestia, quae sunt ecclesiae et cultus, facit nihili, ac corporea et mundana facit maximi. Ita invertit statum vitae suae, ut quod capitis est, faciat plantae pedis, et proculcet, et quod plantae pedis est, faciat capitis. Sic homo a vivo fit mortuus. Vivus dicitur cujus mens est caelum; ac mortuus, cujus mens est infernum.

QUOD OMNIA, QUAE TRIUM GRADUUM MENTIS NATURALIS SUNT, OPERIBUS, QUAE FIUNT PER ACTUS CORPORIS, INCLUSA SINT.

277. Per scientiam graduum, quae in hac Parte tradita est, detegitur hoc arcanum, quod omnia mentis seu voluntatis et intellectus hominis, in actibus seu in operibus ejus sint, inclusa, vix aliter quam conspicua et inconspicua in semine, in fructu, aut in ovo. Ipsi actus seu opera non aliter apparent quam sicut illa in externis, sed usque in internis sunt innumerabilia; sunt enim vires fibrarum motricium totius corporis quae concurrunt, et sunt omnia mentis quae vires illas excitant et determinant, quae quod sint trium graduum, supra ostensum est. Et quia sunt omnia mentis, sunt omnia voluntatis seu omnes affectiones amoris hominis, quae primum gradum constituunt; sunt omnia intellectus, seu omnes cogitationes perceptionis ejus, quae secundum gradum faciunt; et sunt omnia memoriae, seu omnes ideae cogitationis, quae proxima loquelae est, inde desumptae, quae tertium gradum sistunt. Ex his in actum determinatis existunt opera, in quibus in externa forma visis non apparent priora, quae tamen actualiter insunt. Quod ultimum sit complexus, continens et basis priorum, videatur supra (n. 209–216): et quod gradus altitudinis in suo ultimo sint in pleno (n. 217–221).

278. Quod actus corporis ab oculo spectati appareant

ita simplices et uniformes sicut in externa forma semina, fructus, ova, et sicut nuces et amygdalae in nucleo, et usque in se contineant omnia priora ex quibus sunt, est quia omne ultimum est circumtectum, et per id distinctum a prioribus; unusquisque etiam gradus est circumcinctus velamine, et per id distinctus ab altero: quare illa quae primi gradus sunt non noscuntur a secundo gradu, nec ea quae hujus gradus sunt noscuntur a tertio. Sicut pro exemplo: amor voluntatis, qui est primus gradus mentis, in sapientia intellectus, quae est secundus gradus mentis, non noscitur nisi quam per quoddam jucundum cogitationis rei: primus gradus, qui, ut dictum est, est amor voluntatis, in scientia memoriae, quae est tertius gradus, non noscitur quam per quoddam amoenum sciendi et loquendi. Ex his consequitur, quod opus, quod est actus corporis, includat omnia illa, tametsi in externa forma apparet simplex sicut unum.

279. Hoc confirmatur per haec: quod angeli qui apud hominem sunt, [1]percipiant singillatim illa quae ex mente in actu sunt; angeli spirituales illa quae inibi ex intellectu sunt, ac angeli caelestes illa quae inibi ex voluntate sunt. Hoc apparet ut paradoxon, sed usque est verum. At sciendum est, quod illa mentis quae sunt rei propositae seu praesentis, sint in medio, et reliqua circumcirca secundum affinitates. Angeli dicunt, quod ex singulo opere percipiatur homo qualis est, sed in varia similitudine sui amoris, secundum determinationes ejus in affectiones et inde in cogitationes. Verbo, omnis actus seu omne opus hominis spiritualis coram angelis est sicut fructus sapidus, utilis et pulcher, qui reclusus et comestus dat saporem, usum, et delicias. Quod angelis talis perceptio actuum et operum hominis sit, videatur etiam supra (n. 220).

280. Simile est cum loquela hominis. Angeli ex sono loquelae noscunt amorem hominis, ex articulatione soni sapientiam ejus, et ex sensu vocum scientiam ejus. Et amplius dicunt, quod illa tria in unaquavis voce sint, quia vox est sicut conclusum, est enim inibi sonus, articulatio, et sensus. Ab angelis tertii caeli mihi dictum est, quod ex quavis voce loquentis in serie, percipiant statum animi ejus communem, et quoque aliquos status particulares. Quod in singulis vocibus Verbi [2]sit spirituale, quod est

Divinae sapientiae, ac caeleste quod est Divini amoris, et quod illa percipiantur ab angelis, cum Verbum sancte legitur ab homine, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra*, multis ostensum est.

281. Ex his concluditur, quod in operibus hominis, cujus mens naturalis per tres gradus descendit in infernum, sint omnia mala et falsa mali ejus; et quod in operibus hominis, cujus mens naturalis in caelum ascendit, sint omnia bona et vera ejus; et quod haec et illa percipiantur ab angelis ex sola loquela et ex sola actione hominis. Inde est, quod in Verbo dicatur, quod homo secundum opera sua judicandus sit; et quod rationem vocum suarum redditurus sit.

Pars Quarta.

Quod Dominus ab aeterno, qui est Jehovah, creaverit universum et omnia ejus a Se Ipso, et non a nihilo.

282. In universo terrarum orbe notum est, et ab omni sapiente ex interiori perceptione agnitum, quod Deus unus sit, qui Creator universi; et ex Verbo notum est, quod Deus Creator universi dicatur *Jehovah*, ex Esse, quia solus Est. Quod Dominus ab aeterno sit ille Jehovah, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* multis ex Verbo demonstratum est. Jehovah vocatur Dominus ab aeterno, quia Jehovah assumpsit Humanum, ut salvaret homines ab inferno; et tunc mandavit discipulis, ut Ipsum vocarent Dominum: quare Jehovah in Novo Testamento vocatur Dominus, ut constare potest ex hoc,

"Amabis Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua," *Deut.* vi. 5;

et in Novo Testamento,

"Amabis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua," *Matth.* xxii. 35.

Similiter in aliis locis ex Veteri Testamento desumptis apud Evangelistas.

283. Omnis qui ex ratione clara cogitat, videt quod universum non creatum sit ex nihilo, quoniam videt quod non aliquid possit ex nihilo fieri; nihil enim est nihil, et facere aliquid ex nihilo est contradictorium; et quod est contradictorium, est contra lucem veri, quae est ex Divina Sapientia; et quicquid non est ex Divina Sapientia, hoc nec est ex Divina Omnipotentia. Omnis qui ex ratione clara cogitat, etiam videt quod omnia creata sint ex substantia quae est substantia in se, haec enim est ipsum Esse, ex quo omnia quae sunt, possunt existere: et quia

solus Deus est Substantia in se, et inde ipsum Esse, constat quod non aliunde sit existentia rerum. Hoc viderunt plures, quia ratio dat videre ; sed non ausi sunt confirmare, timentes quod sic in cogitationem forte venirent, quod universum creatum sit Deus quia a Deo, vel quod natura sit ex se, et sic quod intimum ejus sit quod vocatur Deus. Inde est, quod tametsi plures viderunt, quod omnium existentia non aliunde sit quam a Deo et ex Ipsius Esse, non tamen ultra cogitationem primam de eo ausi sunt progredi, ne intellectum suum intricarent nodo Gordio ita dicto, a quo illum extricare postea nequirent. Quod intellectum extricare nequirent, est causa, quia de Deo, et de creatione Universi a Deo, cogitarunt ex tempore et spatio, quae propria naturae sunt, et ex natura percipere Deum et creationem Universi, nemo potest ; sed omnis, cujus intellectus in aliqua luce interiore est, percipere potest naturam et creationem ejus ex Deo, quia Deus non est in tempore et spatio. Quod Divinum non sit in spatio, videatur supra ([n.] 7–10) : quod Divinum impleat omnia spatia universi absque spatio (n. 69–72) : et quod Divinum sit in omni tempore absque tempore (n. [1]73–76). In sequentibus videbitur, quod tametsi Deus universum et omnia ejus creaverit ex Se Ipso, usque ne hilum in universo creato sit, quod est Deus ; praeter plura, quae hanc rem in suam lucem mittent.

284. In *Parte Prima* hujus operis actum est de Deo, quod sit Divinus Amor et Divina Sapientia, et quod sit Vita, tum quod sit Substantia et Forma quae est ipsum et unicum Esse. In *Parte Secunda* actum est de Sole spirituali et ejus mundo, ac de sole naturali et ejus mundo : et quod per utrumque solem universum cum omnibus ejus a Deo creatum sit. In *Parte Tertia* actum est de gradibus in quibus sunt omnia et singula quae creata sunt. In *Quarta hac Parte* nunc agetur de Creatione universi a Deo. Causa quod de his et de illis agatur, est quia angeli lamentati sunt coram Domino, quod dum spectant in mundum nihil videant nisi tenebras, et apud homines de Deo, de caelo, et de creatione naturae, nihil scientiae, cui sapientia illorum innitatur.

QUOD DOMINUS AB AETERNO SEU JEHOVAH NON POTUERIT CREARE UNIVERSUM ET OMNIA EJUS, NISI ESSET HOMO.

285. Qui ideam naturalem corpoream de Deo ut Homine habent, illi prorsus non comprehendere possunt, quomodo Deus ut Homo universum et omnia ejus creare potuerit; cogitant enim secum, Quomodo potest Deus ut Homo pervagari universum a spatio ad spatium et creare? Vel quomodo potest e loco suo dicere verbum, et quod cum dictum est, creata sint? Talia cadunt in ideas cum dicitur quod Deus sit Homo, apud illos qui de Deo Homine cogitant similiter ut de homine mundi, et qui cogitant de Deo ex natura et ejus propriis, quae sunt tempus et spatium. At vero illi qui de Deo Homine non ex homine mundi, et non ex natura et ejus spatio ac tempore, cogitant, clare percipiunt, quod universum non potuerit creari, nisi Deus sit Homo. Mitte cogitationem tuam in ideam angelicam de Deo quod sit Homo, ac remove quantum potes ideam spatii, et cogitatione approximabis ad veritatem. Quidam eruditi etiam percipiunt, quod spiritus et angeli non sint in spatio, quia percipiunt spirituale absque spatio: est enim sicut cogitatio, quae tametsi est in homine, usque potest homo per illam sicut praesens esse alibi, in quocunque loco etiam remotissimo. Talis status est spirituum et angelorum, qui sunt homines, etiam quoad eorum corpora. Illi apparent in loco, ubi cogitatio eorum, quoniam spatia ac distantiae in mundo spirituali sunt apparentiae, ac unum agunt cum cogitatione ex affectione illorum. Ex quibus constare potest, quod de Deo, qui longe supra mundum spiritualem ut Sol appareret, cui non potest aliqua apparentia spatii esse, non cogitandum sit ex spatio: et quod tunc possit comprehendi, quod universum creaverit non ex nihilo, sed ex Se Ipso; tum quod nec Humanum Ipsius Corpus possit cogitari magnum aut parvum, seu alicujus staturae, quia hoc etiam est spatii; ac inde, quod in primis et ultimis, ac in maximis et minimis sit idem; ac insuper quod Humanum sit intimum in omni creato, sed absque spatio. Quod Divinum in maximis et minimis sit idem, videatur supra (n. 77–82): et quod Divinum impleat omnia spatia absque spatio (n.

69–72). Et quia Divinum non est in spatio, nec est continuum, sicut est intimum naturae.

286. Quod Deus non potuerit creare universum et omnia ejus nisi esset Homo, ab intelligente perquam clare comprehendi potest ex eo, quod apud se non negare possit, quin in Deo sit Amor et Sapientia, quod sit Misericordia et Clementia, tum quod sit ipsum Bonum et Verum, quia illa ab Ipso sunt; et quia haec non negare potest, nec potest negare quin Deus sit Homo; non enim dari potest ullum ex illis abstractum ab homine, est enim homo subjectum eorum, ac separare illa a suo subjecto, est dicere quod non sint. Cogita de sapientia, et pone illam extra hominem, num est aliquid? Num potes concipere illam ut quoddam aethereum, vel ut quoddam flammeum? Non potes nisi forte in illis; et si in illis, erit sapientia in forma, qualis est homini, erit in omni forma ejus, non potest unum deesse, ut sapientia sit in illa. Verbo, forma sapentiae est homo; et quia homo est forma sapientiae, est etiam forma amoris, misericordiae, clementiae, boni et veri, quia haec cum sapientia unum agunt. Quod amor et sapientia non dari queant nisi in forma, videatur supra (n. 40–43).

287. Quod amor et sapientia sint homo, etiam constare potest ex angelis caeli, qui quantum in amore et inde sapientia a Domino sunt, tantum in pulchritudine homines [1]sunt. Idem constare potest ex eo quod in Verbo dicitur de Adamo, quod in similitudinem et in imaginem Dei creatus sit (*Genes.* i. 26), quia in formam amoris et sapientiae. Omnis homo telluris in humanam formam quoad corpus nascitur; causa est, quia spiritus ejus, qui etiam vocatur anima, est homo; et hic est homo, quia est receptibilis amoris et sapientiae a Domino; et quantum spiritus seu anima hominis recipit, tantum ille fit homo post mortem corporis materialis, quod circumduxit; et quantum non recipit, tantum fit monstrum, quod aliquid hominis ex facultate recipiendi trahit.

288. Quoniam Deus est Homo, ideo universum caelum angelicum in complexu unum hominem refert; ac illud in regiones et provincias distinctum est secundum membra, viscera et organa hominis. Sunt enim societates caeli quae faciunt provinciam omnium cerebri, et omnium organorum faciei, tum omnium viscerum corporis; ac illae provinciae inter se distinguuntur prorsus sicut illa

apud hominem: sciunt etiam angeli in qua provincia Hominis sunt. Universum caelum in hac effigie est, quia Deus est Homo; ac Deus est Caelum, quia angeli, qui constituunt caelum, recipientes amoris et sapientiae a Domino sunt, ac recipientes sunt imagines. Quod caelum in forma omnium hominis sit, in *Arcanis Caelestibus* ad finem plurium capitum ostensum est.

289. Ex his videri potest inanitas idearum apud illos, qui cogitant de Deo aliter quam de Homine, ac de attributis Divinis aliter quam quod sint in Deo ut Homine, quia separata ab Homine sunt pura entia rationis. Quod Deus sit Ipse Homo, ex quo omnis homo est homo secundum receptionem amoris et sapientiae, videatur supra (n. 11–13). Idem hic confirmatur propter sequentia, ut percipiatur creatio universi a Deo quia est Homo.

Quod Dominus ab aeterno seu Jehovah ex Se Ipso produxerit Solem mundi spiritualis, et ex illo creaverit universum et omnia ejus.

290. De Sole mundi spiritualis in Parte Secunda hujus operis actum est, et ibi sequentia ostensa sunt:—Quod Divinus Amor et Divina Sapientia appareant in mundo spirituali ut Sol (n. 83–88). Quod ex Sole illo procedat calor spiritualis et lux spiritualis (n. 89–92). Quod Sol ille non sit Deus, sed quod sit procedens ex Divino Amore et Divina Sapientia Dei Hominis; similiter calor et lux ex illo Sole (n. 93–98). Quod Sol mundi spiritualis in media altitudine sit, et appareat distans ab angelis sicut sol mundi naturalis ab hominibus (n. 103–107). Quod in mundo spirituali oriens sit ubi Dominus ut Sol apparet, et quod reliquae plagae inde sint (n. 119–[1]123, [2]124–128). Quod angeli faciem suam jugiter vertant ad Dominum ut Solem (n. 129–134, 135–139). Quod Dominus universum et omnia ejus medio Sole illo, qui est primum procedens Divini Amoris et Divinae Sapientiae creaverit (n. 151–156). Quod sol mundi naturalis sit purus ignis, et quod natura quae ex illo sole ducit originem, inde sit mortua; et quod sol mundi naturalis creatus sit, ut opus creationis possit absolvi et finiri (n. 157–162). Quod absque bino sole, uno vivo et altero mortuo, non detur creatio (n. 163–166).

291. Inter illa quae in Parte Secunda ostensa sunt, etiam est hoc, quod Sol ille non sit Dominus, sed quod sit Procedens ex Divino Amore et ex Divina Sapientia [r]Ipsius. Procedens dicitur, quia Sol ille ex Divino Amore et ex Divina Sapientia, quae in se sunt substantia et forma, productus est, et Divinum per hoc procedit. Sed quia ratio humana talis est, ut non acquiescat, nisi videat rem a sua causa, ita nisi etiam percipiat quomodo, hic quomodo Sol mundi spiritualis, qui non est Dominus, sed procedens ab Ipso, productus est, quare de hoc etiam aliquid dicetur. De hac re cum angelis multa locutus sum ; qui dixerunt, quod hoc percipiant clare in luce sua spirituali, sed quod id aegre sistere possint coram homine in ejus luce naturali, quia tale utriusque lucis et inde cogitationum discrimen est. Dixerunt tamen, quod hoc simile sit cum sphaera affectionum et inde cogitationum, quae unumquemvis angelum ambit, per quam praesentia ejus sistitur vicinis et remotis ; et quod sphaera illa ambiens non sit ipse angelus, sed quod sit ex omnibus et singulis corporis ejus, a quo substantiae continue sicut flumen emanant, et quae emanant illum circumstipant : et quod illae substantiae corpori ejus contiguae per binos fontes motus vitae ejus, cor et pulmonem, continue actuatae, atmosphaeras in activitates suas excitent, et per id sistant perceptionem sicut praesentiae illius apud alios : et sic quod non sit alia sphaera affectionum et inde cogitationum, tametsi ita vocatur, quae exit et continuatur, quia affectiones sunt meri status formarum mentis in illo. Dixerunt porro, quod talis sphaera circum unumquemvis angelum sit, quia circum Dominum est ; et quod sphaera illa circum Dominum sit similiter ab Ipso, et quod illa sphaera sit Sol illorum, seu Sol mundi spiritualis.

292. Saepius datum est percipere, quod talis sphaera sit circum angelum et spiritum, et quoque sphaera communis circum plures in societate, et quoque datum est videre illam sub varia specie ; in caelo quandoque sub specie tenuis flammae, in inferno sub specie crassi ignis ; et quandoque in caelo sub specie tenuis et candidae nubis, et in inferno sub specie crassi et atri nimbi ; et quoque datum est sphaeras illas percipere sub varia specie odorum ac nidorum ; ex quibus confirmatus sum, quod unumquemvis in caelo et unumquemvis in inferno sphaera

ex substantiis resolutis et separatis a corporibus illorum consistens circumfundat.

293. Perceptum etiam est, quod sphaera non solum ex angelis et spiritibus exundet, sed etiam ex omnibus et singulis quae in illo mundo apparent; ut ex arboribus et ex illarum fructibus ibi, ex virgultis et ex eorum floribus, ex herbis et ex graminibus, immo ex terris et ex singulis illarum: ex quibus patuit, quod hoc universale sit tam in vivis quam in mortuis, quod unumquodvis a simili, quod intus in illo est, circumstipetur, et quod hoc continue ab illo exhaletur. Quod simile sit in mundo naturali, ab experientia plurium eruditorum, notum est: ut quod unda effluviorum ex homine jugiter effluat, tum ex quovis animali, et quoque ex arbore, fructu, virgulto, flore, immo ex metallo et lapide. Hoc trahit mundus naturalis ex mundo spirituali, et mundus spiritualis ex Divino.

294. Quoniam illa quae Solem mundi spiritualis constituunt, sunt a Domino, et non Dominus, ideo non sunt vita in se, sed sunt orbata vita in se; quemadmodum illa quae profluunt ex angelo et homine, ac faciunt sphaeras circum illos, non sunt angelus aut homo, sed sunt ex illis, orbata vita illorum; quae non aliter unum faciunt cum angelo aut homine, quam quod concordent, quia desumpta ex formis corporis illorum, quae formae vitae illorum in illis fuerunt. Hoc arcanum est, quod angeli per ideas suas spirituales cogitatione videre et quoque loquela exprimere possunt, non autem homines per ideas suas naturales; quoniam mille ideae spirituales faciunt unam ideam naturalem, ac una idea naturalis non ab homine resolvi potest in aliquam ideam spiritualem, minus in totidem. Causa est, quia differunt secundum gradus altitudinis, de quibus in Parte Tertia.

295. Quod talis differentia inter cogitationes angelorum et hominum sit, per hanc experientiam mihi notum factum est. Dictum est illis, ut de aliqua re cogitarent spiritualiter, et postea mihi dicerent quid cogitarunt. Hoc cum factum est, et mihi dicere voluerunt, non potuerunt, dicentes quod non possunt illa effari: simile erat cum spirituali loquela eorum, et simile cum spirituali scriptura illorum; non erat ulla vox loquelae spiritualis, quae erat similis voci loquelae naturalis; nec aliquid scripturae spiritualis simile scripturae naturali, praeter litteras, quarum

unaquaevis continebat integrum sensum. At, quod mirabile est, dixerunt, quod videantur sibi similiter cogitare, loqui et scribere in spirituali statu, sicut homo in naturali, cum tamen nihil simile est. Ex quo patuit, quod naturale et spirituale differant secundum gradus altitudinis, et quod non communicent inter se nisi quam per correspondentias.

QUOD TRIA IN DOMINO SINT, QUAE DOMINUS, DIVINUM AMORIS, DIVINUM SAPIENTIAE, ET DIVINUM USUS; ET QUOD ILLA TRIA SISTANTUR IN APPARENTIA EXTRA SOLEM MUNDI SPIRITUALIS, DIVINUM AMORIS PER CALOREM, DIVINUM SAPIENTIAE PER LUCEM, ET DIVINUM USUS PER ATMOSPHAERAM, QUAE CONTINENS.

296. Quod ex Sole mundi spiritualis procedant calor et lux, et quod calor procedat ex Divino Amore Domini, et lux ex Divina Sapientia Ipsius, videatur supra (n. [1]89–92, 99–102, 146–150). Hic nunc, quod tertium quod procedit ex Sole ibi sit atmosphaera, quae continens caloris et lucis, et quod illa procedat ex Divino Domini quod vocatur Usus, dicetur.

297. Omnis qui in aliqua illustratione cogitat, potest videre, quod amor pro fine habeat ac intendat usum, et quod producat usum per sapientiam; amor enim ex se non aliquem usum potest producere, sed media sapientia. Immo quid est amor, nisi sit aliquid quod amatur? Hoc aliquid est usus; et quia usus est id quod amatur, et ille producitur per sapientiam, sequitur quod usus sit continens sapientiae et amoris. Quod tria haec, amor, sapientia et usus, sequantur in ordine secundum gradus altitudinis, et quod ultimus gradus sit complexus, continens et basis priorum graduum (n. 209–216, et alibi,) ostensum est. Ex his constare potest, quod tria illa, Divinum amoris, Divinum sapientiae, et Divinum usus, sint in Domino, et quod sint Dominus in essentia.

298. Quod homo quoad exteriora et quoad interiora sua spectatus sit forma omnium usuum, et quod omnes usus in universo creato illis usibus correspondeant, in sequentibus plene demonstrabitur; hic id solum memorandum est, ut sciatur quod Deus ut Homo sit ipsa forma

omnium usuum, ex qua omnes usus in universo creato trahunt suam originem; et sic quod universum creatum quoad usus spectatum sit imago Ipsius. Usus vocantur illa quae a Deo Homine, hoc est, Domino, a creatione sunt in ordine; at usus non vocantur illa quae sunt ex proprio hominis, hoc enim est infernum, et illa sunt contra ordinem.

299. Nunc quia haec tria, Amor, Sapientia et Usus, in Domino sunt, et sunt Dominus, et quia Dominus est ubivis, est enim omnipraesens; et quia Dominus non potest Se, qualis est in Se, ac qualis est in suo Sole, praesentem sistere alicui angelo et homini, ideo Se sistit per talia quae recipi possunt, et Se sistit quoad amorem per calorem, quoad sapientiam per lucem, et quoad usum per atmosphaeram. Quod Dominus Se quoad usum sistat per atmosphaeram, est quia atmosphaera est continens caloris et lucis, sicut usus est continens amoris et sapientiae. Lux enim et calor quae procedunt a Divino Sole, non possunt in nihilo, ita non in vacuo procedere, sed in continente quod subjectum; et hoc continens vocamus atmosphaeram, quae ambit Solem, et excipit illum in sinu suo, et transfert ad caelum ubi sunt angeli, et inde ad mundum ubi sunt homines, et sic sistit praesentiam Domini ubivis.

300. Quod in mundo spirituali sint aeque atmosphaerae, ut in mundo naturali, supra (n. 173–178, 179–183,) ostensum est; et dictum est, quod atmosphaerae mundi spiritualis sint spirituales, ac atmosphaerae mundi naturalis sint naturales. Nunc ex origine atmosphaerae spiritualis proxime ambientis Solem spiritualem constare potest, quod unumquodvis ejus sit in essentia sua qualis est Sol in sua. Quod ita sit, angeli per spirituales suas ideas, quae sunt absque spatio, declarant per hoc, quod sit unica substantia, ex qua omnia sunt, et quod Sol mundi spiritualis sit illa substantia; et quia Divinum non est in spatio, et quia in maximis et minimis est idem, quod similiter ille Sol, qui est primum procedens Dei Hominis: et porro, quod unica illa substantia, quae est Sol, secundum gradus continuos seu latitudinis, et simul secundum gradus discretos seu altitudinis, mediis atmosphaeris procedens, sistat varietates omnium in universo creato. Dixerunt angeli, quod haec, nisi removeantur spatia ab ideis, nul-

latenus comprehendi possint ; et quod, si non removentur, non possit [fieri] quin apparentiae inducant fallacias : quae tamen non induci queunt, dum cogitatur quod Deus sit ipsum Esse ex quo omnia.

301. Praeterea ex angelicis ideis, quae sunt absque spatio, manifeste patet, quod in universo creato nihil vivat, quam solus Deus Homo, hoc est, Dominus, quodque nihil moveatur quam per vitam ab Ipso ; et quod nihil sit quam per Solem ab Ipso ; ita quod veritas sit, quod in Deo vivamus, moveamur, et simus.

Quod atmosphaerae, quae tres sunt in utroque mundo, spirituali et naturali, in ultimis suis desinant in substantias et materias, quales sunt in terris.

302. Quod tres atmosphaerae in utroque mundo, spirituali et naturali, sint, quae inter se secundum gradus altitudinis distinctae sunt, et quae versus inferiora secundum gradus latitudinis in progrediendo decrescunt, in Parte Tertia (n. 173–176) ostensum est. Et quia atmosphaerae versus inferiora progrediendo decrescunt, sequitur quod continue compressiores ac inertiores fiant, et tandem in ultimis ita compressae et inertes, ut non sint atmosphaerae amplius, sed substantiae quietis, et in mundo naturali fixae, quales sunt in terris, et materiae vocantur. Ex qua substantiarum et materiarum origine, sequitur *primum*, quod substantiae et materiae illae etiam sint trium graduum ; *alterum*, quod contineantur in nexu inter se ab atmosphaeris ambientibus ; *tertium*, quod accommodatae sint ad producendum omnes usus in suis formis.

303. Quod substantiae seu materiae quales sunt in terris, a sole per atmosphaeras ejus productae sint, quis non affirmat, qui cogitat quod perpetuae mediationes sint a primo ad ultima ; et quod nihil possit existere nisi a priori se, et tandem a primo ; ac primum est Sol mundi spiritualis, ac Primum illius Solis est Deus Homo seu Dominus? Nunc quia atmosphaerae sunt illa priora, per quae Sol ille se sistit in ultimis, et quia priora illa activitate et expansione continue decrescunt usque ad ultima, sequitur quod cum desinit activitas et expansio illarum

in ultimis, fiant substantiae et materiae quales sunt in terris ; quae ex atmosphaeris, ex quibus ortae sunt, in se retinent nisum et conatum producendi usus. Qui creationem universi et omnium ejus non per continuas mediationes a Primo instaurant, illi non possunt quin hypotheses fractas et revulsas a suis causis [r]condant ; quae dum a mente, quae interius res perspicit, lustrantur, apparent non sicut domus, sed sicut congeries qualis est ruderum.

304. Ex universali hac origine omnium in universo creato, trahunt singula ibi simile, quod a primo suo progrediantur ad ultima, quae respective in statu quietis sunt, ut desinant et subsistant. In corpore humano ita vadunt fibrae a suis primis formis usque dum fiunt tendines, tum fibrae cum vasculis a suis primis usque dum fiunt cartilagines et ossa ; super quibus quiescant et subsistant. Quia talis progressio a primis ad ultima est fibrarum et vasorum in homine, ideo est similis progressio statuum eorum : status eorum sunt sensationes, cogitationes, et affectiones ; hae quoque a primis suis ubi sunt in luce pervadunt ad ultima, ubi sunt in umbra ; seu a primis suis ubi sunt in calore ad ultima ubi non sunt in calore : et quia talis est progressio illarum, est quoque talis progressio amoris et omnium ejus, tum sapientiae et omnium ejus ; verbo, talis est progressio omnium in universo creato. Hoc idem est cum hoc quod supra (n. 222–229) demonstratum est, quod duplicis generis gradus sint in omnium maximis et minimis quae creata sunt. Quod utriusque generis gradus etiam sint in omnium minimis, est quia Sol spiritualis est unica substantia ex qua sunt omnia, secundum ideas spirituales angelorum (n. 300).

Quod in substantiis et materiis, ex quibus sunt terrae, nihil Divini in se sit, sed quod usque illae sint a Divino in se.

305. Ex origine terrarum, de qua in praecedente articulo, constare potest, quod in substantiis et materiis illarum, nihil Divini in se sit, sed quod omni Divino in se orbatae sint ; sunt enim, ut dictum est, fines et terminationes atmosphaerarum, quarum calor desiit in frigus, lux

in caliginem, et activitas in inertiam. Sed usque tulerunt per continuationem ex substantia Solis spiritualis id quod ibi a Divino fuit, quod, ut supra (n. 291–298) dictum est, fuit sphaera ambiens Deum Hominem seu Dominum: ex hac sphaera per continuationem a Sole mediis atmosphaeris ortae sunt substantiae et materiae e quibus terrae.

306. Origo terrarum a Sole spirituali mediis atmosphaeris per voces ex naturalibus ideis fluentes non aliter describi potest, sed potest aliter per voces ex spiritualibus ideis, quia hae absque spatio sunt; et quia sunt absque spatio, non cadunt in aliquas voces linguae naturalis. Quod cogitationes, loquelae et scripturae spirituales a cogitationibus, loquelis et scripturis naturalibus in tantum differant, ut non aliquid commune habeant, et quod communicent solum per correspondentias, videatur supra (n. 295). Satis itaque est, ut origo terrarum aliquo modo naturaliter percipiatur.

Quod omnes usus, qui sunt fines creationis, sint in formis, et quod formas accipiant ex substantiis et materiis quales sunt in terris.

307. Omnia de quibus hactenus dictum est, ut quae de sole, atmosphaeris et terris, sunt solum media ad fines. Fines creationis sunt, quae a Domino ut Sole per atmosphaeras e terris producuntur, et hi fines vocantur usus: et hi sunt in sua extensione omnia regni vegetabilis; et omnia regni animalis, et tandem genus humanum, et ex illo caelum angelicum. Haec usus vocantur, quia sunt recipientia [1]Divini Amoris et Divinae Sapientiae; tum quia spectant ad Deum Creatorem a quo, et per id conjungunt Ipsum suo magno operi, et per conjunctionem faciunt ut ab Ipso subsistant sicut exstiterunt. Dicitur quod spectent ad Deum Creatorem a quo, et conjungant Ipsum suo magno operi; sed id dictum est ex apparentia, verum intelligitur quod Deus Creator faciat ut quasi spectent et se conjungant a se; sed quomodo spectant et per id conjungunt, dicetur in sequentibus. De illis aliquid in suis locis prius actum est; ut, Quod Divinus Amor et

Divina Sapientia non possint aliter quam esse et existere in aliis a se creatis (n. 47–51): Quod omnia in universo creato sint Divini Amoris et Divinae Sapientiae recipientia (n. [1]55–60): Quod usus omnium quae creata sunt ascendant per gradus ad hominem, et per hominem ad Deum Creatorem a quo (n. 65-68).

308. Quod fines creationis sint usus, quis non clare videt, cum cogitat, quod a Deo Creatore non aliud possit existere et inde non aliud creari quam usus? ac ut usus sit, quod sit propter alios? et quod usus propter se etiam sit propter alios? nam usus propter se est ut in statu sit, ut sit usui aliis. Qui hoc cogitat, ille etiam potest cogitare, quod usus qui usus non possit existere ab homine, sed apud hominem ab Ipso a quo omne quod existit est usus, ita a Domino.

309. Sed quia de formis usuum hic agitur, de illis in hoc ordine dicetur:—

(i.) *Quod in terris sit conatus producendi usus in formis, seu formas usuum.*
(ii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago creationis universi.*
(iii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago hominis.*
(iv.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago Infiniti et Aeterni.*

310. (i.) *Quod in terris sit conatus producendi usus in formis, seu formas usuum.*—Quod in terris ille conatus sit, constat ex origine illarum: quod substantiae et materiae ex quibus terrae sunt, sint fines et terminationes atmosphaerarum, quae a Sole spirituali ut usus procedunt, videatur supra (n. 305, 306); et quia substantiae et materiae ex quibus terrae, ex illa origine sunt, et illarum congregationes continentur in nexu ex circumpressione atmosphaerarum, sequitur quod inde sit illis perpetuus conatus producendi formas usuum. Ipsam qualitatem quod possint producere, trahunt ex sua origine; quae est quod sint ultima atmosphaerarum, cum quibus ideo concordant. Dicitur quod conatus ille et qualitas illa sint in terris, at intelligitur quod sint apud illas substantias et materias ex quibus sunt terrae, sive illae in terris sint, sive exhalatae a terris in atmosphaeris sint. Quod atmosphaerae talibus plenae sint, notum est. Quod talis conatus et talis qualitas sint

substantiis et materiis terrarum, patet manifeste, ex eo, quod semina omnis generis medio calore usque ad intimum eorum aperta, impraegnentur a substantiis subtilissimis, quae non possunt quam ut ex origine spirituali sint, et per id in potentia conjungendi se usui, ex quo prolificum eorum, et tunc per conjunctionem cum materiis ex origine naturali, producere usuum formas, et illas dein sicut ex utero emittere, ut etiam in lucem veniant, et sic egerminent et crescant. Conatus ille est postea continuus e terris per radicem usque ad ultima et ab ultimis ad prima, in quibus ipse usus est in sua origine. Ita transeunt usus in formas; et formae ex usu, qui est sicut anima, in progressione a primis ad ultima et ab ultimis ad prima, trahunt ut omnia et singula earum sint alicujus usus. Dicitur quod usus sit sicut anima, quia forma ejus est sicut corpus. Quod conatus adhuc interior sit, qui est conatus producendi usus per egerminationes pro regno animali, etiam sequitur, nam animalia omnis generis ex illis nutriuntur. Quod quoque intimus in illis conatus sit, qui est conatus usum praestandi humano generi, etiam sequitur. Haec sequuntur ex eo: (i.) Quod ultima sint, ac in ultimis sunt omnia priora simul in suo ordine, secundum illa quae supra passim ostensa sunt. (2.) Quod utriusque generis gradus sint in omnium maximis et minimis, ut supra (n. 222–229) ostensum est; similiter in conatu illo. (3.) Quod omnes usus a Domino producantur ex ultimis, quare in ultimis erit conatus ad illos.

311. Sed usque omnes illi conatus non sunt vivi, sunt enim conatus virium ultimarum vitae, quibus viribus ex vita ex qua sunt, tandem inest nisus per media oblata redeundi ad suam originem. Atmosphaerae in ultimis fiunt tales vires, a quibus substantiae et materiae, quales in terris sunt, actuantur in formas, et continentur in formis tam intra quam extra. Haec pluribus demonstrare non vacat, quia ampli operis est.

312. Prima productio e terris illis, dum adhuc recentes fuerunt, et in sua simplicitate, fuit productio seminum; conatus primus in illis non potuit alius esse.

313. (ii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago creationis.*—Formae usuum sunt triplicis generis: formae usuum regni mineralis; formae usuum regni vege-

tabilis; et formae usuum regni animalis. Formae usuum regni mineralis non describi possunt, quia ad visum non apparent. Primae formae sunt substantiae et materiae, ex quibus terrae, in suis minimis; secundae formae sunt congregationes ex illis, quae infinitae varietatis sunt; tertiae formae sunt ex vegetabilibus collapsis in pulverem, exque animalibus exstinctis; et ex evaporationibus et exhalationibus continuis illorum, quae se addunt terris, et faciunt humum illarum. Hae trium graduum formae regni mineralis in imagine referunt creationem in eo, quod a sole per atmosphaeras et earum calorem et lucem actuatae producant usus in formis, qui fines creationis fuerunt. Haec imago creationis in conatibus earum, (de quibus supra, n. 310,) recondita latet.

314. In formis usuum regni vegetabilis apparet imago creationis in eo, quod a suis primis procedant ad sua ultima, et ab ultimis ad prima. Prima illarum sunt semina, ultima illarum sunt caules investiti libro, et per librum, qui est ultimum caulium, tendunt ad semina, quae ut dictum est, sunt illarum prima. Caules investiti libris referunt tellurem investitam terris, e quibus creatio et formatio omnium usuum existit. Quod per libros, philyras et tunicas fiant vegetationes, enitendo per involucra radicum continuata circum caules et ramos in initiamenta fructuum, et similiter per fructus in semina, multis notum est. Imago creationis in usuum formis exstat in progressione formationis illorum a primis ad ultima, et ab ultimis ad prima; tum quod in omni progressione sit finis producendi fructus ac semina, quae sunt usus. Ex supradictis patet, quod progressio creationis universi fuerit a suo Primo, qui est Dominus cinctus Sole, ad ultima, quae sunt terrae, et ab his per usus ad suum Primum seu Dominum; tum quod fines totius creationis fuerint usus.

315. Sciendum est, quod calor, lux et atmosphaerae mundi naturalis prorsus nihil faciant ad imaginem hanc creationis, sed solum calor, lux et atmosphaerae Solis mundi spiritualis; haec secum imaginem illam ferunt, ac illam formis usuum regni vegetabilis indunt. Calor, lux et atmosphaerae mundi naturalis solum semina aperiunt, productiones illorum in expansione tenent, et illis inducunt materias, quae figunt illas; sed haec non per vires e

suo sole, quae in se spectatae nullae sunt, sed per vires e Sole spirituali, a quibus perpetuo ad illa aguntur ; sed ad dandum illis imaginem creationis, prorsus nihil conferunt ; imago enim creationis est spiritualis : sed ut appareat et usum praestet in naturali mundo, ac ut fixa stet et perduret, erit illa materiata, hoc est, materiis illius mundi confarta.

316. In formis usuum regni animalis similis imago creationis est, ut quod ex semine in uterum seu ovum misso formetur corpus, quod est ultimum ejus ; et quod hoc cum adolescit, producat nova semina. Progressio haec similis est progressioni formarum usuum regni vegetabilis ; semina sunt inchoamenta, uterus seu ovum est sicut terra ; status ante partum, est sicut status seminis in terra dum radicem agit ; status post partum usque ad prolificationem, est sicut egerminatio arboris usque ad statum fructificationis ejus. Ex hoc parallelismo patet, quod sicut similitudo creationis est in formis vegetabilium, etiam sit in formis animalium, quod nempe progressio sit a primis ad ultima, et ab ultimis ad prima. Similis imago creationis existit in singulis quae in homine sunt ; nam similis est progressio amoris per sapientiam in usus ; inde similis voluntatis per intellectum in actus, et similis charitatis per fidem in opera. Voluntas et intellectus, tum charitas et fides, sunt prima ex quibus ; actus et opera sunt ultima ; ex his per jucunda usuum fit reditio ad sua prima, quae, ut dictum est, sunt voluntas et intellectus, aut charitas et fides. Quod reditio fiat per jucunda usuum, patet manifeste a perceptis jucundis actuum et operum, quae sunt amoris cujusvis, quod refluant ad amoris primum a quo, et quod per id sit conjunctio ; jucunda actuum et operum sunt jucunda quae vocantur usus. Similis progressio a primis ad ultima et ab ultimis ad prima exstat in formis purissime organicis affectionum et cogitationum apud hominem ; in cerebris ejus sunt formae illae sicut stellares, quae vocantur substantiae cineritiae ; ex illis exeunt fibrae per substantiam medullarem trans cervicem in corpus, quae pergunt ad ultima ibi, et ex ultimis ad prima sua redeunt ; reditio fibrarum ad sua prima fit per vasa sanguinis. Similis est progressio omnium affectionum et cogitationum, quae sunt mutationes et variationes

status illarum formarum et substantiarum ; fibrae enim ex formis seu substantiis illis exeuntes sunt comparative sicut atmosphaerae ex Sole spirituali, quae sunt continentes caloris et lucis ; et actus ex corpore sunt sicut quae per atmosphaeras e terris producuntur, quorum usuum jucunda redeunt ad originem ex qua. Sed quod horum talis progressio sit, et quod progressioni insit imago creationis, aegre potest pleno intellectu comprehendi, ex causa quia millia ac myriades virium operantium in actu apparent sicut unum ; et quia jucunda usuum non sistunt ideas in cogitatione, sed modo absque distincta perceptione afficiunt. De his videantur quae prius dicta et ostensa sunt : ut, Quod usus omnium quae creata sunt, ascendant per gradus altitudinis ad hominem, et per hominem ad Deum Creatorem a quo (n. 65–68) : et, Quod finis creationis existat in ultimis, qui est, ut omnia redeant ad Creatorem, ac ut sit conjunctio (n. 167–172). Sed haec in adhuc clariore luce apparebunt in Parte sequente, ubi de correspondentia voluntatis et intellectus cum corde et pulmone agetur.

317. (iii.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago hominis*, ostensum est supra (n. 61–64). Quod omnes usus a primis ad ultimos, et ab ultimis ad primos relationem habeant ad omnia hominis et correspondentiam cum illis, et inde quod homo sit in quadam imagine universum, et vicissim quod universum quoad usus spectatum sit in imagine homo, videbitur in sequente articulo.

318. (iv.) *Quod in omnibus formis usuum sit aliqua imago Infiniti et Aeterni.*—Imago Infiniti in illis formis patet a conatu et potentia implendi spatia universi orbis et quoque plurium orbium, in infinitum ; ex uno enim semine producitur arbor, virgultum, aut planta, quae suum spatium implet ; ex quavis arbore, virgulto aut planta producuntur semina, ex quibusdam ad aliquot millia, quae sata et egerminata sua spatia implent ; et si ex quovis semine illorum totidem nova producta iterum et iterum existerent, intra annos impleretur totus orbis ; et si adhuc productiones continuarentur, implerentur plures orbes ; et hoc in infinitum. Computa ex uno semine millia, et subduc millia in millia decies, vigesies, ad centies, ac videbis. Imago Aeterni etiam similis in illis est ; semina ab anno

in annum propagantur, et propagationes nusquam desinunt; non a creatione mundi huc usque desierunt, nec desinunt in aeternum. Haec bina sunt exstantia indicia et testantia signa quod omnia universi a Deo Infinito ac Aeterno creata sint. Praeter has imagines Infiniti et Aeterni, est adhuc imago Infiniti et Aeterni in varietatibus; quod nusquam dari queat substantia, status aut res in universo creato eadem seu idem cum altero, non in atmosphaeris, non in terris, nec in formis oriundis ex illis; ita non in ullis quae implent universum, potest aliquid idem in aeternum produci. Hoc exstanter perspicitur in varietate facierum omnium hominum, quod non una eadem detur in universo terrarum orbe, et quod nec una eadem possit dari in aeternum; consequenter non idem animus, cujus typus est facies.

Quod omnia universi creati ex usibus spectata referant in imagine hominem; et quod id testetur quod Deus sit Homo.

319. Homo ab antiquis vocatus est microcosmus, ex eo quod referat macrocosmum, qui est universum in toto complexu: sed hodie non scitur, unde est quod homo ab antiquis ita vocatus sit, in illo enim non plus ex universo seu macrocosmo apparet, quam quod ex regno ejus animali et ex regno ejus vegetabili nutriatur et quoad corpus vivat, et quod ex calore ejus in statu vivendi teneatur, per lucem ejus videat, et per atmosphaeras ejus audiat et respiret: sed haec non faciunt, quod homo sit microcosmus, sicut universum cum omnibus ejus est macrocosmus. Verum quod antiqui hominem vocaverint microcosmum seu parvum universum, hauserunt ex scientia correspondentiarum, in qua antiquissimi fuerunt, et ex communicatione cum angelis caeli; angeli caeli enim sciunt a visibilibus circum se, quod omnia universi quoad usus spectata, referant in imagine hominem.

320. Quod autem homo sit microcosmus seu parvum universum, ex eo quod universum creatum quoad usus spectatum sit in imagine homo, non potest venire in alicujus cogitationem et inde scientiam ex idea universi

spectati in mundo spirituali. Quare hoc non potest confirmari, nisi quam ab angelo qui in mundo spirituali est, vel ab aliquo cui datum est in illo mundo esse, et videre illa quae ibi sunt. Hoc quia mihi datum est, possum ex visis ibi hoc arcanum revelare.

321. Sciendum est, quod mundus spiritualis in externa apparentia sit prorsus similis mundo naturali. Apparent ibi terrae, montes, colles, valles, planities, campi, lacus, fluvii, fontes, sicut in mundo naturali; ita omnia quae regni mineralis sunt. Apparent etiam paradisi, horti, luci, silvae, in quibus arbores et virgulta omnis generis cum fructibus et seminibus; tum plantae, flores, herbae et gramina; ita omnia quae sunt regni vegetabilis. Apparent animalia, volatilia, ac pisces omnis generis, ita omnia quae sunt regni animalis. Homo ibi est angelus et spiritus. Hoc praemissum est, ut sciatur, quod universum mundi spiritualis sit prorsus simile universo mundi naturalis, cum sola differentia, quod illa, quae ibi sunt, non sint fixa et stata sicut quae in mundo naturali, quia ibi non est aliquid naturale, sed omne spirituale.

322. Quod universum illius mundi referat in imagine hominem, manifeste constare potest ex eo, quod omnia illa quae nunc (n. 321) memorata sunt, ad vivum appareant et existant circum angelum, et circum societates angelicas, sicut producta aut creata ab illis; manent circum illos et non recedunt. Quod sint sicut producta aut creata ab illis, constat ex eo, quod cum angelus abit, aut cum societas transit alio, non amplius appareant; tum quando alii angeli loco illorum veniunt, quod mutetur facies omnium circum illos, mutantur paradisiaca quoad arbores et fructus, mutantur floreta quoad rosas et semina, tum campestria quoad herbas et gramina, et quoque mutantur species animalium et volatilium. Quod talia existant et quod ita mutentur, est quia omnia illa existunt secundum affectiones et inde cogitationes angelorum; sunt enim correspondentiae; et quia illa quae correspondent, unum faciunt cum illo cui correspondent, ideo sunt illa imago repraesentativa ejus. Ipsa imago non apparet, quando illa omnia spectantur in formis suis, sed apparet quando illa spectantur in usibus. Datum est videre, quod angeli, quando oculi illorum a Domino aperti sunt, et

viderunt illa ex correspondentia usuum, semet in illis agnoverint et viderint.

323. Nunc quia illa quae circum angelos secundum eorum affectiones et cogitationes existunt, quoddam universum referunt in eo, quod sint terrae, vegetabilia et animalia, et haec faciunt imaginem repraesentativam angeli, patet unde est, quod antiqui vocaverint hominem microcosmum.

324. Quod ita sit, multis confirmatum est in *Arcanis Caelestibus;* et quoque in opere *De Caelo et Inferno;* et quoque passim in antecedentibus, ubi de correspondentia actum est. Ibi etiam ostensum est, quod nihil detur in universo creato quod non correspondentiam habeat cum aliquo hominis, non modo cum ejus affectionibus et inde cogitationibus, sed etiam cum ejus corporis organis et visceribus; non cum illis ut substantiis, sed cum illis ut usibus. Inde est, quod in Verbo, ubi agitur de ecclesia et de homine ejus, toties nominentur arbores, ut oleae, vites et cedri; tum horti, luci et silvae; ut et animalia terrae, volatilia caeli, ac pisces maris. Nominantur ibi quia correspondent, et per correspondentiam unum faciunt, sicut dictum est. Quare etiam angeli, cum talia ab homine leguntur in Verbo, non percipiunt illa, sed pro illis ecclesiam, seu homines ecclesiae quoad status eorum.

325. Quoniam omnia universi in imagine referunt hominem, Adamus quoad sapientiam ac intelligentiam describitur per Hortum Edenis, in quo arbores omnis generis, et quoque fluvii, lapis pretiosus et aurum, tum animalia, quibus dedit nomina, per quae omnia intelliguntur talia quae apud illum erant, et faciebant id quod vocatur Homo. Paene similia dicuntur de Aschure apud *Ezechielem* (cap. xxxi. 3–9), per quem significatur ecclesia quoad intelligentiam: et de Tyro (*Ezech.* xxviii. 12,[1]13), per quam significatur ecclesia quoad cognitiones boni et veri.

326. Ex his nunc constare potest, quod omnia universi ex usibus spectata referant in imagine hominem, et quod id testetur quod Deus sit Homo: nam talia, quae supra memorata sunt, non existunt circum hominem angelum, ex angelo, sed ex Domino per angelum; existunt enim ex influxu Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini in angelum, qui est recipiens, et producitur coram

oculis ejus sicut creatio universi; ex quo norunt ibi, quod Deus sit Homo, et quod universum creatum quoad usus spectatum sit imago Ipsius.

QUOD OMNIA QUAE A DOMINO CREATA SUNT, SINT USUS; ET QUOD IN EO ORDINE, GRADU ET RESPECTU SINT USUS, QUO SE REFERUNT AD HOMINEM, ET PER HOMINEM AD DOMINUM A QUO.

327. Supra dictum est de his, Quod non aliud quam usus possit existere a Deo Creatore (n. 308). Quod usus omnium quae creata sunt, ascendant per gradus ab ultimis ad hominem, et per hominem ad Deum Creatorem a quo (n. 65–68). Quod finis creationis existat in ultimis, qui est ut omnia redeant ad Deum Creatorem, ac ut sit conjunctio (n. 167–172). Quod usus sint, quantum spectant ad Creatorem (n. 307). Quod Divinum non possit aliter quam esse et existere in aliis a se creatis (n. 47–51). Quod omnia universi sint recipientia secundum usus, et hoc secundum gradus (n. [1]58). Quod universum ex usibus spectatum sit imago Dei (n. [2]59). Praeter plura. Ex quibus patet haec veritas, quod omnia quae a Domino creata sunt, sint usus, et quod in eo ordine, gradu et respectu usus sint, quo se referunt ad hominem, et per hominem ad Dominum a quo. Superest ut hic aliqua in specie dicantur de usibus.

328. Per hominem, ad quem usus se referunt, intelligitur non solum homo, sed etiam coetus hominum, ac societas minor et major, ut respublica, regnum et imperium, ut et societas maxima quae est universus orbis; nam hic et illa sunt Homo. Similiter ut in caelis: est universum caelum angelicum coram Domino ut unus Homo; pariter unaquaevis societas caeli; inde est, quod unusquisque angelus sit homo. Quod ita sit, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 68–103). Ex his patet, quid per hominem in sequentibus intelligitur.

329. Ex fine creationis universi constare potest quid usus. Finis creationis universi est ut caelum angelicum existat; et quia caelum angelicum est finis, est quoque homo seu genus humanum, quoniam ex hoc est caelum. Inde sequitur, quod omnia quae creata sunt, sint fines medii, et quod hi in eo ordine, gradu et respectu usus

sint, quo se referunt ad hominem, et per hominem ad Dominum.

330. Quoniam finis creationis est caelum angelicum ex humano genere, ita humanum genus, ideo fines medii sunt omnia reliqua quae creata sunt ; quae quia se referunt ad hominem, spectant haec tria ejus, ejus corpus, ejus rationale, et ejus spirituale propter conjunctionem cum Domino. Homo enim non potest conjungi Domino, nisi spiritualis sit ; nec potest spiritualis esse nisi rationalis sit ; nec potest rationalis esse nisi corpus in statu integro sit. Sunt haec sicut domus : corpus est sicut fundamentum, rationale est sicut domus superinstructa, spirituale sicut illa quae in domo sunt, et conjunctio cum Domino est sicut habitatio. Inde patet quo ordine, gradu et respectu usus, qui sunt fines medii creationis, se referunt ad hominem ; quod nempe ad sustentandum corpus ejus, ad perficiendum rationale ejus, et ad recipiendum spirituale a Domino.

331. *Usus ad sustentandum Corpus*, se referunt ad ejus nutritionem, induitionem, habitationem, recreationem et delectationem, tutationem, et conservationem status. Usus creati ad corporis nutritionem, sunt omnia regni vegetabilis quae esui et potui sunt ; ut fructus, uvae, semina, legumina et herbae : tum omnia regni animalis quae eduntur ; ut boves, vaccae, juvenci, cervi, oves, haedi, caprae, agni, et ex illis lac ; tum aves et pisces plurium generum. Usus creati ad corporis induitionem sunt quoque ex duobus illis regnis plura : similiter usus ad habitationem ; et quoque ad recreationem, delectationem, tutationem et conservationem status ; quae non enumerantur quia nota sunt, ac ideo recensitio illorum solum impleret paginas. Sunt quidem multa quae non homini in usum cedunt ; verum superflua non tollunt usum, sed faciunt ut usus persistant. Datur etiam abusus usuum ; sed abusus non tollit usum, sicut falsificatio veri non tollit verum, nisi solum apud illos qui id faciunt.

332. *Usus ad perficiendum Rationale*, sunt omnia quae docent illa quae nunc dicta sunt, ac vocantur scientiae et studia, quae se referunt ad naturalia, oeconomica, civilia et moralia ; quae vel ex parentibus et magistris, vel ex libris, vel ex commerciis cum aliis, vel ex semet per reflexiones ab illis, hauriuntur. Haec rationale in tantum perficiunt, quantum in superiori gradu usus sunt, et permanent

quantum applicantur vitae. Hos usus enumerare non vacat, tam propter copiam, quam propter varium respectum ad commune bonum.

333. *Usus ad recipiendum Spirituale a Domino*, sunt omnia quae religionis et inde cultus sunt ; ita quae docent agnitionem et cognitionem Dei, et cognitionem et agnitionem boni et veri, et sic vitam aeternam ; quae similiter ut disciplinae [e] parentibus, magistris, praedicationibus et libris hauriuntur, et imprimis per studia vitae secundum illas : in Christiano orbe per doctrinas et praedicationes ex Verbo, et per Verbum ex Domino. Possunt hi usus in sua extensione per similia, per quae usus corporis describi ; ut per nutritionem, induitionem, habitationem, recreationem et delectationem, tutationem status ; modo fiat applicatio ad animam, nutritio ad bona amoris, induitio ad vera sapientiae, habitatio ad caelum, recreatio et delectatio ad felicitatem vitae et ad gaudium caeleste, tutatio ad mala infestantia, et conservatio status ad vitam aeternam. Haec omnia a Domino dantur secundum agnitionem quod omnia illa quae corporis sunt, etiam a Domino sint, et quod homo sit modo sicut famulus et minister oeconomus super bona Domini sui constitutus.

334. Quod talia data sint homini ad usufruendum, et quod sint dona gratuita, manifeste patet ex statu angelorum in caelis, quibus similiter est corpus, rationale et spirituale, sicut est hominibus telluris ; illi nutriuntur gratis, nam cottidie illis datur cibus, induuntur gratis quia illis dantur vestes, habitant gratis quia illis dantur domus, nec ullam omnium illorum curam habent, et quantum rationales spirituales sunt, tantum illis delectatio, tutatio et conservatio status est. Discrimen est quod angeli videant quod illa a Domino sint, quia secundum statum amoris et sapientiae illorum creantur, (ut in antecedente articulo, n. 322, ostensum est,) et quod homines non videant id, quia quotannis redeunt, et non secundum statum amoris et sapientiae eorum, sed secundum curam eorum, existunt.

335. Tametsi dicitur quod usus sint, quia per hominem se referunt ad Dominum, usque non dici potest quod usus sint ab homine propter Dominum, sed a Domino propter hominem, quia omnes usus infinite unum sunt in Domino, et nulli in homine nisi a Domino, homo enim

non potest bonum facere a se sed a Domino; bonum est quod vocatur usus. Essentia amoris spiritualis est bonum facere aliis non propter se sed propter illos; infinite magis essentia Divini Amoris. Hoc simile est cum amore parentum erga liberos, quod ex amore illis bonum faciant, non propter se sed propter illos; hoc manifeste videtur in amore matris erga infantes. Creditur quod Dominus, quia adorandus, colendus et glorificandus est, amet adorationem, cultum et gloriam propter Se. Sed amat illa propter hominem, quoniam homo per id in statum venit, ut Divinum possit influere et percipi; nam per id removet homo proprium, quod influxum et receptionem inhibet: proprium enim quod est amor sui, indurat cor et occludit. Hoc removetur per agnitionem, quod a se ipso nihil nisi quam malum fiat, et a Domino nihil nisi quam bonum; inde emollitio cordis et humiliatio, ex qua profluit adoratio et cultus. Ex his sequitur, quod usus, quos Dominus Sibi praestat per hominem, [1]sint ut ex amore possit benefacere; et quia id est amor Ipsius, est receptio jucundum amoris Ipsius. Ne itaque credat aliquis, quod Dominus sit apud illos qui solum adorant Ipsum, sed quod apud illos qui faciunt mandata Ipsius, ita usus; apud hos mansionem habet, non autem apud illos. (Videantur etiam, quae supra, n. 47–49, de his dicta sunt.)

Quod mali usus a Domino non creati sint, sed quod una cum inferno orti.

336. Omnia bona quae actu existunt, vocantur usus, et omnia mala quae actu existunt, etiam vocantur usus; sed hi vocantur usus mali, illi autem usus boni. Nunc quia omnia bona sunt ex Domino, et omnia mala ex inferno, sequitur quod non alii usus quam boni a Domino creati sint, et quod usus mali ex inferno orti sint. Per usus, de quibus in hoc articulo in specie agitur, intelliguntur omnia quae super tellure apparent; sicut animalia omnis generis, et vegetabilia omnis generis: haec et illa quae usum praestant homini, sunt a Domino, et quae damnum inferunt homini sunt ex inferno. Similiter per usus a Domino intelliguntur omnia quae perficiunt rationale homi-

nis, et quae faciunt ut homo recipiat spirituale a Domino; at per usus malos intelliguntur omnia quae destruunt rationale, et faciunt ut homo non fieri spiritualis possit. Quod illa quae damnum inferunt homini, dicantur usus, est quia malis usui sunt ad malefaciendum, et quod etiam conducant ad malignitates absorbendas, ita quoque ad medelas: dicitur usus in utroque sensu, sicut amor, ut amor bonus et amor malus, et amor vocat usum omne id quod ab illo fit.

337. Quod usus boni sint a Domino, et quod usus mali sint ab inferno, demonstrabitur hoc ordine:—

(i.) *Quid super tellure intelligitur per usus malos.*
(ii.) *Quod omnia quae sunt usus mali, sint in inferno, et quae usus boni in caelo.*
(iii.) *Quod influxus continuus sit e mundo spirituali in mundum naturalem.*
(iv.) *Quod influxus ex inferno operetur illa quae usus mali sunt in locis ubi sunt illa quae correspondent.*
(v.) *Quod ultimum spirituale separatum a superiori suo id operetur.*
(vi.) *Quod binae formae sunt in quas operatio per influxum fit, forma vegetabilis et forma animalis.*
(vii.) *Quod utraque forma facultatem propagandi suum genus, et propagationis media, accipiat.*

338. (i.) *Quid super tellure intelligitur per usus malos.*— Per usus malos super tellure intelliguntur omnia noxia in utroque regno, animali et vegetabili, et quoque noxia in regno minerali. Omnia noxia in illis regnis non vacat enumerare, nam hoc foret congerere nomina; ac nomina congerere absque indicatione noxae, quam quodlibet genus producit, non fert illum usum, quem hoc opus pro fine habet. Propter scientiam sufficit hic aliqua nominare. Talia sunt in regno animali serpentes venenati, scorpii, crocodili, dracones, bubones, ululae, mures, locustae, ranae, araneae; tum muscae, fuci, blattae, pediculi, acari; verbo, quae consumunt gramina, folia, fructus, semina, cibos et potus, et noxam inferunt bestiis et hominibus. In regno vegetabili sunt omnes herbae malignae, virulentae et toxicatae; et similia legumina et virgulta. In regno minerali omnes terrae venenatae. Ex his paucis videri potest, quid per usus malos super tellure intelligitur: sunt enim usus mali omnia quae opposita sunt usibus bonis, de quibus in mox praecedente articulo [(n. 336)].

339. (ii.) *Quod omnia quae usus mali sunt, sint in inferno, et quae usus boni, sint in caelo.*—Antequam videri potest, quod omnes mali usus qui super tellure existunt, non sint a Domino, sed ab inferno, praemittendum est aliquid de caelo et inferno: quod nisi scitur, possunt usus mali aeque ac boni attribui Domino, et quod a creatione simul sint, vel attribui naturae, ac ortus illorum soli ejus. Ab his binis erroribus homo non potest abduci, nisi sciat, quod nihil quicquam existat in mundo naturali, quod non causam et inde ortum ducit ex mundo spirituali, et quod bonum sit a Domino, et quod malum a diabolo, hoc est, ab inferno. Per mundum spiritualem intelligitur et caelum et infernum. In caelo apparent omnia illa quae usus boni sunt, de quibus in praecedente articulo [(n. 336)]; in inferno autem apparent omnia illa quae usus mali sunt, de quibus mox supra (n. 338) ubi enumerata sunt; quae sunt ferae omnis generis, ut serpentes, scorpii, dracones, crocodili, tigrides, lupi, vulpes, porci, bubones, noctuae, ululae, vespertiliones, mures parvi et magni, ranae, locustae, araneae, et insecta noxia multi generis: apparent etiam toxica, et cicutae omnis generis, et aconita, tam in herbis quam in terris: verbo, omnia illa quae noxam faciunt, et homines necant: talia in infernis apparent ita ad vivum, prorsus sicut illa super terris et in illis. Dicitur quod appareant ibi, sed usque non sunt ibi sicut in terris, sunt enim merae correspondentiae cupiditatum, quae ex malis eorum amoribus scaturiunt; se in talibus formis coram aliis sistunt. Quoniam talia in infernis sunt, ideo etiam scatent illa nidoribus tetris, ut cadaverosis, stercores, urinosis, putribus, quibus spiritus diabolici ibi delectantur, sicut illis animalia quibus virus inest. Ex his constare potest, quod similia in mundo naturali non duxerint originem a Domino, et quod [non] creata sint a principio, nec quod orta sint a natura per solem ejus, sed quod sint ex inferno. Quod non sint a natura per solem ejus, patet manifeste ex eo, quod spirituale influat in naturale, et non vicissim: et quod non sint a Domino, ex eo, quod infernum non sit ab Ipso, ita nec aliquid in inferno, quod eorum malis correspondet.

340. (iii.) *Quod influxus continuus sit e mundo spirituali in naturalem.*—Qui non scit quod mundus spiritualis sit, et ille distinctus a mundo naturali sicut prius et posterius,

seu sicut causa et causatum, non scire aliquid potest de hoc influxu: quae causa est, quod illi qui de ortu vegetabilium et animalium scripserunt, non potuerunt aliter quam deducere illum a natura; et si a Deo, quod Deus ab initio indiderit naturae vim producendi talia: sic non scientes, quod nulla vis indita sit naturae, est enim illa in se mortua, et non plus confert ad producendum illa, quam sicut instrumentum in opere fabri, quod ut agat perpetuo movendum est. Est spirituale, quod originem ducit a Sole ubi Dominus, et procedit ad ultima naturae, quod producit formas vegetabilium et animalium, et sistit mirabilia quae in utrisque dantur, ac illas constipat materiis ex tellure, ut formae illae fixae et constantes sint. Nunc quia notum est, quod spiritualis mundus detur, et quod spirituale sit a Sole ubi Dominus, et qui a Domino, et quod id agat naturam ad agendum, sicut vivum agit mortuum, tum quod similia in illo mundo dentur, quae in mundo naturali, videri potest quod vegetabilia et animalia non aliunde quam per illum mundum a Domino exstiterint, et quod per illum perpetuo existant; et sic quod influxus continuus sit e mundo spirituali in naturalem. Quod ita sit in sequente articulo pluribus confirmabitur. Quod noxia per influxum ex inferno super tellure producantur, est ex eadem lege permissionis, qua ipsa mala inde apud homines influunt: de qua lege in *Sapientia Angelica de Divina Providentia* dicetur.

341. (iv.) *Quod influxus ex inferno operetur illa quae usus mali sunt, in locis ubi sunt illa quae correspondent.*— Illa quae malis usibus, hoc est, herbis malignis et animalibus noxiis, correspondent, sunt cadaverosa, putria, excrementitia et stercorea, rancida, urinosa; quare in locis ubi haec sunt, tales herbae, et talia animalcula, quae supra memorata sunt, existunt; et in zonis torridis similia majora, sicut serpentes, basilisci, crocodili, scorpii, mures, et alia. Unusquisque novit, quod paludes, stagna, stercora, humi putidae, talibus referta sint; tum quod noxia volatilia sicut nubes atmosphaeram impleant, et quod noxii vermes sicut agmina terram, et consumant herbas usque ad radices. Semel in meo horto animadverti, quod in spatio ulnae paene omnis pulvis in minima volatilia versus sit, nam baculo agitatus, sicut nimbi se sustulerunt. Quod

cadaverosa ac putida cum noxiis et inutilibus illis animalculis concordent, et quod homogenea sint, a sola experientia patet, quod manifeste ex causa videri potest, quae est quod similes putores et nidores sint in infernis, ubi talia animalcula etiam apparent; quare inferna illa inde nominantur, et quaedam vocantur cadaverosa, quaedam stercorea, quaedam urinosa, et sic porro; sed sunt illa omnia tecta, ne halitus illi inde exspirent; nam dum aliquantulum aperiuntur, quod fit quando novitii diaboli intrant, vomitus ciunt, gravedines capiti inferunt; et illa quae simul venenata sunt, deliquia inducunt: ipse pulvis ibi etiam talis est, quare ille ibi vocatur pulvis damnatus. Inde patet, quod ubi tales putores sunt, talia noxia sint, quia correspondent.

342. Num talia existant ex ovis illuc translatis vel per aerem, vel per pluvias, vel per meatus cum aquis, vel num exīstant ex ipsis humoribus et putoribus ibi, erit nunc quaestionis. Quod talia noxia animalcula et insecta, quae supra memorata sunt, ex ovis illuc advectis, vel usque a creatione in terra ubivis reconditis, excludantur, non suffragatur omnis experientia, quoniam vermes existunt in seminulis, in nucleis, in lignis, in saxis, immo ex foliis; tum super herbis et in illis pediculi et tineae, quae cum illis concordant; tum ex muscis quae in domibus, campis et silvis aestate ex nulla materia oviformi in tanta copia exorta apparent similiter; illa quae corrodunt prata et vireta, ac in quibusdam locis calidis implent aerem ac infestant, praeter quae in aquis fetidis, vinis acetosis, et in aere pestifero, invisibiliter natant et volant. Hae experientiae suffragantur illis qui dicunt quod ipsi odores, nidores et halitus ex herbis, terris et stagnis exspirati dent quoque initiamenta talibus. Quod postea cum exorta sunt, propagentur vel per ova vel per egestiones, non tollit exortus eorum immediatos; quoniam omne animal, cum suis viscerulis, etiam generationis organa et propagationis media recipit, de qua re infra (n. 347). His adstipulatur experientia non prius nota, quod similia etiam in infernis sint.

343. Quod inferna supradicta habeant non modo communicationem sed etiam conjunctionem cum talibus in terris, concludi potest ex eo, quod inferna non remota sint ab hominibus, sed quod sint circum illos, immo in illis qui

mali sunt, ita sunt contigua terris. Homo enim quoad suas affectiones et cupiditates, et inde cogitationes, et ex his et illis quoad suos actus, qui sunt boni aut mali usus, est vel in medio angelorum caeli, vel in medio spirituum inferni; et quia talia quae super terris etiam in caelis et infernis sunt, sequitur quod influxus inde immediate producat talia, quando temperies adspirat. Sunt enim omnia, quae in mundo spirituali, tam in caelo quam in inferno, apparent, correspondentiae affectionum et cupiditatum, nam ibi secundum illas existunt. Quare cum affectiones ac cupiditates, quae in se spirituales sunt, offendunt homogenea seu correspondentia in terris, adest spirituale quod dat animam, et materiale quod dat corpus: inest etiam omni spirituali conatus induendi se corpore. Quod inferna sint circum hominem, et inde contigua terris, est quia mundus spiritualis non est in spatio, sed est ubi affectio correspondens.

344. Audivi binos praesides Societatis Anglicanae, Sr. Sloan* et Sr. Fock† in mundo spirituali inter se colloquentes de existentia seminum et ovorum, et de productionibus ex illis, in terris. Prior adscripsit illa naturae, et [dixit] quod illi a creatione indita sit potentia et vis medio solis calore producendi talia. Alter dixit, quod illa vis continua sit a Deo Creatore in natura. Ut lis illa dirimeretur, visa est Sr. Sloan avis pulchra; et dictum illi est, ut lustraret illam, num in aliquo minimo differret a simili ave in terra: tenebat illam manu, lustrabat, et dixit quod non esset discrimen; sciebat enim quod illa non esset aliud quam affectio cujusdam angeli extra illum repraesentata sicut avis, et quod evanesceret seu desineret cum affectione ejus, quod etiam factum est. Sr. Sloan ex hac experientia convictus est, quod natura nihil prorsus conferret ad productiones vegetabilium et animalium, sed solum id quod e spirituali mundo influit in naturalem. Dixit, si illa avis in minimis suis foret impleta materiis correspondentibus ex tellure, et sic fixata, quod foret avis perdurans, sicut sunt aves in terris; et quod simile sit cum illis quae ab inferno sunt. Addidit dicendo, quod si novisset illa quae nunc novit de mundo spirituali, non plus

---

* Sir Hans Sloane.—*Ed.*

† Martin Folkes.—*Ed.*

adscripsisset naturae, quam quod inserviret spirituali quod a Deo, pro figendo illa quae continue in naturam influunt.

345. (v.) *Quod ultimum spirituale separatum a superiori suo id operetur.*—In Parte Tertia ostensum est, quod spirituale a Sole suo usque ad ultima naturae defluat per tres gradus, et quod illi gradus dicantur caelestis, spiritualis et naturalis; et quod in homine a creatione, et inde a nativitate, tres illi gradus insint, et quod aperiantur secundum vitam ejus, et quod si aperitur caelestis gradus, qui est supremus et intimus, homo fiat caelestis; si gradus spiritualis, qui medius, aperitur, homo fiat spiritualis; et si modo naturalis gradus, qui est infimus et extremus, aperitur, homo fiat naturalis: et quod si modo fit naturalis, amet solum illa quae corporis et mundi sunt, et quod quantum illa amat, tantum non amet caelestia et spiritualia, et non spectet ad Deum, et quod tantum malus fiat. Ex his patet, quod ultimum spirituale, quod vocatur spirituale naturale, separari possit a superioribus suis, et quod hoc separetur apud homines a quibus infernum. Ultimum spirituale a superioribus suis non potest a se separari, nec apud bestias, nec in terris, et spectare versus infernum; nisi solum apud homines. Ex his sequitur, quod ultimum spirituale separatum a superiori suo, quale est illis qui in inferno sunt, malos illos usus, de quibus supra, super tellure operetur. Quod noxia super tellure originem ducant ab homine, et sic ex inferno, confirmari potest ex statu terrae Canaanis, de quo in Verbo, quod cum filii Israelis vixerunt secundum praecepta, terrae dederint proventum suum, similiter greges et armenta; et quod cum contra praecepta vixerunt, terrae fuerint steriles, et sicut dicitur maledictae, loco messis dederint spinas et sentes, ac quod abortiverint greges et armenta, et ferae irruperint. Simile potest deduci ex locustis, ranis et pediculis in Aegypto.

346. (vi.) *Quod binae formae sint, in quas operatio per influxum fit; forma vegetabilis et forma animalis.*—Quod non nisi quam binae formae universales producantur ex tellure, notum est ex binis regnis naturae, quae vocantur regnum animale et regnum vegetabile; et quod omnia unius regni multa communia habeant; ut regnum animale, quod in ejus subjectis sint organa sensuum et organa motuum, tum membra et viscera, quae a cerebris,

cordibus et pulmonibus actuantur; ac regnum vegetabile, quod ejus subjecta radicem in terra agant, producant caulem, ramos, folia, flores, fructus, semina. Utrumque regnum tam animale quam vegetabile, quoad productiones in suas formas ab influxu et operatione spirituali e Sole caeli, ubi est Dominus, trahunt suum ortum, et non ex influxu et operatione naturae e sole ejus, praeter fixationem eorum, ut supra dictum est. Omnia animalia, majora et minora, trahunt ortum ex spirituali in ultimo gradu, qui naturalis vocatur; solus homo ab omnibus gradibus, qui tres sunt, et vocantur caelestis, spiritualis et naturalis. Quia unusquisque gradus altitudinis seu discretus a suo perfecto ad suum imperfectum decrescit sicut lux ad umbram, per continuum, ita quoque animalia, quare ex illis dantur perfecta, minus perfecta et imperfecta. Animalia perfecta sunt elephantes, cameli, equi, muli, boves, oves, caprae, et reliqua quae sunt vel armenti vel gregis: minus perfecta sunt volatilia; et imperfecta sunt pisces, conchilia, quae quia sunt infima illius gradus, sunt sicut in umbra, cum illa in luce. Sed usque quia solum vivunt ex ultimo gradu spirituali, qui naturalis vocatur, non spectare possunt aliorsum quam ad terram, et ad victum ibi et ad consocios propter propagationem; anima omnium illorum est affectio naturalis, et appetitus. Simile est cum subjectis regni vegetabilis, quod sint perfecta, minus perfecta et imperfecta: perfecta sunt arbores fructus, minus perfecta sunt arbores vini et virgulta, ac imperfecta sunt gramina: sed vegetabilia trahunt ex spirituali ex quo, quod sint usus, et animalia ex spirituali ex quo, quod sint affectiones et appetitus, ut dictum est.

347. [(vii.)] *Quod utraque forma, dum existit, propagationis media accipiat.*—Quod in omnibus productis ex tellure, quae ut dictum est, vel ad regnum vegetabile vel ad regnum animale pertinent, sit aliqua imago creationis, tum aliqua imago hominis, et quoque aliqua imago Infiniti ac Aeterni, supra (n. 313–318) ostensum est; et quod imago Infiniti et Aeterni eluceat ex eo, quod propagari possint in infinitum et in aeternum, Inde est quod omnia propagationis media accipiant, subjecta regni animalis per semina in ovo, vel in utero, vel per egestiones; et subjecta regni vegetabilis per semina in terris. Ex his constare potest, quod tametsi animalia et vegetabilia imperfectiora et

noxia exoriuntur per influxum immediatum ex inferno, usque postea mediate per semina, ova aut traducem propagentur: quare posito uno non tollitur alterum.

348. Quod omnes usus tam boni quam mali sint ex origine spirituali, ita a Sole ubi Dominus, illustrari potest per hanc experientiam. Audivi quod bona et vera demissa sint per caelos a Domino ad inferna, et quod eadem illa recepta per gradus ad profundum ibi versa sint in mala et falsa bonis et veris demissis opposita. Quod ita factum sit, fuit causa, quia subjecta recipientia vertunt omnia quae influunt in talia quae congruunt formis suis, prorsus sicut candida lux solis vertitur in colores tetros, et in nigrum, in objectis quorum substantiae interius in tali forma sunt ut lucem suffocent et exstinguant; et quod stagna, stercora et cadavera vertant calorem solis in putores. Ex his constare potest, quod etiam mali usus sint a Sole spirituali, sed quod boni usus in malos in inferno convertantur. Inde patet, quod Dominus non creaverit et creet nisi quam bonos usus, sed quod infernum producat malos.

Quod visibilia in universo creato testentur, quod natura nihil produxerit, et nihil producat, sed quod omnia Divinum ex se, et per mundum spiritualem.

349. Plerique in mundo ex apparentia loquuntur, quod sol per calorem et lucem producat id quod conspicitur in campis, agris, hortis et silvis; tum quod sol per calorem suum ex ovis excludat vermes, et quod bestias terrae et aves caeli faciat prolificare, immo etiam quod hominem vivificet. Illi qui solum ex apparentia ita loquuntur, possunt ita loqui, attamen usque non illa adscribunt naturae, non enim cogitant de eo: sicut qui loquuntur de sole, quod oriatur et occidat, ac faciat dies et annos, et quod nunc in illa aut illa altitudine sit, illi similiter ex apparentia loquuntur, et possunt ita loqui, et tamen non illa adscribunt soli; non enim cogitant de solis statione et telluris circumversione. At illi qui se confirmant in eo, quod sol per calorem et lucem producat illa quae super

tellure apparent, illi tandem adscribunt omnia naturae, et quoque creationem universi, et fiunt naturalistae, et tandem athei. Hi quidem postea possunt dicere, quod Deus creaverit naturam, ac indiderit ei potentiam producendi talia: sed hoc dicunt ex timore jacturae famae; at usque per Deum Creatorem intelligunt naturam, et quidam ejus intimum, et tunc Divina, quae ecclesia docet, nihili faciunt.

350. Ignoscendi quidem sunt aliqui, quod naturae adscripserint quaedam visibilia, ex duplici causa: *Prima*, quod non sciverint aliquid de Sole caeli, ubi est Dominus, ac de influxu inde; nec aliquid de mundo spirituali et ejus statu, immo nec de praesentia ejus apud hominem; et quod inde non aliter cogitare potuerint, quam quod spirituale esset purius naturale; et sic quod angeli essent vel in aethere, vel in stellis; tum de diabolo, quod esset vel hominis malum, vel si actualiter existeret, esset vel in aere, vel in profundis; tum quod animae hominum post mortem vel essent in intimo terrae, vel in aliquo *ubi* seu *pu* usque ad diem judicii; et similia alia quae phantasia induxit ex ignorantia mundi spiritualis et ejus Solis. *Altera* causa quod ignoscendi sint, est quod non scire potuerint, quomodo Divinum produceret omnia illa quae super tellure apparent, ubi tam bona quam mala sunt; timentes id apud se confirmare, ne etiam mala adscriberent Deo, et ne materialem ideam de Deo conciperent, ac Deum et naturam unum facerent, et sic confunderent. Hae binae causae sunt, quod ignoscendi sint qui crediderunt quod natura producat visibilia ex insito a creatione. Sed usque illi qui per confirmationes pro natura se atheos fecerunt, non ignoscendi sunt, quia potuerunt se confirmare pro Divino: ignorantia quidem excusat, sed non tollit falsum confirmatum, nam hoc falsum cohaeret cum malo, ita cum inferno: quare iidem qui se confirmaverunt pro natura usque ad separationem Divini ab illa, non aliquid reputant pro peccato, quia omne peccatum est contra Divinum quod separaverunt et sic rejecerunt; et qui nihil pro peccato reputant in spiritu, illi post mortem, dum fiunt spiritus, vincti inferno ruunt in nefaria secundum cupiditates, quibus laxaverunt frena.

351. Illi qui credunt Divinam operationem in singulis

naturae, possunt ex permultis, quae in natura vident, se confirmare pro Divino, aeque, immo plus, quam illi qui se confirmant pro natura; illi enim qui se confirmant pro Divino, attendunt ad mirabilia quae conspiciuntur in productionibus tam vegetabilium quam animalium. *In productionibus vegetabilium:* quod ex seminulo jacto in terram exeat radix, per radicem caulis, ac successive frondes, folia, flores, fructus, usque ad nova semina; prorsus sicut semen sciret ordinem successionis, aut processum quo se renovaturum sit. Quis rationalis cogitare potest, quod sol, qui est purus ignis, hoc sciat, aut quod possit indere calori suo et luci suae, ut talia efficiat, tum quod possit formare mirabilia in illis, ac intendere usum? Homo, cui rationale elevatum est, cum illa videt et expendit, non potest aliter cogitare, quam quod sint ab Ipso cui infinita sapientia est, ita a Deo. Illi qui agnoscunt Divinum, id quoque vident et cogitant; at illi qui non agnoscunt, id non vident et cogitant, quia non volunt; et sit demittunt rationale suum in sensuale, quod omnes ideas suas trahit ex lumine in quo sunt sensus corporis, ac fallacias illorum confirmat, dicendo, "Numne vides solem per calorem suum et lucem suam haec operantem? Quid est id quod non vides? num est aliquid?" Illi qui se confirmant pro Divino, attendunt ad mirabilia quae conspiciuntur in *productionibus animalium:* ut hic solum memorem in ovis; quod in illis lateat pullis in suo semine seu inchoamento cum omni requisito usque ad exclusionem, et quoque cum omni progressione post exclusionem usque ut fiat avis aut volatile in forma genitoris; et si attendit ad formam, quod illa talis sit, ut non possit, si alte cogitat, quam in stuporem venire, ut quod in minimis eorum sicut in maximis, immo in invisibilibus sicut in visibilibus, sint organa sensuum, quae sunt visus, [auditus,] [n]odoratus, gustus, tactus, tum organa motuum quae sunt musculi, volant enim et gradiuntur, ut et viscera circum corda et pulmones, quae actuantur a cerebris. Quod vilia insecta etiam talibus gaudeant, notum est ab anatome illorum a quibusdam descripta, imprimis a Swammerdamo in ejus *Bibliis Naturae.* Qui omnia naturae adscribunt, illi quidem vident talia, sed cogitant modo quod sint, et dicunt quod natura producat, et hoc dicunt quia averterunt mentem a cogitando de Divino; et qui averterunt se a

cogitando de Divino, dum vident mirabilia in natura, non possunt rationaliter, minus spiritualiter cogitare; sed cogitant sensualiter et materialiter; et tunc cogitant in natura ex natura, et non supra illam, similiter ut faciunt illi qui in inferno sunt; solum cum differentia a bestiis, quod rationalitate polleant, hoc est, quod possint intelligere, et sic aliter cogitare [n]si velint.

352. Illi qui averterunt se a cogitando de Divino, cum vident mirabilia in natura, et per id fiunt sensuales, non cogitant quod visus oculi tam crassus sit, ut plura insectula videat sicut unum obscurum, et quod tamen unumquodvis eorum organizatum sit ad sentiendum et ad se movendum, et sic quod praeditum sit fibris et vasis, tum corculis, fistulis pulmonicis, viscerulis ac cerebris, et quod haec contexta sint ex purissimis in natura, et quod contextus illi correspondeant alicui vitae, e qua minutissima eorum distincte aguntur. Cum visus oculi tam crassus est, ut plura talia, cum innumerabilibus in unoquovis, appareant ei sicut parvum obscurum, et tamen illi qui sensuales sunt ex illo visu cogitant et judicant, patet quam incrassata est mens eorum, et inde in qua caligine sunt de spiritualibus.

353. Quisque ex visibilibus in natura potest se confirmare pro Divino, si vult, et quoque se confirmat qui de Deo cogitat ex vita; ut dum videt volatilia caeli, quod quaelibet eorum species sciat sua alimenta, et ubi sunt, cognoscat ex sono et visu consocios, tum inter alios quinam eorum amici, et quinam inimici sunt, quod connubia jungant, congressus sciant, arte struant nidos, ibi ponant ova, incubent illis, tempus incubatus sciant, quo exacte excludunt pullos, illos tenerrime amant, sub alis fovent, escas porrigunt et alunt, hoc usque dum sui juris fiunt, et similia possunt agere, et procreare familiam ad perpetuandum suum genus. Omnis qui vult de influxu Divino per mundum spiritualem in naturalem cogitare, potest illum in his videre; potest etiam si vult corde suo dicere, "Tales scientiae non possunt in illos influere ex sole per ejus lucis radios; est enim sol, ex quo natura suum ortum et essentiam ducit, purus ignis, et inde radii lucis ejus prorsus mortui," et sic possunt concludere, quod talia sint ex influxu Divinae Sapientiae in ultima naturae.

354. Quisque ex visibilibus in natura pro Divino potest se confirmare, dum videt vermes, qui ex jucundo cujusdam cupidinis affectant et spirant mutationem status sui terrestris in statum quendam analogum caelestis, et propterea repunt in loca, ac mittunt se sicut in uterum ut renascantur, et ibi fiant chrysallides, aureliae, erucae, nymphae, et demum papiliones, et tunc hanc metamorphosin passae, et secundum speciem pulchris induti alis, evolant in aerem sicut in suum caelum, ac ibi genialiter ludunt, agunt connubia, ponunt ova, ac prospiciunt sibi posteritatem ; ac interea victu amoeno et dulci ex floribus se nutriunt. [1]Quis non, qui pro Divino ex visibilibus naturae se confirmat, non videt aliquam imaginem terrestris status hominis in illis ut vermibus, et imaginem status caelestis in illis ut papilionibus. At illi qui pro natura se confirmant, vident quidem illa, sed quia caelestem hominis statum rejecerunt animo, vocant illa meros naturae instinctus.

355. Quisque ex visibilibus in natura pro Divino se potest confirmare, dum attendit ad illa quae nota sunt de apibus, quod sciant ex herbis et floribus colligere ceram, et exsugere mel, ac struere cellas sicut domunculas, et disponere illas in formam civitatis cum plateis per quas intrent et per quas exeant; quod e longinquo odorent flores et herbas, e quibus colligant ceras pro domo, ac mella pro victu, et quod illis [2]refertae revolent secundum plagam, ad suum alveare. Sic prospiciunt sibi victum et habitationem pro ventura hieme, sicut illam praeviderent et scirent. Praeficiunt etiam sibi dominam sicut reginam, ex qua posteritas propagetur; et pro illa quasi aulam supra se struunt, cum satellitiis circum, quae cum tempus partus instat, vadit in comitatu a satellitiis a cellula in cellulam, et ponit ova, quae turba sequens circumlinit ne laedantur ab aere; inde illis nova soboles. Postea, cum haec ad aetatem suam provecta est, ut similia possint facere, expellitur domo; ac expulsum examen se primum colligit, et inde in turma, ne consociatio dissipetur, evolat ad investigandum sibi domicilium. Circa autumnum etiam inutiles fuci educuntur, et deprivantnr alis, ne redeant, et escas suas, quibus nihil operae impenderunt, consumant: **praeter plura. Ex quibus constare potest, quod illis prop-**

ter usum quem praestant humano generi, ex influxu e spirituali mundo, sit forma regiminis qualis est apud homines in terris, immo apud angelos in caelis. Quis cui ratio illibata est, non videt, quod talia apud illos non sint ex mundo naturali? Quid sol a quo natura est, commune habet cum regimine aemulo et analogo regiminis caelestis? Ex his et ex consimilibus aliis apud animalia bruta, confessor et cultor naturae confirmat se pro natura, cum confessor et cultor Dei ex iisdem confirmat se pro Divino. Nam spiritualis homo videt spiritualia in illis, et naturalis homo videt naturalia in illis, ita quisque qualis est. Quod me attinet, talia mihi fuerunt testimonia influxus spiritualis in naturale, seu mundi spiritualis in mundum naturalem, ita a Divina Sapientia Domini. Expende etiam, num de aliqua forma regiminis, aut de aliqua lege civili, aut de aliqua virtute morali, aut de aliqua veritate spirituali, potes analytice cogitare, nisi Divinum ex Sapientia sua per mundum spiritualem influat. Quod ad me, non potui nec possum: animadverti enim perceptibiliter et sensibiliter influxum illum nunc intra novendecim annos continue; quare hoc dico ex testato.

356. Num aliquod naturale pro fine potest habere usum, ac disponere usus in ordines et in formas? Hoc non potest nisi quam sapiens; ac universum ita ordinare et formare, non potest nisi Deus, cui infinita Sapientia est. Quis alius, aut quid aliud, potest praevidere et providere omnia illa quae victus et amictus sint hominibus, victus ex fructibus terrae et ex animalibus, ac vestitus ex iisdem. Inter mirabilia est, quod viles illi vermes, qui vocantur bombyces, serico vestirent, et magnifice ornarent, et feminas et viros a reginis et regibus usque ad ancillas et famulos; et quod viles vermes, qui sunt apes, suppeditarent ceras pro luminaribus, ex quibus templa et aulae in splendore sunt. Haec et plura sunt auctoramenta exstantia, quod Dominus a Se per mundum spiritualem operetur omnia quae in natura existunt.

357. His adjiciendum est, quod in mundo spirituali mihi visi sint illi, qui pro natura ex visibilibus mundi se confirmaverunt, usque ut athei facti sint; et quod intellectus eorum in luce spirituali apparuerit apertus infra, sed clausus supra, ex causa quia cogitatione spectarunt de-

orsum ad terram, et non sursum ad caelum. Supra sensuale, quod est infimum intellectus, apparuit sicut velamen; apud quosdam fulgurans ex igne infernali, apud quosdam atrum sicut fuliginis, et apud quosdam lividum sicut cadaveris. Caveat itaque quisque sibi a confirmationibus pro natura; confirmet se pro Divino; non deest supellex.

Pars Quinta.

Quod a Domino apud hominem creata et formata sint duo receptacula et habitacula Ipsius, quae vocantur Voluntas et Intellectus; Voluntas pro Divino Amore Ipsius, et Intellectus pro Divina Sapientia Ipsius.

358. Actum est de Divino Amore et de Divina Sapientia Dei Creatoris, qui est Dominus ab aeterno; et de creatione universi; nunc aliquid dicetur de creatione hominis. Legitur quod homo creatus sit in imaginem Dei secundum similitudinem Ipsius (*Genes.* i. 26). Per "imaginem Dei" ibi intelligitur Divina sapientia, et per "similitudinem Dei" Divinus amor; nam sapientia non aliud est quam imago amoris, sistit enim amor se videndum et cognoscendum in sapientia; et quia ibi videtur et cognoscitur, est sapientia imago ejus. Amor etiam est Esse vitae, et sapientia est Existere vitae ex illo. Similitudo et imago Dei apparet perspicue apud angelos; elucet enim amor ab interiori in facie illorum, et sapientia in pulchritudine, et pulchritudo est forma amoris illorum: vidi et cognovi.

359. Homo non potest esse imago Dei secundum similitudinem Ipsius, nisi Deus sit in illo, et sit vita ejus ab intimo. Quod Deus sit in homine, et ab intimo sit vita ejus, sequitur ex illis quae supra (n. 4–6) demonstrata sunt, quod solus Deus sit Vita, et quod homines et angeli sint recipientes vitae ab Ipso. Notum etiam est ex Verbo, quod Deus sit in homine, et quod mansionem apud illum faciat; et quia notum est ex Verbo, sollenne est praedicatoribus dicere, ut praeparent se ad recipiendum Deum, ut intret in illos, ut sit in cordibus eorum, ut sint habitaculum Ipsius: similiter loquitur devotus in precibus; ita quidam apertius de Spiritu Sancto, quem credunt in ipsis esse, dum in sancto zelo sunt, et ex illo cogitant, loquuntur et praedicant. Quod Spiritus Sanctus sit Dominus, et non aliquis Deus qui est Persona per se, in

Doctrina Novae Hierosolymae de Domino (n. 51–53) ostensum est. Dicit enim Dominus,

> "In die illo cognoscetis,...quod vos in Me, et Ego in vobis" (*Joh.* xiv. [20,] 21; similiter, cap. xv. [1]4, 5; cap. xvii. 23).

360. Nunc quia Dominus est Divinus Amor et Divina Sapientia, et haec duo essentialiter sunt Ipse, ut habitet in homine, et homini det vitam, necessum est, ut in homine creaverit et formaverit receptacula et habitacula Sui, unum pro amore et alterum pro sapientia. Haec receptacula et habitacula apud hominem vocantur voluntas et intellectus; receptaculum et habitaculum amoris, voluntas; ac receptaculum et habitaculum sapientiae, intellectus. Quod haec duo sint Domini apud hominem, et quod ex illis duobus sit omnis vita homini, videbitur in sequentibus.

361. Quod duo illa, voluntas et intellectus, sint cuivis homini, et inter se distincta sicut amor et sapientia inter se, scitur et non scitur in mundo. Scitur ex communi perceptione, et non scitur ex cogitatione, et minus ex hac in descriptione. Quis enim non ex communi perceptione scit, quod voluntas et intellectus sint duo distincta apud hominem? Quisque enim id percipit dum audit, et quoque dicere potest alteri, "Hic bene vult, sed non bene intelligit; at hic bene intelligit, sed non bene vult; amo illum qui bene intelligit et bene vult, sed non amo illum qui bene intelligit et male vult:" at cum ille cogitat de voluntate et intellectu, non illa duo facit et distinguit, sed confundit; causa est quia cogitatio communicat cum visu corporis. Ille adhuc minus comprehendit quod voluntas et intellectus duo distincta sint, cum scribit; causa est, quia tunc cogitatio communicat cum sensuali, quod est proprium hominis; inde est, quod quidam possint bene cogitare et loqui, sed usque non bene scribere; hoc commune est apud sexum femininum. Simile est cum rebus aliis multis. Quis non ex communi perceptione novit, quod homo qui bene vivit, salvetur, et qui male vivit condemnetur? Tum quod homo qui bene vivit inter angelos veniat, et ibi videat, audiat, et loquatur sicut homo? Ut et, quod illi conscientia sit, qui facit justum ex justo, ac rectum ex recto? At si recedit a communi perceptione, et submittit illa cogitationi, tunc non scit

quid conscientia, nec quod anima possit videre, audire et loqui sicut homo, nec quod bonum vitae sit nisi quam dare pauperibus. Ac si ex cogitatione scribis illa, confirmas illa per apparentias et fallacias, ac per verba soni et nullius rei. Inde est, quod plures eruditi, qui multum cogitaverunt, et plus qui scripserunt, communem perceptionem apud se debilitaverint et obscuraverint, immo destruxerint; et quod simplices clarius videant, quid bonum et verum, quam qui credunt se super illos sapere. Communis illa perceptio est ex influxu e caelo, ac cadit in cogitationem usque ad visum, at cogitatio separata a communi perceptione cadit in imaginationem, ex visu et ex proprio. Quod ita sit, experiaris. Dic alicui, qui in communi perceptione est, aliquod verum, et videbit; dic quod simus, vivamus et moveamur a Deo et in Deo, et videbit; dic quod Deus habitet in amore et in sapientia apud hominem, et videbit; dic porro, quod voluntas sit receptaculum amoris, et intellectus receptaculum sapientiae, et explica paulum, et videbit; dic quod Deus sit ipse Amor et ipsa Sapientia, et videbit; interroga quid conscientia, et dicet: at dic eadem alicui erudito, qui non ex communi perceptione cogitaverat, sed ex principiis vel ex ideis captis per visum e mundo, is non videbit. Expende postea, quis sapientior.

QUOD VOLUNTAS ET INTELLECTUS, QUAE SUNT RECEPTACULA AMORIS ET SAPIENTIAE, SINT IN CEREBRIS IN [1]TOTO ET IN QUALIBET PARTE EORUM, ET INDE IN CORPORE IN TOTO ET IN QUALIBET PARTE EJUS.

362. Haec demonstranda sunt hoc ordine:—

(i.) *Quod amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus faciant ipsam vitam hominis.*

(ii.) *Quod vita hominis sit in principiis suis in cerebris, et in principiatis in corpore.*

(iii.) *Quod qualis vita est in principiis, talis sit in toto et in qualibet parte.*

(iv.) *Quod vita per principia illa sit ex qualibet parte in toto, et ex toto in qualibet parte.*

(v.) *Qualis est amor talis est sapientia, et inde talis est homo.*

363. (i.) *Quod amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus, faciant ipsam vitam hominis.*—Vix aliquis scit quid vita. Cum quis cogitat de illa, apparet sicut sit quoddam volatile, cujus idea non datur. Hoc apparet, quia nescitur quod solus Deus sit Vita, et quod Vita Ipsius sit Divinus Amor et Divina Sapientia; inde patet quod non aliud sit vita apud hominem, et quod in gradu quo recipit sit apud illum vita. Notum est, quod a sole procedat calor et lux, et quod omnia universi sint recipientia, et quod in gradu quo recipiunt incalescant et luceant: ita quoque a Sole ubi est Dominus, a quo procedens calor est Amor, et procedens lux est Sapientia, ut in *Parte Secunda* ostensum est. Ex his duobus itaque, quae procedunt a Domino ut Sole, est vita. Quod amor et sapientia a Domino sit vita, constare etiam potest ex eo, quod homo sicut amor recedit ab illo, torpescat, et sicut sapientia recedit, stupescat, et si prorsus recederent, exstingueretur. Sunt plura amoris, quae alia nomina sortita sunt, quia sunt derivationes; sicut affectiones, cupidines, appetitus, et eorum voluptates et jucunditates: et sunt plura sapientiae, sicut perceptio, reflexio, recordatio, cogitatio, intentio ad rem: et sunt plura utriusque tam amoris quam sapientiae, ut consensus, conclusio, et determinatio ad actum, praeter alia: sunt quidem omnia illa utriusque, sed denominantur a potiori et propiori. Ex illis duobus ultimo derivantur sensationes, quae sunt visus, auditus, odoratus, gustus et tactus, cum earum jucundis et amoenis. Ex apparentia est quod oculus videat; sed intellectus videt per oculum; quare etiam dicitur videre de intellectu. Apparentia est, quod auris audiat, sed intellectus audit per aurem; quare etiam audire dicitur de attentione et auscultatione quae est intellectus. Apparentia est quod nares odorent, et quod lingua gustet; sed intellectus ex sua perceptione odorat, et quoque gustat; quare etiam dicitur de perceptione odorare et gustare. Et sic porro. Omnium horum et illorum fontes sunt amor et sapientia: ex quo constare potest, quod haec duo faciant vitam hominis.

364. Quod intellectus sit receptaculum sapientiae, quisque videt; at quod voluntas sit receptaculum amoris, pauci vident. Causa est quia voluntas nihil agit ex se,

sed agit per intellectum; tum quia cum amor voluntatis transit in sapientiam intellectus, primum abit in affectionem, et sic transit, et affectio non percipitur nisi per aliquod volupe cogitandi, loquendi et faciendi, ad quod non attenditur: quod tamen inde sit, patet ex eo, quod quisque velit quod amat, et quod non velit quod non amat.

365. (ii.) *Quod vita hominis in principiis sit in cerebris, et in principiatis in corpore.*—In principiis est in primis suis, et in principiatis est in productis et formatis a primis; et per vitam in principiis intelligitur voluntas et intellectus. Haec bina sunt, quae in cerebris in suis principiis sunt, et in corpore in suis principiatis. Quod principia seu prima vitae sint in cerebris, constat,—(1.) Ex ipso sensu, quod dum homo intendit mentem et cogitat, percipiat se in cerebro cogitare; intrahit sicut visum oculi, ac frontem tenet intensam, et percipit quod intus sit speculatio, maxime intra frontem, et aliquid superius. (2.) Ex formatione hominis in utero; quod cerebrum seu caput sit primum, et quod illud diu postea grandius sit corpore. (3.) Quod caput sit supra, et corpus infra; et secundum ordinem est, ut superiora agant in inferiora, et non vicissim. (4.) Quod laeso cerebro, vel in utero, vel ex vulnere, vel ex morbo, vel ex nimia intensione, cogitatio labefactetur, et quandoque mens deliret. (5.) Quod omnes sensus externi corporis, qui sunt visus, auditus, olfactus, gustus, una cum sensu universali qui est tactus, tum etiam loquela, sint in anteriore parte capitis, quae vocatur facies, ac immediate per fibras cum cerebris communicent ac vitam suam sensitivam et activam inde trahant. (6.) Inde est, quod affectiones quae sunt amoris in quadam effigie appareant in facie; et quod cogitationes quae sunt sapientiae in quadam luce in oculis. (7.) Ex anatome etiam scitur, quod omnes fibrae e cerebris per cervicem in corpus descendant, et non aliquae e corpore per cervicem in cerebra ascendant: et ubi fibrae in suis principiis ac primis sunt, ibi est vita in suis principiis ac primis. Quis sustinet negare, quin origo vitae sit ubi origo fibrarum? (8.) Dic alicui qui in perceptione communi est, "Ubinam est cogitatio, aut ubi-

nam cogitas?" et respondebit, quod in capite: at dic postea alicui, qui assignavit animae sedem vel in quadam glandula, vel corde, vel alibi, "Ubinam affectio et inde cogitatio in suo primo? annon in cerebro?" et respondebit quod non, vel quod non sciat; causam hujus inscitiae videas supra (n. 361).

366. (iii.) *Quod qualis vita est in principiis, talis sit in toto et in qualibet parte ejus.*—Hoc ut percipiatur, dicetur ubinam illa principia in cerebris sunt, et quomodo derivantur. Ubinam illa principia in cerebris sunt, patet ex anatomia: ex hac notum est, quod bina cerebra sint, et quod illa continuentur a capite in spinam dorsi; et quod illa consistant ex binis substantiis, quae vocantur substantia corticalis et substantia medullaris; et quod substantia corticalis consistat ex innumerabilibus quasi glandulis, et substantia medullaris ex innumerabilibus quasi fibris. Nunc quia glandulae illae sunt capita fibrillarum, sunt etiam principia illarum; fibrae enim ex illis inchoant, et deinde procedunt, et successive se confasciant in nervos, ac confasciatae seu nervi factae descendunt ad organa sensoria in facie, et ad organa motoria in corpore, et formant illa; consule aliquem scientiae anatomicae peritum, et confirmaberis. Substantia illa corticalis seu glandularis facit superficiem cerebri, tum superficiem corporum striatorum, ex quibus medulla oblongata, et facit medium cerebelli, et quoque medium medullae spinalis: substantia autem medullaris seu fibrillaris ubivis inchoat et procedit exinde, et ex hac sunt nervi, ex quibus omnia corporis: quod ita sit, autopsia docet. Qui haec [r]sciunt vel ex scientia anatomica, vel ex confirmatione ex illis qui in ea scientia sunt, possunt videre, quod vitae principia non alibi sint quam ubi sunt initia fibrarum, et quod fibrae non possint ex se, sed ex illis procedere. Sunt principia seu initia illa, quae apparent ut glandulae, paene innumerabilia; multitudo illorum comparari potest multitudini stellarum in universo; et multitudo fibrillarum ex illis comparari potest multitudini radiorum exeuntium e stellis, et ferunt calorem et lucem illarum in terras. Multitudo glandularum istarum etiam comparari potest multitudini societatum angelicarum in caelis, quae etiam innumerae sunt, et in

simili ordine, ut mihi dictum est ; et multitudo fibrillarum exeuntium ex illis glandulis comparari potest spiritualibus veris et bonis, quae similiter sicut radii exinde defluunt. Inde est, quod homo sit sicut universum, et sicut caelum in minima forma ; ut supra passim dictum et ostensum est. Ex his constare potest, quod qualis vita est in principiis, talis sit in principiatis ; seu qualis vita est in suis primis in cerebris, talis sit in ortis ex illis in corpore.

367. (iv.) *Quod vita per principia illa sit ex qualibet parte in toto, et ex toto in qualibet parte*, est quia totum, quod est cerebrum et simul corpus, originitus non consistit nisi ex fibris quae procedunt ex suis principiis in cerebris ; non aliunde est origo, ut patet ex illis quae mox supra (n. 366) ostensa sunt ; inde ex qualibet parte est totum : quod etiam vita per principia illa ex toto sit in qualibet parte, est quia totum subministrat cuilibet parti suum pensum et requisitum, et per id facit ut sit pars in toto. Verbo, totum existit ex partibus, et partes subsistunt ex toto. Quod talis reciproca communio sit, et per illam conjunctio, patet a multis in corpore. Est enim simile ibi, sicut in civitate, republica et regno, quod commune existat ex hominibus qui sunt partes, et quod partes seu homines subsistant ex communi. Simile est cum omni re, quae in aliqua forma est ; maxime in homine.

368. (v.) *Qualis est amor talis est sapientia, et inde talis est homo.*—Nam qualis est amor et sapientia, talis est voluntas et intellectus, voluntas enim est receptaculum amoris, ac intellectus est receptaculum sapientiae, ut supra ostensum est ; et haec duo faciunt hominem, et ejus quale. Amor est multiplex ; et tam multiplex ut varia ejus sint indefinita ; ut constare potest ex humano genere in terris et in caelis : non datur unus homo et unus angelus alteri ita similis, ut nulla distinctio sit ; est amor qui distinguit, quisque enim est suus amor. Putatur quod sapientia distinguat, sed sapientia est ex amore ; est forma ejus ; nam amor est Esse vitae, et sapientia est Existere vitae ex illo Esse. Creditur in mundo, quod intellectus faciat hominem ; sed hoc creditur, quia intellectus potest elevari in lucem caeli, ut supra ostensum est, et homo sic apparere sicut sapiens ; sed usque id intellectus quod transcendit, hoc est, quod non est amoris, hoc apparet

quod sit hominis, ita quod homo talis sit, sed est apparentia: id enim intellectus quod transcendit, est quidem amoris sciendi et sapiendi, sed non est simul amoris applicandi vitae id quod scit et sapit; quare id in mundo vel tempore recedit, vel extra res memoriae in terminis ut deciduum moratur; quapropter post mortem separatur, et non plus remanet, quam quod cum amore proprio spiritus concordat. Quia amor facit vitam hominis, et sic ipsum hominem, ideo sunt omnes societates caeli, et omnes angeli in societatibus, ordinati secundum affectiones quae sunt amoris; et nulla societas et in societate nullus angelus secundum aliquid intellectus separatum ab amore ejus. Similiter in infernis et illorum societatibus, sed secundum amores caelestibus amoribus oppositos. Ex his constare potest, quod qualis est amor talis sit sapientia, et quod inde talis sit homo.

369. Agnoscitur quidem, quod homo talis sit, qualis est ejus amor regnans, sed modo talis quoad mentem et animum, non autem quoad corpus, ita non totus talis. At ex pluri experientia in mundo spirituali notum mihi factum est, quod homo a capite ad calcem, seu a primis in capite ad ultima in corpore, talis sit qualis ejus amor est. Omnes enim in illo mundo sunt formae amoris sui; angeli formae amoris caelestis, et diaboli formae amoris infernalis; hi sunt deformes facie et corpore, illi autem formosi et facie et corpore; et dum impugnatur illorum amor, facies illorum mutantur, et si multum impugnatur, quoad totum disparantur; hoc peculiare est in illo mundo. Ita fit, quia corpus eorum unum facit cum mente illorum. Causa ex supradictis patet, quod omnia corporis principiata sint, hoc est, contexta per fibras ex principiis, quae sunt receptacula amoris et sapientiae; et cum principia talia sunt, non possunt principiata alia esse; quare quo principia abeunt, principiata sequuntur; non possunt separari. Inde est, quod qui mentem suam elevat ad Dominum, ille totus ad Dominum elevatus sit; et quod qui mentem ad infernum dejicit, ille totus illuc dejectus sit. Quare homo totus, secundum amorem vitae ejus, vel in caelum vel in infernum venit. Ex sapientia angelica est, quod mens hominis sit homo, quia Deus est Homo; et quod corpus sit externum mentis quod sentit et agit; et quod sic unum sint, et non duo.

370. Observandum est, quod ipsae formae membrorum, organorum et viscerum hominis quoad ipsam contexturam sint ex fibris oriundis ex principiis suis in cerebris, sed quod fixentur per substantias et materias quales sunt in terris, et ex terris in aere et aethere, quod fit medio sanguine ; quare ut omnia corporis in sua formatione subsistant, et sic in functionibus suis permaneant, homo nutriendus est cibo materiali, et jugiter redintegrandus.

QUOD CORRESPONDENTIA VOLUNTATIS CUM CORDE, ET INTELLECTUS CUM PULMONE SIT.

371. Hoc in hac serie demonstrandum est :—

(i.) *Quod omnia mentis se referant ad voluntatem et intellectum, et omnia corporis ad cor et pulmonem.*

(ii.) *Quod correspondentia voluntatis et intellectus sit cum corde et pulmone, et inde correspondentia omnium mentis cum omnibus corporis.*

(iii.) *Quod voluntas correspondeat cordi.*

(iv.) *Quod intellectus correspondeat pulmoni.*

(v.) *Quod per correspondentiam illam detegi possint multa arcana de voluntate et intellectu, ita quoque de amore et sapientia.*

(vi.) *Quod mens hominis sit ejus spiritus, et quod spiritus sit homo, et quod corpus sit externum per quod mens seu spiritus sentit et agit in suo mundo.*

(vii.) *Quod conjunctio spiritus hominis cum corpore sit per correspondentiam voluntatis et intellectus ejus cum corde et pulmone ejus, et disjunctio per non correspondentiam.*

372. (i.) *Quod omnia mentis se referant ad voluntatem et intellectum, et omnia corporis ad cor et pulmonem.*—Per mentem non aliud intelligitur quam voluntas et intellectus, quae in suo complexu sunt omnia quae hominem afficiunt, et quae homo cogitat : ita omnia quae affectionis et cogitationis hominis sunt ; illa quae afficiunt hominem sunt voluntatis ejus, et illa quae homo cogitat, sunt intellectus ejus. Quod omnia cogitationis hominis sint ejus intellectus, scitur, quoniam homo cogitat ex intellectu ; at quod omnia affectionis hominis sint ejus voluntatis, non ita scitur. Quod non ita sciatur, est causa, quia homo cum cogitat, non attendit ad affectionem, sed solum ad illa quae cogitat ; sicut cum audit loquentem, non attendit ad so-

num, sed ad ipsam loquelam, cum tamen affectio in cogitatione similiter se habet sicut sonus in loquela; quare ex sono loquentis cognoscitur affectio ejus, et ex loquela cogitatio ejus. Quod affectio sit voluntatis, est quia omnis affectio est amoris, et amoris receptaculum est voluntas, ut supra ostensum est. Qui non scit quod affectio sit voluntatis, confundit affectionem cum intellectu; dicit enim unum esse cum cogitatione, at usque non unum sunt, sed ut unum agunt. Quod confundantur, patet a communi loquela, quod dicatur, "Hoc cogito facere," hoc est, Hoc volo facere; quod autem duo sint, patet etiam a communi loquela, quod dicatur, "De hac re volo cogitare;" et cum de illa cogitat, inest affectio voluntatis cogitationi intellectus, sicut sonus inest loquelae, ut dictum est. Quod omnia corporis se referant ad cor et pulmonem, notum est; sed quod correspondentia sit cordis et pulmonis cum voluntate et intellectu, non notum est, quare de hac re in sequentibus agetur.

373. Quoniam voluntas et intellectus sunt receptacula amoris et sapientiae, ideo sunt illa duo, formae organicae, seu formae ex purissimis substantiis organizatae; ut enim receptacula sint, erunt tales. Non obstat, quod organizatio illorum non pateat coram oculo; est intra ejus visum, etiam exaltatum per microscopia. Intra visum etiam sunt minima insecta, in quibus etiam sunt sensoria et motoria; sentiunt enim, ac gradiuntur et volant: quod etiam illis sint cerebra, corda, fistulae pulmonares, viscera, ex anatome illorum per microsopia a perspicacibus detectum est. Cum ipsa insectula non patent coram visu, et minus adhuc viscerula ex quibus, et non negatur quin illa usque ad singula in illis organzata sunt, quomodo tunc dici potest, quod non bina receptacula amoris et sapientiae, quae vocantur voluntas et intellectus, formae organicae sint? Quomodo potest amor et sapientia, quae sunt vita a Domino, agere in non subjectum, aut in aliquid quod non substantialiter existit? Quomodo alioqui potest cogitatio inhaerere, et aliquis ex cogitatione non inhaerente loqui? Estne cerebrum, ubi cogitatio existit, plenum, et unumquodvis ibi organizatum? Ipsae formae organicae ibi coram nudo oculo etiam apparent, et exstanter in substantia corticali receptacula voluntatis et intellectus in principiis suis, ubi

sicut parvae glandulae conspiciuntur, de qua re videatur supra (n. 366). Ne quaeso ex idea vacui de his cogites: vacuum est nihilum, et in nihilo nihil fit, et ex nihilo nihil existit. (De idea vacui videatur supra, n. 82.)

374. (ii.) *Quod correspondentia voluntatis et intellectus sit cum corde et pulmone, et inde correspondentia omnium mentis cum omnibus corporis.*—Hoc novum est, quia hactenus non notum, ex causa quia non notum fuit quid spirituale, et quae differentia ejus a naturali, et inde non notum quid correspondentia; correspondentia enim est spiritualium cum naturalibus, et per illam conjunctio eorum. Dicitur quod hactenus non notum fuerit, quid spirituale, et quae ejus correspondentia cum naturali, et inde quid correspondentia, sed usque utrumque potuit notum esse. Quis non scit quod affectio et cogitatio sint spirituales, et inde quod omnia affectionis et cogitationis sint spiritualia? Quis non scit quod actio et loquela sint naturales, et inde omnia quae actionis et loquelae sunt, naturalia sint? Quis non scit quod affectio et cogitatio, quae spirituales sunt, faciant ut homo agat et loquatur? Quis inde non scire potest quid correspondentia spiritualium cum naturalibus? Annon cogitatio facit ut lingua loquatur, et affectio una cum cogitatione ut corpus agat? Sunt duo distincta. Cogitare possum et non loqui, et velle possum et non agere: et scitur quod corpus non cogitet et non velit, sed quod cogitatio cadat in loquelam et voluntas in actionem. Annon etiam affectio elucet ex facie, et sistit ibi typum sui? Hoc quisque novit. Estne affectio in se spectata spiritualis, ac mutationes faciei, quae etiam vultus vocantur, sunt naturales? Quis non inde potuit concludere, quod correspondentia sit, et inde quod correspondentia omnium mentis sit cum omnibus corporis? et quia omnia mentis se referunt ad affectionem et cogitationem, seu quod idem est, ad voluntatem et intellectum, et omnia corporis ad cor et pulmonem, quod correspondentia sit voluntatis cum corde, ac intellectus cum pulmone? Quod talia non nota fuerint, tametsi nota potuerunt esse, est causa, quia homo tam externus factus est, ut nihil nisi quam naturale voluerit agnoscere; hoc jucundum amoris ejus fuit, et inde jucundum intellectus ejus fuit; quare elevare cogitationem supra naturale ad

quoddam spirituale separatum a naturali injucundum ei fuit: ideo non potuit aliter ex naturali suo amore et ejus jucundo cogitare, quam quod spirituale esset purius naturale, ac correspondentia esset aliquod influens per continuum. Immo mere naturalis homo non potest separatum quid a naturali cogitare; hoc illi est nihilum. Causa quod illa non visa et inde nota hactenus fuerint, est quoque quod omnia religionis, quae vocantur spiritualia, removerint e conspectu hominis per dogmaticum in toto Christiano orbe, quod theologica, quae sunt spiritualia, quae Concilia et quidam antesignani concluserunt, caece credenda sint, quia, ut dicunt, intellectum transcendunt; inde quidam putaverunt spirituale esse sicut avis quae volat supra aerem in aethere, quo oculus visu non pertingit; cum tamen est sicut avis paradisiaca, quae volat prope oculum, et pulchris suis alis tangit pupillam ejus, et vult videri: per visum oculi intelligitur visus intellectualis.

375. Correspondentia voluntatis et intellectus cum corde et pulmone non potest nude confirmari, hoc est, solum per rationalia, sed potest per effectus. Hoc simile est sicut est cum rerum causis; hae quidem rationaliter possunt videri, sed non clare nisi per effectus; sunt enim causae in illis, et se per illos [n]dant videndas: mens nec prius se de causis confirmat. Effectus hujus correspondentiae in sequentibus tradentur. Sed ne aliquis de correspondentia hac illabatur in ideas ex hypothesibus de anima captas, perlegat prius illa quae in praecedente articulo ostensa sunt: ut, (quae n. 363, 364,) Quod amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus faciant ipsam vitam hominis: (n. 365,) Quod vita hominis sit in principiis in cerebris, et in principiatis in corpore: (n. 366,) Quod qualis vita est in principiis, talis sit in toto et in qualibet parte: (n. 367,) Quod vita per principia illa sit ex qualibet parte in toto, et ex toto in qualibet parte: (n. 368,) Quod qualis est amor, talis sit sapientia, et inde talis sit homo.

376. Hic confirmationis gratia licet afferre repraesentationem correspondentiae voluntatis et intellectus cum corde et pulmone visam in caelo apud angelos. Formabant illi per mirabilem et nullis vocibus expressibilem fluxionem in gyros, instar cordis et instar pulmonis cum omnibus contexturis interioribus quae in illis, et tunc se-

quebantur fluxum caeli; nam caelum connititur in tales formas ex influxu amoris et sapientiae a Domino; et sic repraesentabant conjunctionem cordis et pulmonis, et simul tunc correspondentiam illorum cum amore voluntatis et cum sapientia intellectus; hanc correspondentiam et unionem vocabant conjugium caeleste: dicentes, quod simile sit in toto corpore, ac in singulis ejus membris, organis et visceribus, cum illis quae ibi sunt cordis et pulmonis; ac ubi non cor et pulmo agit, et unumquodvis suas vices, ibi non possit dari aliquis motus vitae a principio aliquo voluntario, nec aliquis sensus vitae a principio aliquo intellectuali.

377. Quoniam in nunc sequentibus agitur de correspondentia cordis et pulmonis cum voluntate et intellectu, et super hac fundatur correspondentia omnium corporis, quae vocantur membra totius, organa sensuum, et viscera corporis; et quoniam correspondentia naturalium cum spiritualibus hactenus ignota fuerat, et usque ample ostensa est in binis operibus, quorum unum agit *De Caelo et Inferno*, et alterum de sensu spirituali Verbi in *Genesi* et in *Exodo*, quae vocantur *Arcana Caelestia*, velim hic indicare, quid in illis binis operibus de correspondentia scriptum et ostensum est. In opere *De Caelo et Inferno*:—De correspondentia omnium caeli cum omnibus hominis (n. 87–102). De correspondentia omnium caeli cum omnibus telluris (n. 103–115). In opere de sensu spirituali Verbi in *Genesi* et *Exodi*, quae vocantur *Arcana Caelestia*:—De correspondentia faciei et ejus vultuum cum affectionibus mentis (n. 1568, 2988, 2989, 3631, 4796, 4797, 4880[?4800], 5195[?5165], 5168, 5695, 9306). De correspondentia corporis quoad ejus gestus et actiones cum intellectualibus et voluntariis (n. 2988, 3632, 4215). De correspondentia sensuum in communi (n. 4318–4330). De correspondentia oculorum et eorum visus (n. 4403–4420). De correspondentia narium et odoris (n. 4624–4634). De correspondentia aurium et auditus (n. 4652–4634). De correspondentia linguae et gustus (n. 4791–4805). De correspondentia manuum, brachiorum, humerorum et pedum (n. 4931–4953). De correspondentia lumborum et membrorum generationis (n. 5050–5062). De correspondentia viscerum interiorum corporis, in specie ventriculi, thymi, cisternae et ductuum chyli, mesenterii (n. 5171–5180, 5189[? 5181]). De correspondentia lienis (n. 9698). De correspondentia peri-

tonaei, renum et vesicae (n. 5377–5396[? 5385]). De correspondentia hepatis, tum ductus hepatici, cystici, et pancreatici (n. 5183–5185). De correspondentia intestinorum (n. 5392–5395, 5379). De correspondentia ossium (n. 5560–5564). De correspondentia cutis (n. 5552–5573[? 5559]). De correspondentia caeli cum homine (n. 911, 1900, 1982, 2996 [ad] 2998, 3624–3649, 3741–3745, 3884, 4091 [? 4051], 4279, 4423[? 4403], 4524, 4525, 6013, 6057, 9279, 9632). Quod omnia, quae in mundo naturali et in tribus ejus regnis sunt, correspondeant omnibus quae in mundo spirituali apparent (n. 1632, 1881[? 1831], 2758, 2990–2993, 2997–3003, 3213–3227, 3483, 3624–3649, 4044, 4053, 4116, 4366, 4939, 5116, 5377, 5428, 5477, 8211, 9280). Quod omnia quae in caelis apparent, sint correspondentiae (n. 1521, 1532, 1619–1625, 1807, 1808, 1971, 1974, 1677, 1980, 1981, 2299, 2601, 3213–3226, 3349, 3350, 3457[? 3475] ad 3485, 3748, 9481, 9570, 9576, 9577). De correspondentia sensus litterae Verbi et sensus spiritualis ejus ubivis ibi actum est, de qua etiam videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de* [1]*Scriptura Sacra* (n. 5–26, 27–69[? 65]).

378. (iii.) *Quod voluntas correspondeat cordi*, non ita clare singillatim, sicut ex voluntate lustrata in effectibus, ut supra [n. 375] dictum est, constare potest. Singillatim constare potest ex eo, quod omnes affectiones quae sunt amoris inducant mutationes cordi quoad motitationes ejus, ut patet a pulsu arteriarum, quae cum corde synchrone agunt. Mutationes et motitationes ejus secundum affectiones amoris sunt innumerae. Illae quae per digitum sentiuntur sunt modo, quod pulset lente vel celeriter, alte vel humiliter, molliter vel duriter, aequaliter vel inaequaliter, et sic porro; ita aliter in laetitia quam in tristitia, aliter in tranquillitate animi quam in iracundia, aliter in intrepiditate quam in timore, aliter in morbis calidis quam in frigidis, et sic porro. Quoniam cordis motus, qui vocantur systole et diastole, secundum affectiones amoris cujusvis ita mutantur et variantur, ideo plures ex antiquis, et ex illis aliqui hodierni, adscripserunt cordi affectiones, et quoque domicilium illarum ibi statuerunt. Ex eo in communem sermonem venit dicere cor magnanimum et timidum, cor laetum et triste, cor molle et durum, cor magnum et pusillum, cor integrum et fractum, cor carneum et lapideum; pinguis, mollis, mitis corde, dare cor

ab faciendum, dare cor unum, dare cor novum, reponere corde, recipere corde, non ascendit super cor, obfirmare se corde, amicus cordis; inde dicitur concordia, discordia, vecordia, et similia plura quae amoris et ejus affectionum sunt. Similiter loquitur Verbum, ex causa quia Verbum per correspondentias conscriptum est. Sive dicas amorem sive voluntatem, idem est, quoniam amoris receptaculum est voluntas, ut supra dictum est.

379. Quod in homine, et in quovis animali, sit calor vitalis, notum est; sed unde ejus origo, non notum est: quisque de eo ex conjectura loquitur; quare qui non sciverunt aliquid de correspondentia naturalium cum spiritualibus, originem ejus adscripserunt calori solis, quidam activitati partium, quidam ipsi vitae; sed quia non sciverunt quid vita, solum in dicendo id substiterunt. Qui autem scit quod correspondentia sit amoris et ejus affectionum cum corde et ejus derivationibus, scire potest quod amor sit origo caloris vitalis: amor enim procedit a Sole spirituali ubi Dominus, ut calor, et quoque ab angelis sentitur ut calor; hic calor spiritualis, qui in sua essentia est amor, est qui per correspondentiam influit in cor et ejus sanguinem, et indit ei calorem, et simul vivificat. Quod homo secundum amorem suum et ejus gradum incalescat et quasi ignescat, et quod secundum decrescentiam ejus torpescat et frigescat, notum est; nam sentitur et videtur; sentitur ex calore totius corporis, et videtur ex rubore faciei; ac vicissim exstinctio ejus sentitur ex frigore corporis, et videtur ex pallore faciei. Quia amor est vita hominis, ideo cor est primum et ultimum vitae ejus. Et quia amor est vita hominis, et anima vitam suam agit in corpore per sanguinem, ideo sanguis in Verbo vocatur anima (*Genes.* ix. 4; *Levit.* xvii. 14). Quid per "animam" in vario sensu intelligitur, dicetur in sequentibus.

380. Quod sanguis rubeat, est quoque ex correspondentia cordis et sanguinis cum amore et ejus affectionibus: in spirituali enim mundo sunt colores omnis generis; color ruber et albus sunt illorum fundamentales, ac reliqui ex illis et ex oppositis illorum, quae sunt igneum furvum et nigrum, trahunt suas varietates; color ruber ibi correspondet amori, et color albus correspondet sapientiae. Quod color ruber correspondeat amori, est quia ex igne Solis ibi ducit originem; et quod [n]color albus correspon-

deat sapientiae, est quia a luce Solis ibi ducit originem; et quia correspondentia est amoris cum corde, inde sanguis non potest non rubere, et indicare originem suam. Inde est quod in caelis ubi amor in Dominum regnat, lux flammea sit, et angeli ibi induti sunt vestibus purpureis; et in caelis ubi sapientia regnat, lux candida sit, et angeli ibi induti sunt vestibus albis byssinis.

381. Sunt caeli in duo regna distincti, quorum unum vocatur caeleste, alterum spirituale; in regno caelesti regnat amor in Dominum, et in regno spirituali regnat sapientia ex illo amore. Illud regnum, ubi regnat amor, vocatur cardiacum caeli; et illud regnum, ubi regnat sapientia, vocatur pulmonicum caeli. Sciendum est, quod universum caelum angelicum in suo complexu referat unum hominem, et coram Domino appareat sicut unus homo; quare cor ejus facit unum regnum, et pulmo ejus facit alterum: est enim motus cardiacus et pulmonicus in communi in toto caelo, et inde in particulari in quovis angelo; et communis motus cardiacus et pulmonicus est a solo Domino, quia ab Ipso solo est amor et sapientia: in Sole enim ubi est Dominus et qui est a Domino, sunt duo illi motus, et inde in caelo angelico et in universo. Quod ita sit, abstrahe spatia, et cogita omnipraesentiam, et confirmaberis. Quod caeli distincti sint in duo regna, caeleste et spirituale, videatur in opere *De Cœlo et Inferno* (n. 26–28): et quod universum caelum angelicum in complexu referat unum hominem (n. 59–87 ibi).

382. (iv.) *Quod intellectus correspondeat pulmoni*, hoc sequitur ex dictis de correspondentia voluntatis cum corde; sunt enim duo quae regnant in spirituali homine seu in mente, voluntas et intellectus; et sunt duo quae regnant in naturali homine seu in corpore, cor et pulmo; et correspondentia est omnium mentis cum omnibus corporis, ut supra dictum est: inde sequitur, dum voluntas correspondet cordi, intellectus correspondeat pulmoni. Quisque etiam apud se potest animadvertere quod intellectus correspondeat pulmoni, tam ex cogitatione sua, quam ex loquela sua. *Ex cogitatione:* non potest quisquam cogitare nisi pulmonaris spiritus concurrat et concordet; quare cum tacite cogitat tacite respirat, si alte cogitat alte respirat; retrahit et remittit, comprimit et elevat pulmonem secundum cogitationem, ita secundum influxum affectio-

nis ex amore, lente, festine, cupide, clementer, attente; immo si prorsus continet spiritum, non potest cogitare, nisi in suo spiritu ex ejus respiratione, quod non manifeste appercipitur. *Ex loquela:* non enim effluit ex ore minimum vocis absque adjutrice ope pulmonis; sonus enim, qui articulatur in voces, omnis existit e pulmone per trachiam et epiglottidem: quare loquela secundum inflationem follis istius, et aperitionem meatus ejus, exaltatur usque in clamorem, et secundum contractionem diminuitur; et si meatus obstipatur, cessat loquela cum cogitatione.

383. Quoniam intellectus correspondet pulmoni, et inde cogitatio pulmonis respirationi, ideo per "animam" et "spiritum" in Verbo significatur intellectus: ut

Quod amaturus sis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua (*Matth.* xxii. [1]37).

Quod Deus daturus sit, novum cor et novum spiritum (*Ezech.* xxxvi. 26; *Psalm.* li. 12, 13):

quod "cor" significet amorem voluntatis, supra ostensum est; inde per "animam" et "spiritum" significatur sapientia intellectus. Quod per "spiritum Dei," qui etiam vocatur "Spiritus Sanctus," intelligatur Divina sapientia, et inde Divina veritas, per quam fit homini illustratio, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* (n. 50, 51). Inde est,

Quod Dominus spiraverit in discipulos, et dixerit, 'Accipe Spiritum Sanctum" (*Joh.* xx. 22).

Inde etiam dicitur,

Quod Jehovah Deus inspiraverit in nares Adami animam vitarum, et factus est in animam viventem (*Gen.* ii. 7)

Et quod dixerit Prophetae,

"Propheta super spiritu,..et dic ad ventum,...A quatuor ventis veni spiritus, et inspira in occisos hos, ut vivant" (*Ezech.* xxxvii. 9).

Similiter alibi. Inde est quod Dominus dicatur "Spiritus narium," et quoque "Spiraculum vitae." Quia respiratio transit per nares, ideo per illas significatur perceptio; ac intelligens dicitur esse acutae naris, et non intelligens obesae naris. Ex eo etiam est, quod *spiritus* et *ventus* in lingua Hebraea, et in quibusdam aliis linguis, sint una vox: vox enim *spiritus* trahit suam originem ab animatione, quare cum homo moritur etiam dicitur quod emittat animam. Ex eo etiam est, quod homo credat quod spiritus

sit ventus seu quid aereum, quale est halitus exspirati a pulmone, similiter quod anima. Ex his constare potest, quod per amare "Deum toto corde et tota anima," intelligatur omni amore et omni intellectu; et quod per dare "novum cor et novum spiritum," intelligatur novam voluntatem et novum intellectum. Quia "spiritus" significat intellectum, ideo dicitur de Bezaleele,

> Quod impletus sit spiritu sapientiae, intelligentiae et scientiae (*Exod.* xxxi. 3);

et de Joschua,

> Quod impletus sit spiritu sapientiae (*Deut.* xxxiv. 9);

et Nebuchadnezar [dicit] de Daniele,

> Quod spiritus excellens, scientiae, intelligentiae et sapientiae esset in eo (*Dan.* [1]v. 11, 12, 14);

et apud *Esaiam*,

> "Sciant errantes spiritu intelligentiam" (xxix. 24).

Similiter in multis aliis locis.

384. Quoniam omnia mentis se referunt ad voluntatem et intellectum, ac omnia corporis ad cor et pulmonem, ideo in capite duo cerebra sunt, et illa inter se distincta sicut sunt voluntas et intellectus inter se. Cerebellum est imprimis pro voluntate, et cerebrum imprimis pro intellectu. Similiter cor et pulmo in corpore sunt distincta a reliquis ibi: distinguuntur per diapragma, et circumteguntur proprio velamine quod vocatur pleura, et faciunt illud corporis quod vocatur pectus. In reliquis corporis, quae vocantur membra, organa, viscera, sunt duo illa conjuncta, quare etiam sunt paria; prout brachia et manus, lumbi et pedes, oculi, nares; in corpore renes, ureteres, testes; et viscera quae non sunt paria, in dextrum et sinistrum divisa sunt: praeter ipsum cerebrum in duo hemisphaeria, ipsum cor in duos ventriculos, et ipse pulmo in duos lobos: et dextrum eorum se refert ad bonum veri, et sinistrum ad verum boni; seu quod idem, dextrum se refert ad bonum amoris ex quo verum sapientiae, et sinistrum ad verum sapientiae ex bono amoris. Et quia conjunctio boni et veri est reciproca, et per illam conjunctionem fit sicut unum, ideo etiam paria illa in homine una et conjunctim agunt in functionibus, motibus, et sensibus.

385. (v.) *Quod per correspondentiam illam detegi possint multa arcana de voluntate et intellectu, ita quoque de amore et sapientia.*—In mundo vix noscitur quid voluntas et quid amor, quoniam homo non potest amare et ex amore velle ex se, quemadmodum potest intelligere et cogitare sicut ex se; similiter sicut non potest agere cor ad se movendum a se, quemadmodum potest agere pulmonem ad respirandum a se. Nunc quia in mundo vix noscitur quid voluntas et amor, et tamen noscitur quid cor et pulmo, (haec duo enim exstant coram oculis, et lustrari possunt, et quoque ab anatomicis lustrata et descripta sunt, at voluntas et intellectus non exstant coram oculis, et lustrari [non] possunt,) ideo cum scitur quod correspondeant, et per correspondentiam unum agant, possunt plura arcana de voluntate et intellectu detegi, quae alias detegi non possunt; ut de conjunctione voluntatis cum intellectu, et de reciproca intellectus cum voluntate; seu de conjunctione amoris cum sapientia, et de reciproca sapientiae cum amore; tum de derivatione amoris in affectiones, et de affectionum consociationibus, et de illarum influxu in perceptiones et cogitationes, tandem secundum correspondentiam in actus et in sensus corporis. Haec et plura arcana et detegi et demonstrari possunt ex conjunctione cordis et pulmonis, et ex influxu sanguinis e corde in pulmonem, et reciproca e pulmone in cor, et inde per arterias in omnia corporis membra, organa et viscera.

386. (vi.) *Quod mens hominis* [1]*sit ejus spiritus, et quod spiritus sit homo, et quod corpus sit externum per quod mens seu spiritus sentit et agit in suo mundo.*—Quod mens hominis sit ejus spiritus et quod spiritus sit homo, hoc aegre potest recipi fide ab illis qui cogitaverunt quod spiritus sit ventus, et quod anima sit sicut aethereum, quale est halitus exspirati a pulmone; dicunt enim "Quomodo potest spiritus esse homo, cum est spiritus? et quomodo potest anima esse homo cum est anima?" similiter de Deo quia vocatur Spiritus. Hanc ideam de spiritu et de anima traxerunt ex eo, quod spiritus et ventus in aliquibus linguis sint una vox; tum ex eo, quod cum homo moritur, dicatur quod emittat spiritum aut animam, et quod vita redeat cum spiritus aut anima pulmonis apud suffocatos aut deliquium passos redit: et quia tunc non appercipiunt

nisi ventum et aerem, judicarunt ex oculo et sensu corporis, quod spiritus et anima hominis post mortem non sit homo. Ex corporeo hoc judicio de spiritu et anima exortae sunt variae hypotheses, et ex illis enata est fides, quod homo non fiat homo quam die ultimi judicii, et quod interea moretur alicubi, et exspectet reunionem, secundum illa quae in *Continuatione de Ultimo Judicio* (n. 32–38) dicta sunt. Quoniam mens hominis est ejus spiritus, ideo angeli, qui etiam sunt spiritus, vocantur mentes.

387. Quod mens hominis sit ejus spiritus, et quod spiritus sit homo, est quia per mentem intelliguntur omnia voluntatis et intellectus hominis, et haec sunt in principiis in cerebris et in principiatis in corpore; ita sunt omnia hominis, quoad formas eorum: et quia ita est, ideo mens, hoc est, voluntas et intellectus, agit corpus et omnia ejus ad nutum. Annon corpus, quodcunque mens cogitat et vult, agit? mens arrigit aurem ad audiendum, ac intendit oculum ad videndum? mens movet linguam et labra ad loquendum, agit manus et digitos ad faciendum quicquid lubet, et pedes ad ambulandum quo vult? Annon sic corpus aliud est quam obedientia suae mentis? Num corpus potest tale esse, nisi mens in principiatis suis sit in corpore? Num congruum est cum ratione cogitare, quod corpus ex obedientia faciat quia mens ita vult? sic duo forent, unum supra et alterum infra, ac unum jubebit et alterum auscultabit. Hoc quia non cum aliqua ratione congruit, sequitur, quod vita hominis sit in principiis in cerebris, et in principiatis in corpore, secundum illa quae supra (n. 365), dicta sunt: tum, quod qualis vita est in principiis, talis sit in toto et in qualibet parte (n. 366): et quod vita per principia illa sit ex qualibet parte in toto, et ex toto in qualibet parte (n. 367). Quod omnia mentis se referant ad voluntatem et intellectum, et quod voluntas et intellectus sint receptacula amoris et sapientiae a Domino, et quod haec duo faciant vitam hominis, in praecedentibus ostensum est.

388. Ex nunc dictis etiam videri potest, quod mens hominis sit ipse homo; prima enim tela formae humanae, seu ipsa forma humana cum omnibus et singulis ejus est ex principiis e cerebro per nervos continuatis, secundum illa quae etiam supra ostensa sunt. Haec forma est, in quam homo post mortem venit, et [1]qui tunc vocatur spi-

ritus et angelus, et [x]qui est in omni perfectione homo, sed spiritualis: forma materialis, quae addita et superinducta est in mundo, non est humana forma ex se, sed est ex illa; addita et superinducta, ut homo possit usus facere in naturali mundo, et quoque aliquod fixum continens spiritualium ex purioribus substantiis mundi secum ducere, et sic continuare et perpetuare vitam. Ex sapientia angelica est, quod mens hominis non solum in communi, sed etiam in omni particulari, sit in perpetuo conatu in formam humanam, quia Deus est Homo.

389. Ut homo sit homo, non potest ulla pars deesse, non in capite nec in corpore, quae in perfecto homine existit, nam non aliquid ibi est quod non intrat in illam formam, et facit illam; est enim forma amoris et sapientiae, quae in se spectata est Divina. Omnes amoris et sapientiae determinationes sunt in illa, quae infinita sunt in Deo Homine, sed finita in imagine Ipsius, quae est homo, angelus et spiritus. Si aliqua pars deesset, quae in homine existit, deesset aliquid determinationis ab amore et sapientia sibi correspondens, per quod Dominus a primis in ultimis apud hominem posset esse, et ex Divino amore suo per Divinam sapientiam suam providere usus in mundo creato.

390. (vii.) *Quod conjunctio spiritus hominis cum corpore sit per correspondentiam voluntatis et intellectus ejus cum corde et pulmone ejus, et disjunctio per non correspondentiam.*—Quoniam hactenus ignotum fuit, quod mens hominis, per quam intelligitur voluntas et intellectus, sit spiritus ejus, et quod spiritus sit homo, et ignotum fuit quod spiritui hominis aeque sit pulsus et respiratio, sicut est corpori, non sciri potuit quod pulsus et respiratio spiritus in homine influant in pulsum et respirationem corporis ejus, et producant illam. Cum itaque spiritus hominis pulsu et respiratione gaudet aeque ac corpus, sequitur quod similis correspondentia pulsus et respirationis spiritus hominis sit cum pulsu et respiratione corporis ejus; mens enim, ut est dictum, est spiritus ejus; quare cum correspondentia binorum illorum motuum cessat, fit separatio, quae est mors. Separatio seu mors fit, quando corpus in illum statum venit, ex quocunque morbo aut casu, ut non possit unum agere cum suo spiritu, sic enim perit correspondentia, et cum correspondentia conjunctio; non cum sola respiratio cessat, sed cum pulsus cordis: nam quam-

diu cor movetur, tamdiu amor cum suo calore vitali remanet, et vitam conservat, ut patet a deliquiis, et a suffocationibus, tum a statu vitae embryonis in utero. Verbo, vita corporis hominis pendet a correspondentia pulsus et respirationis ejus cum pulsu et respiratione spiritus ejus ; et cum correspondentia illa cessat, vita corporis cessat, et spiritus ejus abit, et continuat vitam suam in mundo spirituali, quae tam similis est vitae ejus in mundo naturali, ut non sciat quod decesserit. Plerique post biduum e corpore in mundo spirituali sunt ; post biduum enim cum aliquibus locutus sum.

391. Quod spiritus aeque gaudeat pulsu et respiratione, ut homo mundi in corpore, non aliunde potest confirmari quam ab ipsis spiritibus et angelis, cum datur copia cum illis loqui. Haec copia mihi data est ; quare de ea re interrogati dixerunt, quod aeque sint homines sicut homines in mundo, et quod aeque gaudeant corpore, sed spirituali, et quod aeque sentiant pulsum cordis in pectore, et arteriarum supra palmam, sicut illi qui sunt homines in naturali mundo : de hoc interrogavi plures, et similiter dixerunt. Quod spiritus hominis in corpore ejus respiret, datum est ex propria experientia scire. Quondam angelis data est copia respirationem meam ducere, et illam ad libitum diminuere, et tandem retrahere, usque dum sola respiratio spiritus mei remanserit, quam tunc sensu percepi. Quod simile mecum factum sit, dum scire datum est statum morientium, in opere *De Caelo et Inferno* (n. 449) videatur. Aliquoties etiam in solam respirationem spiritus mei redactus sum, quam tunc concordem respirationi communi caeli sensu percepi : multis etiam vicibus in simili statu cum angelis fui, et quoque ad illos in caelum elevatus, et tunc in spiritu extra corpus, et locutus cum illis cum respiratione, similiter ut in mundo. Ex his et aliis vivis documentis mihi patuit, non modo quod spiritus hominis respiret in corpore, sed etiam postquam reliquit corpus ; et quod respiratio spiritus tam tacita sit, ut non percipiatur ab homine, et quod influat in respirationem manifestam corporis, vix aliter quam sicut causa in effectum, et cogitatio in pulmonem, et per pulmonem in loquelam. Ex his quoque patet, quod conjunctio spiritus et corporis apud hominem sit per correspondentiam motus cardiaci et motus pulmonaris utriusque.

392. Quod duo illi motus, cardiacus et pulmonaris, existant et persistant, est quia universum caelum angelicum tam in communi quam in particulari in binis illis vitae motibus est; quod universum caelum angelicum in illis sit, est quia Dominus e Sole, ubi Ipse est, et qui ab Ipso, infundat illos; nam Sol ille duos illos motus a Domino agit: et quia omnia caeli et mundi a Domino per illum Solem in tali nexu ex forma pendent, sicut opus concatenatum a primo ad ultima, et quia amoris et sapientiae vita ab Ipso est, et omnes vires universi a vita sunt, patet quod non aliunde sit origo. Quod variatio illorum sit secundum amoris et sapientiae receptionem, sequitur.

393. De correspondentia illorum motuum in sequentibus plura dicentur; ut qualis illa correspondentia est apud illos qui cum caelo respirant, et qualis apud illos qui cum inferno; tum qualis apud illos qui loquuntur cum caelo, et cogitant cum inferno, ita qualis apud hypocritas, assentatores, simulatores, et alios.

QUOD EX CORRESPONDENTIA CORDIS CUM VOLUNTATE ET INTELLECTUS CUM PULMONE, SCIRI POSSINT OMNIA QUAE DE VOLUNTATE ET INTELLECTU, SEU DE AMORE ET SAPIENTIA, ITA QUAE DE ANIMA HOMINIS, SCIRI POSSUNT.

394. In orbe erudito sudarunt multi in inquisitione de anima; sed quia nihil sciverunt de mundo spirituali, et de statu hominis post mortem, non potuerunt aliter quam condere hypotheses, non de anima qualis est, sed de operatione ejus in corpus: de anima qualis est, non potuerunt aliam ideam habere, quam sicut de purissimo quodam in aethere, et de ejus continente quam sicut de aethere. De hoc tamen non ausi sunt nisi pauca vulgare, ne aliquid naturale animae addicarent, scientes quod anima spiritualis sit. Nunc quia ita conceperunt animam, et tamen notum illis fuit quod anima operetur in corpus, et producat omnia ejus, quae ad sensum et ad motum ejus se referunt, ideo sudarunt, ut dictum est, in inquisitione de operatione animae in corpus, quam quidam dixerunt fieri per influxum, et quidam per harmoniam. Sed quia sic

non aliquid detectum est, in quo mens, quae videre vult num ita sit, acquiescere potest, ideo mihi datum est loqui cum angelis, et per illorum sapientiam de ea re illustrari; ex qua hoc est: quod anima hominis, quae vivit post mortem, sit ejus spiritus, et quod ille sit in perfecta forma homo, et quod hujus anima sit voluntas et intellectus, et quod horum anima sit amor et sapientia a Domino, et quod haec duo sint quae faciunt vitam hominis, quae a solo Domino est; et quod Dominus faciat, propter receptionem Ipsius ab homine, ut vita appareat sicut sit hominis. Sed ne homo vitam addicat sibi ut suam, et sic se a receptione Ipsius subducat, etiam Dominus docuit quod omne amoris quod vocatur bonum, et omne sapientiae quod vocatur verum, sit ab Ipso, et nihil eorum ab homine; et quia illa duo sunt vita, quod omne vitae, quod vita, sit ab Ipso.

395. Quoniam anima, quoad ipsum Esse ejus, est amor et sapientia, et haec duo a Domino apud hominem sunt, ideo apud hominem creata sunt duo receptacula, quae etiam sunt habitacula Domini apud hominem; unum pro amore, et alterum pro sapientia: illud quod pro amore est, vocatur voluntas, et alterum quod pro sapientia vocatur intellectus. Nunc quia Amor et Sapientia in Domino distincte unum sunt (videatur supra, n. 17–22); ac Divinus Amor est Divinae Sapientiae Ipsius, et Divina Sapientia est Divini Amoris Ipsius (n. 34–39); et illa similiter procedunt a Deo Homine, hoc est, Domino; ideo in homine duo illa receptacula et habitacula, quae vocantur voluntas et intellectus, a Domino ita creata sunt, ut distincte duo sint, sed usque ut unum faciant in omni operatione et in omni sensatione, non enim potest voluntas et intellectus separari in illis. Verum ut homo possit receptaculum et habitaculum fieri, ex necessitate finis, factum est, quod intellectus hominis possit supra proprium amorem ejus elevari in quandam lucem sapientiae, in cujus amore non est, et per id videre et doceri quomodo victurus est, ut quoque in illum amorem veniat, et sic fruiturus beatitudine in aeternum. Nunc quia homo facultate elevandi intellectum supra amorem suum proprium abusus est, ideo destruxit id apud se, quod potuit esse receptaculum et habitaculum Domini, hoc est, amoris et sapientiae a Domino, faciendo voluntatem habitaculum amoris sui et mundi, ac intellectum habita-

culum confirmationum amorum illorum. Haec origo est, quod bina illa habitacula, voluntas et intellectus, facta sint habitacula amoris infernalis, et per confirmationes pro illis, cogitationis infernalis, quam in inferno reputant pro sapientia.

396. Quod amor sui et amor mundi sint amores infernales, et quod homo in illos potuerit venire, et sic destruere voluntatem et intellectum apud se, est causa, quia amor sui et amor mundi ex creatione sunt caelestes; sunt enim amores naturalis hominis inservientes amoribus spiritualibus, sicut fundamenta inserviunt pro domibus: nam homo ex amore sui et mundi vult bene suo corpori, vult nutriri, vestiri, habitare, consulere suae domui, ambire functiones usus causa, immo honorari secundum dignitatem rei quam administrat, propter obedientiam, et quoque ex jucundis mundi delectari et recreari; sed haec omnia propter finem, qui erit usus: per illa enim in statu est servire Domino, et servire proximo; at cum amor serviendi Domino et serviendi proximo est nullus, et amor serviendi sibi ex mundo solus, tunc amor ille a caelesti fit infernalis, nam facit ut homo immergat suam mentem et suum animum suo proprio, quod in se est omne malum.

397. Nunc ne homo per intellectum sit in caelo, sicut potest, et per voluntatem in inferno, et ne sic mentem divisam habeat, ideo post mortem omne intellectus, quod supra amorem proprium ejus est, removetur. Unde fit, quod voluntas et intellectus apud omnes tandem unum agant; apud illos qui in caelo sunt voluntas amat bonum, et intellectus cogitat verum; apud illos autem qui in inferno sunt, voluntas amat malum, et intellectus cogitat falsum. Similiter facit homo in mundo, quando ex suo spiritu cogitat, quod fit cum solus est, tametsi multi aliter cum in corpore sunt, quod fit cum non soli sunt. Quod tunc aliter, est quia intellectum suum elevant supra proprium voluntatis suae seu spiritus sui amorem. Haec dicta sunt, ut sciatur quod voluntas et intellectus duo distincta sint, et quod tamen creata sint ut unum agant, et quod ad unum agendum, si non prius, usque post mortem adigantur.

398. Nunc quia amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus sunt quae vocantur anima, et in sequentibus

dicendum est quomodo anima agit in corpus, et operatur omnia ejus, et hoc sciri potest ex correspondentia cordis cum voluntate, et pulmonis cum intellectu, ideo per correspondentiam illam detecta sunt haec quae sequuntur :—

(i.) *Quod amor seu voluntas sit ipsa vita hominis.*

(ii.) *Quod amor seu voluntas in humanam formam continue nitatur, et in omnia quae humanae formae sunt.*

(iii.) *Quod amor seu voluntas absque conjugio cum sapientia seu intellectu non possit per humanam suam formam aliquid facere.*

(iv.) *Quod amor seu voluntas praeparet domum seu thalamum pro futura conjuge, quae est sapientia seu intellectus.*

(v.) *Quod amor seu voluntas etiam praeparet omnia in humana sua forma, ut conjunctim cum sapientia seu intellectu possit agere.*

(vi.) *Quod cum nuptiae factae sunt, prima conjunctio sit per affectionem sciendi, ex qua affectio veri.*

(vii.) *Quod altera conjunctio sit per affectionem intelligendi, ex qua perceptio veri.*

(viii.) *Quod tertia conjunctio sit per affectionem videndi id, ex qua cogitatio.*

(ix.) *Quod amor seu voluntas per tres illas conjunctiones in sua vita sensitiva et in sua vita activa sit.*

(x.) *Quod amor et voluntas introducat sapientiam seu intellectum in omnia domus suae.*

(xi.) *Quod amor seu voluntas nihil agat nisi in conjunctione cum illa.*

(xii.) *Quod amor seu voluntas se conjungat sapientiae seu intellectui, ac faciat ut sapientia seu intellectus reciproce conjungatur.*

(xiii.) *Quod sapientia seu intellectus ex potentia sibi data ab amore seu voluntate possit elevari, ac recipere illa quae lucis sunt e caelo, ac percipere illa.*

(xiv.) *Quod amor seu voluntas similiter possit elevari, ac percipere illa quae caloris sunt e caelo, si amat suam conjugem in illo gradu.*

(xv.) *Quod amor et voluntas alioqui retrahat sapientiam seu intellectum a sua elevatione, ut secum unum agat.*

(xvi.) *Quod amor seu voluntas purificetur a sapientia in intellectu, si simul elevantur.*

(xvii.) *Quod amor seu voluntas conspurcetur in intellectu et ab illo, si non simul elevantur.*

(xviii.) *Quod amor purificatus a sapientia in intellectu fiat spiritualis et caelestis.*

(xix.) *Quod amor conspurcatus in intellectu et ab illo, fiat naturalis et sensualis.*

(xx.) *Quod usque remaneat facultas intelligendi, quae vocatur rationalitas, et facultas agendi quae vocatur libertas.*

(xxi.) *Quod amor spiritualis et caelestis sit amor erga proximum et amor in Dominum: et quod amor naturalis et sensualis sit amor mundi et amor sui.*

(xxii.) *Quod simile sit cum charitate et fide, et cum illarum conjunctione, ut est cum voluntate et intellectu, et cum horum conjunctione.*

399. (i.) *Quod amor seu voluntas sit ipsa vita hominis*, sequitur a correspondentia cordis cum voluntate, (de qua supra, n. 378–381,) nam sicut cor agit in corpore, ita voluntas in mente; et sicut omnia corporis pendent quoad existentiam et quoad motum a corde, ita omnia mentis quoad existentiam et quoad vitam a voluntate. Dicitur *a voluntate*, sed intelligitur ab amore, quia voluntas est receptaculum amoris, et amor est ipsa vita (videatur supra, n. 1–3); et amor qui est ipsa vita, est a solo Domino. Quod ex corde et ejus expansione in corpus per arterias et venas, sciri possit quod amor seu voluntas sit vita hominis, est quia illa quae sibi correspondent similiter agunt, cum discrimine quod unum sit naturale et alterum spirituale. Quomodo cor agit in corpore, patet ex anatomia, ut quod omne id vivat, aut in vitae obsequio sit, ubi cor per vasa a se emissa agit, et quod omne id non vivat, ubi cor per vasa sua non agit. Et praeterea cor est primum et ultimum, quod in corpore agit: quod sit primum, constat ex embryonibus, et quod sit ultimum, constat ex morientibus; et quod absque cooperatione pulmonis agat, constat ex suffocatis, et ex deliquiis: inde videri potest, quod sicut vita corporis succenturiata pendet a solo corde, ita similiter vita mentis a sola voluntate, et quod voluntas similiter vivat cessante cogitatione, sicut cor cessante respiratione, ut quoque patet ex embryonibus, morientibus, suffocatis et deliquiis. Ex quibus sequitur, quod amor seu voluntas sit ipsa vita hominis.

400. [(ii.)] *Quod amor seu voluntas in humanam formam continue nitatur, et in omnia quae humanae formae sunt*, patet a correspondentia cordis cum voluntate, nam notum est, quod omnia corporis formentur in utero, et quod formentur per fibras e cerebris, et per vasa sanguinea ex corde, et quod contexturae omnium organorum et viscerum ex illis binis fiant: ex quo patet, quod omnia hominis ex vita voluntatis, quae est amor, a principiis suis e cerebris per fibras existant, et quod omnia corporis ejus ex

corde per arterias et venas. Ex his manifeste patet, quod vita, quae est amor et inde voluntas, in humanam formam continue nitatur; et quia humana forma consistit ex omnibus illis quae in homine sunt, sequitur quod amor seu voluntas in continuo conatu et nisu formandi omnia illa sit: quod conatus et nisus sit in humanam formam, est quia Deus est Homo, ac Divinus Amor et Divina Sapientia est Vita Ipsius; e qua omne vitae est. Quisque videre potest, quod nisi Vita, quae est ipse Homo, ageret in id quod in se non vita est, non potuisset aliquid tale formari quod in homine est, in quo sunt millia millium quae unum faciunt, ac unanimiter conspirant ad imaginem Vitae a qua, ut possit homo receptaculum et habitaculum Ipsius fieri. Ex his videri potest, quod amor, et ex amore voluntas, et ex voluntate cor, in humanam formam continue nitantur.

401. (iii.) *Quod amor seu voluntas absque conjugio cum sapientia seu intellectu non possit per humanam suam formam aliquid facere.*—Hoc etiam patet ex correspondentia cordis cum voluntate. Homo embryo vivit corde, sed non pulmone; non enim tunc a corde influit sanguis in pulmonem, et ei dat facultatem respirandi, sed per foramen in ventriculum cordis sinistrum; quare embryo non tunc aliquid corporis potest movere, jacet enim confasciatus, nec potest aliquid sentire, organa enim sensuum sunt occlusa. Simile est cum amore seu voluntate, ex qua usque vivit, sed in obscuro, hoc est, absque sensu et actu. At vero ut primum aperitur pulmo, quod fit post enixum, tunc incipit sentire et agere, ac similiter velle et cogitare. Ex his constare potest, quod amor seu voluntas absque conjugio cum sapientia seu intellectu non possit per humanam suam formam aliquid facere.

402. (iv.) *Quod amor seu voluntas praeparet domum seu thalamum pro futura conjuge, quae est sapientia seu intellectus.*—In universo creato et in singulis ejus est conjugium boni et veri, et hoc inde est, quia bonum est amoris et verum est sapientiae, et haec duo in Domino sunt, et ex Ipso omnia creata sunt. Hoc conjugium quomodo in homine existit, videri potest in speculo in conjunctione cordis cum pulmone; nam cor correspondet amori seu bono, ac pulmo sapientiae seu vero (ut supra, n. 378–381,

382–384). Ex illa conjunctione videri potest, quomodo amor seu voluntas desponsat sibi sapientiam seu intellectum, et postea ducit illam seu quasi conjugium cum illa init; desponsat sibi illam, per quod praeparet domum seu thalamum pro illa; et ducit illam per quod conjungat illam sibi per affectiones, et dein agat sapientiam cum illa in domo ista. Quod ita sit, non plene describi potest nisi quam lingua spirituali, quia amor et sapientia, et inde voluntas et intellectus, sunt spirituales; quae quidem naturali lingua possunt tradi, sed non ad perceptionem nisi obscuram, propter inscitiam quid amor, quid sapientia, tum quid affectiones boni, et quid affectiones sapientiae quae sunt affectiones veri. Sed usque videri potest qualis desponsatio et quale conjugium amoris cum sapientia, seu voluntatis cum intellectu est, per parallelismum, qui datur per correspondentiam illorum cum corde et pulmone: simile enim est cum his ut cum illis; tam simile ut prorsus nihil differat, praeter quod unum sit spirituale, et alterum naturale. Ex corde itaque et pulmone constat, quod cor primum formet pulmonem, et postea se conjungat cum illo; format pulmonem in embryone, et se conjungit cum illo post enixum. Hoc facit cor in sua domo, quae vocatur pectus, ubi contubernium eorum est, separatum a reliquis corporis per septum quod vocatur diaphragma, et per involucrum quod vocatur pleura. Simile est cum amore et sapientia, seu cum voluntate et intellectu.

403. (v.) *Quod amor seu voluntas praeparet omnia in humana sua forma, ut conjunctim cum sapientia seu intellectu possit agere.*—Dicitur voluntas et intellectus, sed probe sciendum est, quod voluntas sit totus homo; est enim voluntas cum intellectu in principiis in cerebris, ac in principiatis in corpore, et inde in toto et in qualibet parte, ut supra (n. 365–367,) ostensum est: inde constare potest, quod voluntas sit totus homo quoad ipsam formam, tam communem quam omnium particularem; et quod intellectus sit ejus consocia, sicut est pulmo cordis. Caveat sibi quisque ne ideam voluntatis foveat, sicut alicujus rei separatae a forma humana, est enim eadem. Ex hoc videri potest, non solum quomodo voluntas praeparat thalamum pro intellectu, sed etiam quomodo praeparat omnia in sua domo, quae est universum corpus, ut conjunctim cum intellectu possit agere. Hoc praeparat eo

modo, quod omnia et singula corporis conjuncta sint intellectui sicut conjuncta sunt voluntati, seu ut omnia et singula corporis sub obsequio intellectus sint, sicut sub obsequio voluntatis sunt. Quomodo omnia et singula corporis ad conjunctionem cum intellectu sicut cum voluntate praeparata sunt, non videri potest, nisi sicut in speculo seu in imagine per scientiam anatomicam in corpore. Per illam scitur quomodo omnia in corpore connexa sunt, ut dum pulmo respirat, omnia et singula in toto corpore a respiratione pulmonis agantur, dum etiam a pulsu cordis. Ex anatomia notum est, quod cor conjunctum sit pulmoni per auriculas, et quod hae continuantur in pulmonum interiora; tum quod omnia viscera totius corporis cum camera pectoris per ligamenta conjuncta sint, ac ita conjuncta, ut dum pulmo respirat, omnia et singula in communi et in parte aliquid ex respiratorio motu recipiant: cum enim pulmo tumescit, tunc costae expandunt thoracem, pleura dilatatur, et diaphragma diducitur, et cum his omnia inferiora corporis, quae per ligamenta ex illis connexa sunt, per actus pulmonicos recipiunt aliquem actum: ne memorem plura, ne illi qui non in scientia anatomica sunt, ex ignorantia terminorum illius scientiae in obscuritatem de hac re veniant. Consule modo anatomiae gnaros et sagaces, annon omnia in toto corpore a pectore ad imum ita colligata sint, ut tumescente per respirationem pulmone, omnia et singula excitentur in actum pulmonico synchronum. Ex his nunc patet, qualis praeparata est conjunctio intellectus cum omnibus et singulis formae humanae a voluntate: rimare modo nexus, et lustra illos oculo anatomico, et postea secundum nexus specta cooperationem illorum cum pulmone respirante et cum corde, et dein pro pulmone cogita intellectum, et pro corde voluntatem, et videbis.

404. (vi.) *Quod cum nuptiae factae sunt, prima conjunctio sit per affectionem sciendi, ex qua affectio veri.*— Per nuptias intelligitur status hominis post partum, a statu ignorantiae usque ad statum intelligentiae et ab hoc ad statum sapientiae. Primus status, qui est merae ignorantiae, hic non per nuptias intelligitur, quia tunc nulla cogitatio intellectus est, sed sola affectio obscura quae amoris seu voluntatis; hic status est initiamentum ad nuptias. Quod in secundo statu, qui est homini in pueritia, sit affec-

tio sciendi, notum est: per hanc puer infans discit loqui, et discit legere, et postea discit successive talia quae intellectus sunt. Quod amor qui est voluntatis, id operetur, non potest in dubium vocari; nam nisi amor seu voluntas ageret id, non fieret. Quod affectio sciendi sit cuivis homini post nativitatem, et quod per illam discat talia, ex quibus intellectus per gradus formatur, crescit et perficitur, quisque dum ex ratione consulit experientiam, agnoscit. Quod inde sit affectio veri, etiam patet; nam cum homo ex affectione sciendi factus est intelligens, non ita fertur affectione ad sciendum, sicut affectione ad ratiocinandum, et ad concludendum talia quae ejus amoris sunt, sive sint oeconomica, sive civilia, sive moralia. Cum haec affectio elevatur usque ad spiritualia, fit illa affectio veri spiritualis. Quod ejus primum seu initiamentum fuerit affectio sciendi, videri potest ex eo, quod affectio veri sit exaltata affectio sciendi; nam affici veris, est ex affectione velle scire illa, et cum invenit illa, ex jucundo affectionis haurire illa.

(vii.) *Quod altera conjunctio sit per affectionem intelligendi, ex qua perceptio veri*, patet cuivis, qui hoc ex rationali intuitione vult lustrare. Ex rationali intuitione patet, quod affectio veri et perceptio veri sint binae facultates intellectus, quae apud quosdam in unum conveniunt, et apud quosdam non: apud illos in unum conveniunt, qui volunt intellectu percipere vera, et non apud illos qui solum volunt scire vera. Patet etiam, quod quisque tantum in perceptione veri sit, quantum in affectione intelligendi est: deme enim affectionem intelligendi verum, et nulla perceptio veri erit; at da affectionem intelligendi verum et erit perceptio ejus secundum gradum affectionis ejus; nam homini, cui integra est ratio, nusquam deest perceptio veri, dummodo illi est affectio intelligendi verum. Quod facultas intelligendi verum, quae vocatur rationalitas, sit cuivis homini, supra ostensum est.

(viii.) *Quod tertia conjunctio sit per affectionem videndi id, ex qua cogitatio.*—Quod aliud sit affectio sciendi, aliud affectio intelligendi, et aliud affectio videndi id,—seu quod aliud sit affectio veri, aliud perceptio veri, et aliud cogitatio,—non patet nisi quam obscure apud illos, qui non possunt distincte percipere operationes mentis, sed patet

clare apud illos qui distincte possunt. Quod hoc non nisi quam obscure pateat apud illos qui non distincte percipiunt operationes mentis, est quia simul sunt in cogitatione apud illos qui in affectione veri et in perceptione veri sunt, et cum simul sunt, non distingui possunt. Homo in cogitatione manifesta est, cum spiritus ejus cogitat in corpore, quod fit imprimis dum in consortio est cum aliis ; at cum est in affectione intelligendi, et per hanc venit in perceptionem veri, tunc est in cogitatione spiritus sui, quae est meditatio, quae quidem cadit in cogitationem corporis, sed tacitam ; est enim supra hanc, ac intuetur illa quae cogitationis ex memoria sunt, sicut infra se ; nam ex illis vel concludit, vel confirmat. At ipsa affectio veri non appercipitur aliter quam sicut voluntatis nisus ex aliquo volupi, quod intus est in meditatione sicut vita ejus, ad quod parum attenditur. Ex his nunc constare potest, quod haec tria, affectio veri, perceptio veri, et cogitatio, ordine sequantur ex amore, et quod non alibi existant quam in intellectu ; cum enim amor intrat intellectum, quod fit cum conjunctio facta est, tunc primum producit affectionem veri, dein affectionem intelligendi id quod scit, et tandem affectionem videndi id in cogitatione corporis quod intelligit, cogitatio enim non aliud est quam visus internus. Cogitatio quidem primum existit, quia est mentis naturalis, sed cogitatio ex perceptione veri quae est ex affectione veri, ultimo existit ; haec cogitatio est cogitatio sapientiae, illa autem est cogitatio ex memoria per visum mentis naturalis. Omnes operationes amoris seu voluntatis extra intellectum non se referunt ad affectiones veri, sed ad affectiones boni.

405. Quod haec tria ex amore qui est voluntatis, in intellectu ordine sequantur, ex rationali homine quidem comprehendi potest, sed tamen non clare videri, et sic usque ad fidem confirmari. Nunc quia amor qui est voluntatis per correspondentiam unum agit cum corde, ac sapientia quae est intellectus unum agit cum pulmone, ut supra ostensum est, ideo non alibi clarius videri et confirmari possunt illa quae de affectione veri, perceptione veri, et cogitatione, mox supra (n. 404) dicta sunt, quam in pulmone et ejus fabrica ; quare haec paucis describenda est. Cor post partum a dextro suo ventriculo immittit

sanguinem in pulmonem ; et post transitum emittit illum in sinistrum suum ventriculum ; [1]sic aperit pulmonem. Hoc facit cor per arterias et venas pulmonares. Sunt pulmoni bronchia, quae ramificantur, et tandem abeunt in vesiculas, in quas pulmo admittit aerem et sic respirat. Circum bronchia et ejus ramificationes etiam sunt arteriae et venae, quae bronchiales vocantur, oriundae ex azyga seu vena cava et aorta. Hae arteriae et venae ab arteriis et venis pulmonaribus distinctae sunt. Ex his patet, quod sanguis per binas vias influat in pulmonem, et per binas vias effluat ex illo. Inde est quod pulmo possit respirare non synchrone cum corde. Quod alternae vices cordis, et alternae vices pulmonis non unum agant, notum est. Nunc quia correspondentia cordis et pulmonis est cum voluntate et intellectu, ut ostensum est, et conjunctio per correspondentiam est talis, ut sicut unum agit, ita alterum, videri potest ex influxu sanguinis e corde in pulmonem, quomodo voluntas influit in intellectum, et facit illa, quae mox supra (n. 404) de affectione et perceptione veri, et de cogitatione, dicta sunt. Correspondentia hoc mihi detexit, et plura adhuc de illis, quae non paucis describi possunt. Quoniam amor seu voluntas correspondet cordi, ac sapientia seu intellectus correspondet pulmoni, sequitur quod vasa sanguinea cordis in pulmone correspondeant affectionibus veri, et quod ramificationes bronchiorum pulmonis correspondeant perceptionibus et cogitationibus ex illis affectionibus. Qui indagat omnes texturas pulmonis ex illis originibus, et facit parallelismum cum amore voluntatis et cum sapientia intellectus, ille potest sicut in quadam imagine videre illa quae supra (n. 404) dicta sunt, et sic ad fidem confirmari. Sed quia illa quae scientiae anatomicae sunt de corde et pulmone, paucis nota sunt, et confirmare aliquid per ignota inducit obscuritatem, ideo supersedeo parallelismum pluribus demonstrare.

406. (ix.) *Quod amor seu voluntas per tres illas conjunctiones in sua vita sensitiva, et in sua vita activa sit.*— Quod amor absque intellectu, seu affectio quae amoris absque cogitatione quae intellectus, in corpore non possit sentire, nec agere, est quia amor absque intellectu est sicut caecus, seu affectio absque cogitatione est sicut in caligine,

intellectus enim est lux e qua amor videt: sapientia intellectus etiam est e luce quae procedit a Domino ut Sole. Cum itaque amor voluntatis, absque luce intellectus nihil videt, et est caecus, sequitur quod absque luce intellectus etiam sensus corporis in caecitate et obesitate forent, non solum visus et auditus, sed etiam reliqui. Quod etiam reliqui sensus, est quia omnis perceptio veri est amori in intellectu, ut supra ostensum est, et omnes sensus corporis trahunt perceptionem suam ex perceptione mentis suae. Simile est cum omni actu corporis; nam actus ex amore absque intellectu, est sicut actus hominis in nocte; nescit enim tunc homo quid agit; inde in actu nihil ex intelligentia ac sapientia foret, qui actus non potest vocari actus vivus; actus etiam trahit suum esse ab amore, et suum quale ab intelligentia. Praeterea omnis potentia boni est per verum; quare bonum in vero et sic per illud agit, ac bonum est amoris, et verum est intellectus. Ex his constare potest, quod amor seu voluntas per tres illas conjunctiones, de quibus supra (n. 404), in sua vita sensitiva, et in sua vita activa sit.

407. Quod ita sit, ad vivum confirmari potest ex conjunctione cordis cum pulmone, quia talis correspondentia est inter voluntatem et cor, ac inter intellectum et pulmonem, ut sicut amor cum intellectu spiritualiter agit, ita cor cum pulmone naturaliter; inde possunt supradicta sicut in imagine oblata oculo videri. Quod homo non in aliqua vita sensitiva sit, nec in aliqua vita activa sit, dum cor et pulmo non simul agunt, constat ex statu embryonis seu infantis in utero, et ex statu ejus post partum. Quamdiu homo est embryo, seu in utero, pulmones clausi sunt; inde ei non est aliquis sensus, nec aliquis actus, sensoria sunt occlusa, manus sunt ligatae, similiter pedes; at post partum aperiuntur pulmones, et sicut hi aperiuntur, ita homo sentit et agit; aperiuntur pulmones per immissum e corde sanguinem. Quod homo non in aliqua vita sensitiva, nec in aliqua vita activa sit, absque cooperatione cordis et pulmonis, patet quoque a deliquiis; in illis solum cor agit, et non pulmo, est enim tunc respiratio adempta: quod in illis nulla sensatio sit, nec ulla actio, notum est. Simile est cum homine qui suffocatur, sive sit per aquam, sive per [x]aliquid quod obstipat laryngem, et

claudit viam pro respiratione pulmonis, quod homo tunc appareat sicut mortuus, nihil sentiat et nihil agat, et quod usque vivat corde, notum est; redit enim in utramque vitam, sensitivam et activam, ut primum obstipationes pulmonis remotae sunt. Sanguis quidem interea agit circulum per pulmonem, sed per arterias et venas pulmonares, sed non per arterias et venas bronchiales, et hae dant homini facultatem respirandi. Simile est cum influxu amoris in intellectum.

408. (x.) *Quod amor seu voluntas introducat sapientiam seu intellectum in omnia domus suae.*—Per domum amoris seu voluntatis intelligitur totus homo quoad omnia quae ejus mentis sunt; quae quia correspondent omnibus corporis, (ut supra ostensum est,) per domum etiam intelligitur totus homo quoad omnia quae ejus corporis sunt, quae vocantur membra, organa et viscera. Quod pulmo introducatur in omnia illa, similiter ut intellectus in omnia mentis, constare potest ex illis quae supra ostensa sunt: ut, Quod amor seu voluntas praeparet domum seu thalamum pro futura conjuge, quae est sapientia seu intellectus (n. 402): et, Quod amor seu voluntas praeparet omnia in humana sua forma, seu in sua domo, ut conjunctim cum sapientia seu intellectu possit agere (n. 403). Ex illis, quae ibi dicta sunt, patet, quod omnia et singula in toto corpore per emissa e costis, vertebris, sterno, diaphragmate, peritonaeo quod ex illis pendet, ligamenta, ita connexa sint, ut respirante pulmone trahantur et ferantur in actus alternos similiter. Quod alterna respirationis etiam intrent in ipsa viscera usque ad recessus eorum intimos, ex anatome constare potest; nam ligamenta supra memorata cohaerent involucris viscerum, ac involucra per exsertiones intrant usque ad intima eorum, sicut etiam faciunt arteriae et venae per ramificationes. Inde constare potest, quod respiratio pulmonis in omni conjunctione sit cum corde in omnibus et singulis corporis: utque conjunctio omnimoda sit, etiam ipsum cor in pulmonico motu est, jacet enim in sinu pulmonis, et cohaeret ei per auriculas, et cubat super diaphragmate, ex quo etiam arteriae ejus ex motu pulmonico participant. Praeterea ventriculus in simili conjunctione est per cohaerentiam ejus oesophagi cum trachia. Haec anatomica adducta sunt,

ob finem ut videatur qualis conjunctio est amoris seu voluntatis cum sapientia seu intellectu, ac utriusque in consortio cum omnibus mentis; nam similis est.

409. (xi.) *Quod amor seu voluntas nihil agat nisi in conjunctione cum sapientia seu intellectu.*—Cum enim amori non aliqua vita sensitiva, nec aliqua vita activa est absque intellectu, et cum amor introducit intellectum in omnia mentis, (ut supra, n. 407, 408, ostensum est,) sequitur quod amor seu voluntas nihil agat nisi in conjunctione cum intellectu: quid enim est ex amore agere absque intellectu? hoc non aliter vocari potest quam irrationale; intellectus enim instruit quid agendum, et quomodo agendum est; hoc nescit amor absque intellectu: quapropter tale conjugium est inter amorem et intellectum, ut tametsi duo sunt, usque ut unum agant. Simile conjugium est inter bonum et verum, nam bonum est amoris, et verum est intellectus. Tale conjugium est in singulis universi, quae a Domino creata sunt; usus illorum se refert ad bonum, ac forma usus ad verum. Ex hoc conjugio est quod in omnibus et singulis corporis sit dextrum et sinistrum, et dextrum se refert ad bonum ex quo verum, ac sinistrum ad verum ex bono, ita ad conjunctionem. Ex eo est quod paria sint in homine. Sunt duo cerebra, sunt duo hemisphaeria cerebri, sunt duo ventriculi cordis, sunt duo lobi pulmonis, sunt duo oculi, aures, nares, brachia, manus, lumbi, pedes, renes, testes, et alia; et ubi non sunt paria, ibi est dextrum et sinistrum. Haec sunt, quia bonum spectat verum ut existat, ac verum spectat bonum ut sit. Simile est in caelis angelicis, et in singulis illorum societatibus. Plura de his videantur supra (n. 401), ubi ostensum est, quod amor seu voluntas absque conjugio cum sapientia seu intellectu non possit per humanam suam formam aliquid facere. De conjunctione mali et falsi, quae opposita est conjunctioni boni et veri, alibi dicetur.

410. (xii.) *Quod amor seu voluntas se conjungat sapientiae seu intellectui, ac faciat ut sapientia seu intellectus reciproce conjungatur.*—Quod amor seu voluntas se conjungat sapientiae seu intellectui, patet a correspondentia eorum cum corde et pulmone. Experientia anatomica docet, quod cor in suae vitae motu sit dum nondum pulmo. Hoc docet experientia ex illis qui deliquium patiuntur, et

ex illis qui suffocantur ; tum ex embryonibus in uteris, et ex pullis in ovis. Experientia anatomica etiam docet, quod cor, dum solum agit, formet pulmonem, ac adaptet illum, ut possit ibi respirationem agere ; et quod etiam reliqua viscera et organa formet, ut in illis possit varios usus agere ; organa faciei ut possit sentire, organa motus ut possit agere, et reliqua in corpore, ut possit usus affectionibus amoris correspondentes sistere. Ex his primum constat, quod sicut cor talia producit propter varias functiones, quas in corpore obiturum est, ita amor similia in receptaculo suo, quod vocatur voluntas, propter varias affectiones, quae faciunt formam ejus ; quae quod sit forma humana, supra ostensum est. Nunc quia primae et proximae amoris affectiones sunt affectio sciendi, affectio intelligendi, et affectio videndi id quod scit et intelligit, sequitur quod amor pro illis formet intellectum, et quod in illas actualiter veniat, dum incipit sentire et agere, et cum incipit cogitare. Quod intellectus nihil ad hoc conferat, constat ex parallelismo cordis et pulmonis, de quo supra. Ex his videri potest, quod amor seu voluntas se conjungat sapientiae seu intellectui, et non sapientia seu intellectus se amori seu voluntati ; et inde quoque constat, quod scientia quam amor ex affectione sciendi sibi acquirit, ac perceptio veri quam ex affectione intelligendi, et cogitatio quam ex affectione videndi id quod scit et intelligit, non sit intellectus, sed quod sit amoris. Cogitationes, perceptiones et inde scientiae, influunt quidem e mundo spirituali, at usque non recipiuntur ab intellectu, sed ab amore secundum ejus affectiones in intellectu. Apparet sicut intellectus recipiat illa, et non amor seu voluntas, sed est fallacia. Apparet etiam sicut intellectus conjungat se amori seu voluntati, sed hoc etiam est fallacia ; amor seu voluntas se conjungit intellectui, ac facit ut reciproce conjungatur ; quod reciproce conjungatur, est ex conjugio amoris cum illa ; inde fit conjunctio sicut reciproca a vita et inde potentia amoris. Simile est cum conjugio boni et veri, nam bonum est amoris, et verum est intellectus : bonum agit omnia, ac recipit verum in domum suam, et se conjungit cum illo quatenus concordat. Potest etiam bonum admittere vera quae non concordant, sed hoc facit ex affectione sciendi, intelligendi,

et cogitandi sua, dum nondum determinavit se ad usus, qui sunt fines ejus, et vocantur bona ejus. Conjunctio reciproca, seu veri cum bono, est prorsus nulla; quod conjungatur reciproce, est ex vita boni. Inde est, quod omnis homo, ac omnis spiritus et angelus spectetur a Domino secundum ejus amorem seu bonum, et nullus secundum ejus intellectum seu verum separatum ab amore seu bono: vita enim hominis est ejus amor, ut supra ostensum est, ac vita ejus est sicut affectiones suas exaltaverat per vera; hoc est, sicut affectiones perfecerat ex sapientia; nam affectiones amoris exaltantur et perficiuntur per vera, ita per sapientiam; et tunc agit amor conjunctim cum illa, sicut ex illa, sed agit ex se per illam, ut per suam formam, quae prorsus nihil ducit ex intellectu, sed omne ex aliqua amoris determinatione, quae vocatur affectio.

411. Amor vocat omnia illa sua bona, quae ei favent, et vocat omnia illa sua vera, quae ut media ducunt ad bona; et quia illa sunt media, amantur et fiunt affectionis ejus, et sic fiunt affectiones in forma; quare verum non aliud est quam forma affectionis quae est amoris. Forma humana non aliud est quam forma omnium affectionum amoris; pulchritudo est sua intelligentia, quam sibi comparat per vera, quae recipit vel visu vel auditu externo et interno. Haec sunt quae amor disponit in formam affectionum suarum, quae formae in multa varietate sunt, sed omnes trahunt similitudinem ex communi sua forma, quae est humana: omnes hae formae sunt ei pulchrae et amabiles, reliquae autem ei sunt impulchrae et inamabiles. Ex his etiam constat, quod amor se conjungat intellectui, et non vicissim, et quod reciproca conjunctio etiam sit ex amore. Hoc est quod intelligitur per quod amor seu voluntas faciat ut sapientia seu intellectus reciproce conjungatur.

412. Haec quae dicta sunt, in quadam imagine videri et sic confirmari possunt ex correspondentia cordis cum amore, et pulmonis cum intellectu, de qua supra; nam cum cor correspondet amori, tunc determinationes ejus, quae sunt arteriae et venae, correspondent affectionibus, et in pulmone affectionibus veri: et quia in pulmone etiam sunt alia vasa, quae vocantur aerifera, per quae fit respira-

tio, quare haec vasa correspondent perceptionibus. Probe sciendum est, quod arteriae et venae in pulmone non sint affectiones, et quod respirationes non sint perceptiones et cogitationes, sed quod correspondentiae sint, correspondenter enim seu synchrone agunt: similiter ut cor et pulmo, quod non sint amor et intellectus, sed quod sint correspondentiae; et quoniam sunt correspondentiae, potest unum videri in altero. Ille qui omnem fabricam pulmonis ex anatomia novit, si confert illam cum intellectu, potest clare videre, quod intellectus nihil agat ex se, non percipiat nec cogitet ex se, sed omne ex affectionibus quae sunt amoris; quae in intellectu vocantur affectio sciendi, intelligendi et videndi id (de quibus supra actum est). Omnes enim status pulmonis dependent a sanguine e corde, et ex vena cava et aorta, ac respirationes, quae fiunt in ramis bronchialibus, existunt secundum illorum statum; nam cessante sanguinis influxu cessat respiratio. Perplura possunt adhuc ex pulmonis fabrica collata cum intellectu, cui correspondet, detegi; sed quia scientia anatomica paucis nota est, ac demonstrare aut confirmare aliquid per ignota, ponit rem in obscuritate, quare non licet plura de his dicere. Ex nota mihi pulmonis fabrica plene convictus sum, quod amor per suas affectiones se conjungat intellectui, et quod intellectus non se conjungat alicui affectioni amoris, sed quod ab amore reciproce conjungatur, propter finem ut amori sit vita sensitiva et vita activa. At omnino sciendum est, quod homini duplex respiratio sit; una spiritus et altera corporis; et quod respiratio spiritus dependeat a fibris e cerebris, et respiratio corporis e vasis sanguineis e corde, et e vena cava et aorta. Praeterea evidens est quod cogitatio producat respirationem, et quoque evidens est quod affectio quae amoris producat cogitationem; nam cogitatio absque affectione est prorsus sicut respiratio absque corde, quae non dabilis est. Inde patet quod affectio quae amoris conjungat se cogitationi quae intellectus, ut supra dictum; similiter ut cor in pulmone.

413. (xiii.) *Quod sapientia seu intellectus ex potentia sibi data ab amore possit elevari, ac recipere illa quae lucis sunt e caelo, ac percipere illa.*—Quod homo possit perci-

pere arcana sapientiae, dum audit illa, supra passim ostensum est. Haec facultas hominis est quae vocatur rationalitas, quae cuivis homini est ex creatione. Per hanc facultatem, quae est facultas interius intelligendi res, et concludendi de justo et aequo, ac de bono et vero, homo distinguitur a bestiis; hoc itaque est, quod intelligitur per quod intellectus possit elevari, et recipere illa quae lucis sunt e caelo, et percipere illa. Quod ita sit, etiam in quadam effigie videri potest in pulmone, quia pulmo correspondet intellectui. Videri potest in pulmone ex substantia ejus cellulosa, quae consistit ex continuatis bronchiis usque ad folliculos minimos, qui sunt receptiones aeris in respirationibus; haec sunt, cum quibus cogitationes unum per correspondentiam agunt. Substantia illa follicularis est talis, ut possit expandi et contrahi in duplici statu; in uno cum corde, et in altero paene separato a corde: in statu una cum corde, per arterias et venas pulmonares, quae ex solo corde sunt; in statu paene separato a corde per arterias et venas bronchiales, quae ex vena cava et aorta sunt: haec vasa extra cor sunt. Hoc in pulmone, quia intellectus potest super amorem proprium, qui correspondet cordi, elevari, et recipere lucem e caelo: sed usque dum intellectus elevatur supra amorem proprium, non recedit ab illo, sed trahit ex illo id quod vocatur affectio sciendi ac intelligendi propter aliquid honoris, gloriae aut lucri in mundo: hoc aliquid adhaeret cuivis amori sicut superficies, ex quo amor superficie tenus lucet, at apud sapientes translucet. Haec de pulmone allata sunt, ut confirmetur quod intellectus possit elevari, ac recipere et percipere illa quae lucis caeli sunt, est enim plenaria correspondentia. Ex correspondentia videre est ex intellectu pulmonem, et ex pulmone intellectum, et sic ex utroque simul confirmationem.

414. (xiv.) *Quod amor seu voluntas possit similiter elevari, ac recipere illa quae caloris sunt e caelo, si amat suam conjugem sapientiam, in eo gradu.*—Quod intellectus possit elevari in lucem caeli, et ex illa haurire sapientiam, in articulo antecedente et supra passim ostensum est: quod autem amor seu voluntas aeque possit elevari, si amet illa quae lucis caeli, seu quae sapientiae sunt, etiam passim ostensum est: at amor seu voluntas non per ali-

quid honoris, gloriae aut lucri ut finem, sed per amorem usus ; non ita propter se, sed propter proximum ; et quia hic amor non datur nisi quam e caelo a Domino, et datur a Domino cum homo fugit mala ut peccata, ideo per haec media potest amor seu voluntas etiam elevari, et absque his mediis non potest. At amor seu voluntas elevatur in calorem caeli, intellectus autem in lucem caeli ; et si uterque elevatur, fit conjugium eorum ibi, quod conjugium caeleste vocatur, quia est amoris caelestis et sapientiae : quare dicitur, quod amor etiam elevetur, si amat sapientiam conjugem suam in eo gradu. Amor erga proximum a Domino, est amor sapientiae, seu genuinus amor intellectus humani. Est hoc simile cum luce et calore in mundo. Datur lux absque calore, et datur cum calore ; absque calore datur tempore hiemis, et cum calore tempore aestatis ; et cum calor cum luce est, tunc florent omnia. Lux apud hominem correspondens luci hiemis est sapientia absque amore ejus, et lux apud hominem correspondens luci aestatis est sapientia cum ejus amore.

415. Haec conjunctio et disjunctio sapientiae et amoris in pulmonis conjunctione cum corde quasi effigiata spectari potest : cor enim potest ex sanguine a se emisso conjungi vesiculis racemosis bronchiorum, et potest ex sanguine non a se sed a vena cava et aorta ; per hoc potest respiratio corporis separari a respiratione spiritus ; at cum sanguis solum a corde agit, tunc non possunt respirationes separari. Nunc quia cogitationes unum agunt cum respirationibus per correspondentiam, patet etiam ex duplici pulmonis statu quoad respirationem, quod homo possit aliter cogitare, et ex cogitatione loqui et agere in consortio cum aliis, ac aliter cogitare et ex cogitatione loqui et agere cum non in consortio est, hoc est, cum non timet aliquam jacturam famae. Tunc enim potest cogitare et loqui contra Deum, proximum, spiritualia ecclesiae, et contra moralia et civilia ; et quoque agere contra illa, furando, vindicando, blasphemando, adulterando : at in consortiis ubi timet jacturam famae, potest loqui, praedicare et agere prorsus sicut homo spiritualis, moralis et civilis. Ex his constare potest, quod amor seu voluntas possit similiter ac intellectus, elevari ac recipere illa quae calo-

ris seu amoris caeli sunt, modo amet sapientiam in eo gradu ; et si non amat illam, quod possit sicut separari.

416. (XV.) *Quod amor seu voluntas alioqui retrahat sapientiam seu intellectum a sua elevatione ut secum unum agat.*—Est amor naturalis et est amor spiritualis. Homo qui in amore naturali et simul spirituali est, est homo rationalis ; at qui in solo amore naturali est, ille potest rationaliter cogitare prorsus sicut homo spiritualis, sed usque non est homo rationalis ; elevat enim suum intellectum usque ad lucem caeli, ita ad sapientiam, sed usque illa quae sapientiae seu lucis caeli sunt, non sunt ejus amoris. Ejus amor quidem hoc facit, sed ex affectione honoris, gloriae et lucri. Verum cum percipit quod non aliquid tale ex elevatione illa recipiat, quod fit quando secum ex suo amore naturali cogitat, tunc non amat illa quae lucis caeli seu sapientiae sunt ; quare tunc retrahit intellectum a sua altitudine, ut secum unum agat. Ut pro exemplo, cum intellectus ex elevatione in sapientia est, tunc amor videt quid justitia, quid sinceritas, quid castitas, immo quid genuinus amor ; hoc potest naturalis amor videre per facultatem suam intelligendi ac intuendi res in luce caeli, immo potest loqui, praedicare et describere illa ut virtutes morales et simul spirituales. At vero cum intellectus non in elevatione est, tunc amor, si mere est naturalis, non videt illas virtutes, sed pro justitia injustitiam, pro sinceritate fraudes, pro castitate lasciviam, et sic porro. Si tunc cogitat de illis, de quibus locutus est cum intellectus ejus fuit in elevatione, potest ridere illa, et cogitare solum quod illa ei inserviant pro captandis animis. Ex his constare potest, quomodo intelligendum est, quod amor nisi amat conjugem sapientiam in eo gradu, retrahat illam ab elevatione, ut secum unum agat. Quod amor possit elevari, si amat sapientiam in eo gradu, videatur supra (n. 414).

417. Nunc quia amor correspondet cordi, ac intellectus pulmoni, supradicta confirmari possunt per correspondentiam illorum ; ita quomodo intellectus potest elevari supra amorem proprium usque in sapientiam ; tum quomodo intellectus ab amore illo, si hic mere naturalis est, ab elevatione retrahitur. Est homini duplex respiratio, una corporis et altera spiritus. Hae binae respirationes possunt separari et quoque conjungi ; apud mere

naturales homines, imprimis apud hypocritas, separantur; at apud spirituales et sinceros homines raro: quare mere naturalis homo et hypocrita, apud quem intellectus elevatus est, et inde plura quae sapientiae sunt in memoria remanent, in coetu ex cogitatione e memoria potest sapienter loqui; at cum non in coetu est, non ex memoria sed ex spiritu suo, ita ex amore suo, cogitat. Similiter etiam respirat, quoniam cogitatio et respiratio correspondenter agunt. Quod fabrica pulmonis talis sit, ut respirare possit ex sanguine e corde, et ex sanguine extra cor, supra ostensum est.

418. Communis opinio est, quod sapientia faciat hominem; quare cum audiunt aliquem sapienter loqui aut docere, credunt quod talis sit; immo ipse de se ita credit tunc; quia cum in coetu loquitur et docet, cogitat ex memoria, et si mere naturalis est, ex amoris sui superficie, quae est affectio honoris, gloriae et lucri; at vero idem cum solus est, ex interiore amore sui spiritus cogitat, et tunc non sapienter, sed quandoque insane. Ex his constare potest, quod nemo ex sapiente loquela judicandus sit, sed ex vita ejus; hoc est, non ex sapiente loquela separata a vita, sed ex sapiente loquela conjuncta vitae. Per vitam intelligitur amor; quod amor sit vita, supra ostensum est.

419. (xvi.) *Quod amor seu voluntas purificetur in intellectu, si simul elevantur.*—Homo ex nativitate non amat nisi se et mundum, nam non aliud coram oculis ejus appareret, et inde non aliud in animo ejus versatur; et hic amor est naturalis corporeus, et vocari potest materialis; et praeterea ille amor factus est impurus ex separatione amoris caelestis ab eo apud parentes. Hic amor ab impuritate sua non separari potest, nisi homini facultas sit elevandi intellectum in lucem caeli, ac videre quomodo victurus est, ut amor ejus una cum intellectu in sapientiam elevari possit. Per intellectum videt amor, hoc est, homo, quaenam mala sunt quae amorem inquinant et conspurcant; et quoque videt, quod si illa mala ut peccata fugit et aversatur, amet illa quae malis illis opposita sunt, quae omnia sunt caelestia: tum etiam videt media, per quae mala illa ut peccata fugere et aversari possit. Hoc videt amor, hoc est, homo per usum facultatis elevandi intellectum suum in lucem caeli, ex qua sapientia. Tunc

quantum amor primo loco ponit caelum, et secundo mundum, et simul quantum primo loco ponit Dominum, et secundo semet, tantum amor defaecatur ab immundis suis, et purificatur; hoc est, tantum elevatur in calorem caeli, et conjungitur luci caeli, in qua est intellectus, et fit conjugium, quod vocatur conjugium boni et veri, hoc est, amoris et sapientiae. Quisque potest intellectu comprehendere, et rationaliter videre, quod quantum quis fugit et aversatur furta et defraudationes, tantum amet sinceritatem, rectitudinem et justitiam; tum quantum quis fugit et aversatur vindictas et odia, tantum amet proximum; ut et quantum quis fugit et aversatur adulteria, tantum amet castitatem, et sic porro. Immo vix aliquis cognoscit quid caeli et quid Domini est in sinceritate, rectitudine, justitia, amore erga proximum, castitate, et in reliquis amoris caelestis affectionibus, prius quam removerat eorum opposita. Cum removerat opposita, tunc in illis est, et ex illis cognoscit et videt illas; interea est sicut velamen interpositum, quod quidem lucem caeli ad amorem transmittit, sed quia conjugem sapientiam non in eo gradu amat, non recipit illam, immo forte redarguit et increpat illam, dum ex elevatione redit; sed usque adblanditur per id, quod sapientia intellectus sui possit inservire honori, gloriae aut lucro pro medio; at tunc primo loco ponit semet et mundum, et secundo Dominum et caelum; et quod secundo loco ponitur, tantum amatur quantum inservit; et si non inservit, abdicatur et rejicitur; si non prius, usque post mortem. Ex his nunc constat veritas, quod amor seu voluntas purificetur in intellectu, si simul elevantur.

420. Simile effigiatur in pulmone, cujus arteriae et venae correspondent affectionibus quae sunt amoris, et cujus respirationes correspondent perceptionibus et cogitationibus quae sunt intellectus, ut supra dictum est. Quod sanguis cordis in pulmone se purificet ab indigestis, et quod ex aere attracto se etiam nutriat conducibilibus, ex multa experientia constat. *Quod sanguis se purificet ab indigestis in pulmone*, constat non solum ex sanguine influente, qui est venosus, et inde oppletus chylo collecto ab esculentis et vinosis, sed etiam ab exspirationibus quae humidae sunt, et ab illis perceptis odore narium ab aliis, ut et ex sanguinis refluentis in ventriculum cordis

sinistrum diminuta copia. *Quod sanguis ex aere attracto se nutriat conducibilibus*, constat ex immensa copia odorum et halituum ex viretis, floretis et arboretis continue effluentium ; exque immensa copia salium varii generis una cum aquis e terris, fluviis et stagnis ; exque immensa copia halituum et effluviorum ex hominibus et animalibus, ex quibus aer impraegnatur. Quod haec in pulmonem cum attracto aere influant, non potest negari, et quia hoc non potest negari, nec potest quin sanguis attrahat talia inde quae ei conducunt ; et talia conducunt, quae affectionibus amoris ejus correspondent. Inde est quod in vesiculis seu intimis pulmonis sint in multa copia venulae cum osculis, quae talia insorbent ; tum quod sanguis refluens in ventriculum cordis sinistrum mutatus sit in arteriosum, ac niteat. Haec confirmant, quod sanguis se purificet ab heterogeneis, et quod se nutriat ab homogeneis. Quod sanguis in pulmone se purificet et nutriat correspondenter affectionibus animi, hoc nondum notum est, sed est notissimum in mundo spirituali : angeli enim qui in caelis sunt, unice delectantur odoribus, qui correspondent amori sapientiae illorum ; at spiritus in inferno unice delectantur odoribus qui correspondent amori opposito sapientiae ; hi odores sunt putores, illi autem odores sunt fragrantiae. Quod homines in mundo impraegnent sanguinem suum similibus secundum correspondentiam cum affectionibus amoris eorum, inde sequitur ; quod enim spiritus hominis amat, hoc sanguis secundum correspondentiam appetit, ac respiratione attrahit. Ex hac correspondentia fluit, quod homo quoad amorem suum purificetur si amat sapientiam, et quod conspurcetur si non amat illam. Omnis etiam purificatio hominis fit per vera quae sunt sapientiae, et omnis conspurcatio hominis fit per falsa opposita veris sapientiae.

421. (xvii.) *Quod amor seu voluntas conspurcetur in intellectu, et ab illo, si non simul elevantur ;* quoniam si amor non elevatur, tunc manet impurus (ut supra, n. 419, 420, dictum est) ; et cum manet impurus, amat impura, ut vindictas, odia, fraudes, blasphemias, adulteria ; haec enim tunc sunt ejus affectiones, quae vocantur concupiscentiae, ac rejicit illa quae charitatis, justitiae, sinceritatis, veritatis, et castitatis sunt. Dicitur quod amor in intellectu, et ab illo, conspurcetur ; *in intellectu*, dum amor afficitur

impuris illis; *ab intellectu*, dum amor facit ut illa, quae sapientiae sunt, fiant sua servitia, et magis cum pervertit, falsificat et adulterat illa. De statu his correspondente cordis seu sanguinis ejus in pulmone, non opus est plura dicere quam quae supra (n. 420) dicta sunt: solum quod loco purificationis sanguinis fiat conspurcatio ejus; et loco nutritionis sanguinis ex fragrantiis fiat nutritio ex putoribus, prorsus sicut in caelo et in inferno fit.

422. (xviii.) *Quod amor purificatus a sapientia in intellectu fiat spiritualis et caelestis.*—Homo nascitur naturalis, sed secundum intellectum elevatum in lucem caeli, et una amorem elevatum in calorem caeli, fit spiritualis et caelestis; fit tunc sicut hortus Edenis, qui in luce vernali et simul in calore vernali est. Intellectus non fit spiritualis et caelestis, sed amor fit; et cum amor fit, etiam intellectum conjugem suam facit spiritualem et caelestem. Amor fit spiritualis et caelestis ex vita secundum vera sapientiae, quae intellectus docet et monstrat: amor per intellectum suum haurit illa, et non a se; nam amor non potest elevare se, nisi sciat vera, et haec scire non potest nisi quam per intellectum elevatum et illustratum; et tunc quantum amat vera faciendo illa, tantum elevatur: nam aliud est intelligere, et aliud est velle; seu aliud est loqui, et aliud est facere. Sunt qui intelligunt et loquuntur vera sapientiae, at usque non volunt et faciunt illa: cum ita amor facit vera lucis quae intelligit et loquitur, tunc elevatur. Quod ita sit, homo ex sola ratione potest videre; quid enim est homo qui intelligit et loquitur vera sapientia, dum contra illa vivit, hoc est, dum contra illa vult et facit? Quod amor purificatus a sapientia fiat spiritualis et caelestis, est quia homini tres gradus vitae sunt, qui vocantur naturalis, spiritualis et caelestis, de quibus in Tertia Parte hujus operis; et homo potest elevari ab uno in alterum: at non elevatur per solam sapientiam, sed per vitam secundum illam, vita enim hominis est ejus amor; quare quantum vivit secundum sapientiam, tantum amat illam; ac tantum vivit secundum sapientiam, quantum purificat se ab immundis quae sunt peccata; et quantum hoc facit, tantum amat illam.

423. Quod amor purificatus a sapientia in intellectu, fiat spiritualis et caelestis, non ita videri potest per correspondentiam cum corde et pulmone, quia nemo potest

videre qualis est sanguis, per quem pulmo in statu respirationis suae tenetur. Potest sanguis scatere immundis, et hic usque non dignoscitur a sanguine mundo ; et quoque respiratio hominis mere naturalis similis apparet respirationi hominis spiritualis : at usque probe dignoscitur in caelo, quisque enim ibi respirat secundum conjugium amoris et sapientiae ; quare sicut angeli cognoscuntur ex illo conjugio, etiam cognoscuntur ex respiratione : quae causa est, quod dum aliquis, qui non in illo conjugio est, in caelum venit, in angorem pectoris veniat, ac anima respirationis ejus luctetur sicut apud illos qui in agone mortis sunt ; quare etiam praecipites se inde dejiciunt, et non requiescunt quam cum apud illos sunt, qui in simili respiratione sunt ; tunc enim per correspondentiam in simili affectione et inde cogitatione sunt. Ex his constare potest, quod qui spiritualis est, ejus sanguis purior, qui a quibusdam vocatur spiritus animalis, sit qui purificatus est ; et quod tantum purificatus, quantum homo in conjugio amoris et sapientiae est. Purior ille sanguis est, qui illi conjugio proxime correspondet ; et quia ille influit in sanguinem corporis, sequitur quod etiam hic per illum purificetur. Contrarium est apud illos, apud quos amor conspurcatus est in intellectu. Sed, ut dictum est, nemo potest hoc per aliquam experientiam ex sanguine explorare, sed potest ex amoris affectionibus, quoniam hae sanguini correspondent.

424. (xix.) *Quod amor conspurcatus in intellectu et ab illo fiat naturalis, sensualis et corporeus.*—Amor naturalis separatus ab amore spirituali, est oppositus amori spirituali : causa est, quia amor naturalis est amor sui et amor mundi, et amor spiritualis est amor Domini et amor proximi ; et amor sui et mundi spectat deorsum et extrorsum, et amor Domini spectat sursum et introrsum ; quare quando amor naturalis separatus est ab amore spirituali, non potest elevari a proprio hominis, sed manet ei immersus, et quantum illud amat, ei agglutinatus ; et tunc si intellectus ascendit, et ex luce caeli videt talia quae sapientiae sunt, retrahit illam, et conjungit illam secum in suo proprio, et ibi vel rejicit illa quae sapientiae sunt, vel falsificat illa, vel ponit illa circum se, ut loquatur illa ob famam. Quemadmodum amor naturalis potest per gradus ascendere, et fieri spiritualis et caelestis, ita quoque potest per gradus descendere et fieri sensualis et corporeus ; et tantum descendit, quan-

tum amat dominium ex nullo amore usus, sed ex solo amore sui; hic amor est, qui vocatur diabolus. Illi qui in eo amore sunt, possunt similiter loqui et agere sicut illi qui in amore spirituali sunt; sed tunc vel ex memoria, vel ex intellectu a se elevato in lucem caeli. Sed usque illa quae loquuntur et agunt, sunt comparative sicut fructus superficie tenus apparentes pulchri, qui intus plane putres sunt; aut sicut amygdalae crusta tenus apparentes integrae, sed intus a vermibus plane corrosae. Haec in mundo spirituali appellant phantasias, per quas scorta, quae ibi vocantur sirenes, inducunt sibi pulchritudinem, et ornant se vestibus decoris, sed tamen remota phantasia apparent ut spectra; et sunt sicut diaboli, qui se lucis angelos faciunt; nam cum amor ille corporeus ab elevatione retrahit intellectum suum, quod [x]fit cum solus est, et tunc ex amore suo cogitat, tunc contra Deum pro natura, contra caelum pro mundo, et contra vera et bona ecclesiae pro falsis et malis inferni, cogitat, ita contra sapientiam. Ex his constare potest, quales sunt qui vocantur homines corporei; non enim sunt corporei quoad intellectum, sed sunt corporei quoad amorem; hoc est, non sunt corporei quoad intellectum dum loquuntur in coetu, sed cum loquuntur secum in spiritu; et quia in spiritu tales sunt, ideo post mortem quoad utrumque, tam amorem quam intellectum, fiunt spiritus qui vocantur spiritus corporei. Illi tunc, qui in summo amore dominandi ex amore sui in mundo fuerunt, et simul in intellectus elevatione supra alios, apparent quoad corpus sicut mumia Aegyptiaca, et quoad mentem crassi et fatui. Quis hodie in mundo scit, quod ille amor in se talis sit? Sed usque datur amor dominandi ex amore usus, sed ex amore usus non propter se, sed propter commune bonum. At homo aegre potest distinguere hunc ab illo, sed usque inter illos discrimen est quale inter caelum et infernum. Discrimina inter binos illos amores dominandi, videantur in opere *De Caelo et Inferno* (n. [z]551–565).

425. (xx.) *Quod usque remaneat facultas intelligendi quae vocatur rationalitas, et facultas agendi quae vocatur libertas.*—De his binis facultatibus, quae homini sunt, actum est supra (n. 264–267). Illae binae facultates homini sunt, ut possit a naturali fieri spiritualis, quod est regenerari. Nam, ut supra dictum est, amor hominis est qui

spiritualis fit, et regeneratur ; et ille non potest spiritualis fieri seu regenerari, nisi per intellectum suum sciat quid malum et quid bonum, et inde quid verum et quid falsum : haec cum scit, potest eligere unum aut alterum ; et si eligit bonum, potest per intellectum suum informari de mediis, per quae ad bonum possit venire. Omnia media, per quae homo venire potest ad bonum, sunt provisa. Illa media scire et intelligere est ex *rationalitate ;* et illa velle et facere est ex *libertate.* Libertas etiam est velle scire, intelligere et cogitare illa. De his facultatibus, quae vocantur rationalitas et libertas, non sciunt aliquid illi, qui credunt ex doctrina ecclesiae, quod spiritualia seu theologica transcendant intellectum, et quod ideo absque intellectu credenda sint ; hi non possunt aliter quam facultatem, quae vocatur rationalitas, negare. Ac illi qui credunt ex doctrina ecclesiae, quod nemo possit bonum facere a se, et quod ideo non bonum ex aliqua voluntate faciendum sit salutis causa, hi non possunt aliter quam ex principio religionis utramque illam facultatem, quae homini est, negare. Ideo etiam illi, qui se confirmaverunt in illis, post mortem secundum fidem suam orbantur utraque, et loco quod potuerint in libero caelesti esse, in libero infernali sunt ; et loco quod potuerint ex rationalitate in sapientia angelica esse, in insania infernali sunt. Et, quod mirum est, agnoscunt utramque illam facultatem dari in faciendo mala, et in cogitando falsa ; non scientes quod liberum faciendi mala sit servum, ac rationale cogitandi falsa sit irrationale. At probe sciendum est, quod utraque illa facultas, libertas et rationalitas, non sint hominis, sed quod sint Domini apud hominem, et quod non appropriari possint homini ut ejus ; tum quod non dari possint homini ut ejus, sed quod continue sint Domini apud illum ; et tamen quod nusquam homini auferantur : causa est, quia homo absque illis non potest salvari, nam absque illis non potest regenerari, ut supra dictum est. Quare homo ab ecclesia instruitur, quod non possit verum cogitare a se, nec bonum facere a se. Sed quia homo non percipit aliter, quam quod verum cogitet a se, et bonum faciat a se, evidenter patet, quod credere debeat quod verum cogitet sicut a se, et quod bonum faciat sicut a se : nam si hoc non credit, tunc vel non cogitat verum, nec facit bonum,

et sic ei nulla religio est ; vel cogitat verum et facit bonum a se, et tunc quod Divinum est, sibi addicat. Quod homo verum cogitare et bonum facere [debeat] sicut a se, videatur in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma*, a principio ad finem.

426. (xxi.) *Quod amor spiritualis et caelestis sit amor erga proximum et amor in Dominum ; et quod amor naturalis et sensualis sit amor mundi et amor sui.*—Per amorem erga proximum intelligitur amor usuum, et per amorem in Dominum intelligitur amor faciendi usus, ut prius ostensum est. Causa quod hi amores sint spirituales et caelestes, est quia amare usus, et facere illos ex amore illorum, est separatum ab amore proprii hominis ; nam qui spiritualiter amat usus, is non se, sed alios extra se, quorum bono afficitur, spectat. His amoribus oppositi sunt amores sui et mundi, nam hi non spectant usus propter alios, sed propter se ; et qui hoc faciunt, invertunt ordinem Divinum, ac se ponunt loco Domini, et mundum loco caeli ; inde est quod spectent retro a Domino et a caelo ; et spectare retro ab illis, est ad infernum : sed plura de his amoribus videantur supra (n. 424). Sed homo amorem faciendi usus propter usus non sentit et percipit, sicut amorem faciendi usus propter se ; inde quoque nescit, dum usus facit, num illos propter usus aut propter se faciat. At sciat, quod tantum faciat usus propter usus, quantum fugit mala ; nam quantum haec fugit, tantum non a se facit usus, sed a Domino : malum enim et bonum sunt opposita ; quare quantum quis non in malo est, tantum in bono est. Nemo in malo et in bono potest simul esse, quia nemo potest duobus dominis simul servire. Haec dicta sunt, ut sciatur, quod tametsi homo non sensu percipit, num usus quos facit, sint propter usus, aut num sint propter se, hoc est, num usus sint spirituales, vel num sint mere naturales, usque id scire possit ex eo, num cogitat mala esse peccata vel non : si cogitat esse peccata, et propterea non facit illa, tunc usus quos facit sunt spirituales ; et hic dum ex aversatione fugit peccata, tunc etiam incipit sensu percipere amorem usuum propter usus, et hoc ex spirituali jucundo in illis.

427. (xxii.) *Quod simile sit cum charitate et fide, et cum illarum conjunctione, ut est cum voluntate et intellectu, et*

cum horum conjunctione.—Sunt bini amores, secundum quos caeli distincti sunt, amor caelestis et amor spiritualis: amor caelestis est amor in Dominum, et amor spiritualis est amor erga proximum. Distinguuntur hi amores per id, quod amor caelestis sit amor boni, ac amor spiritualis sit amor veri; illi enim qui in amore caelesti sunt, faciunt usus ex amore boni, et illi qui in amore spirituali sunt, faciunt usus ex amore veri. Conjugium amoris caelestis est cum sapientia, ac conjugium amoris spiritualis est cum intelligentia; sapientiae enim est facere bonum ex bono, ac intelligentiae est facere bonum ex vero; quare amor caelestis facit bonum, ac amor spiritualis facit verum. Discrimen inter hos binos amores non potest describi quam per haec; quod illi qui in amore caelesti sunt, sapientiam vitae suae inscriptam habeant, et non memoriae; quae causa est, quod non de Divinis veris loquantur, sed quod faciant illa. At illi qui in amore spirituali sunt, sapientiam memoriae suae inscriptam habent; quare loquuntur de Divinis veris, ac faciunt illa ex principiis in memoria. Quia illi qui in amore caelesti sunt, sapientiam vitae suae inscriptam habent, ideo quicquid audiunt, illico percipiunt num verum sit vel non; et cum interrogantur num verum, respondent solum vel quod sit, vel quod non sit. Hi sunt qui intelliguntur per haec Domini verba,

"Sermo vester erit Immo immo, Non non" (*Matth.* v. 37):

et quia tales sunt, non volunt aliquid audire de fide; dicentes, "Quid fides? estne sapientia? et quid charitas? estne facere?" Et quum illis dicitur quod fides sit credere quod non intelligitur, avertunt se, dicentes, "Hic delirat." Hi sunt qui in tertio caelo sunt, et qui omnium sapientissimi sunt. Tales facti sunt in mundo illi, qui Divina quae audiverunt, statim applicuerunt vitae, aversando mala sicut infernalia, et adorando solum Dominum. Hi quia in innocentia sunt, apparent aliis sicut infantes; et quia nihil de veris sapientiae loquuntur, et nihil ex fastu inest sermoni illorum, apparent etiam simplices. Sed usque dum audiunt aliquem loquentem, ex sono percipiunt omnia amoris ejus, et ex loquela omnia intelligentiae ejus. Hi sunt qui in conjugio amoris et sapientiae sunt a Domino; et qui cardiacum caeli referunt, de quo prius.

428. Illi autem qui in amore spirituali sunt, qui est amor erga proximum, non habent sapientiam vitae suae inscriptam, sed habent intelligentiam ; nam sapientiae est facere bonum ex affectione boni, at intelligentiae est facere bonum ex affectione veri, ut supra dictum est. Hi nec sciunt quid fides : si nominatur fides intelligunt veritatem, et cum nominatur charitas intelligunt facere veritatem : et cum dicitur quod credendum sit, dicunt hoc vanam locutionem esse, et aiunt "Quis non credit verum? Hoc dicunt quia vident verum in luce sui caeli ; quare credere quod non vident, vocant vel simplicitatem vel fatuitatem. Hi sunt qui faciunt pulmonicum caeli, de quo etiam supra.

429. Illi autem qui in amore naturali spirituali sunt, non habent sapientiam nec intelligentiam vitae suae inscriptam, sed habent aliquid fidei ex Verbo, quantum hoc charitati conjunctum est. Hi quia non sciunt quid charitas, nec an fides sit veritas, non possunt inter illos in caelis esse, qui in sapientia et in intelligentia sunt, sed inter illos qui in sola scientia. At illi qui mala fugerunt ut peccata, in ultimo caelo sunt, et ibi in luce simili luci nocturnae lunari. Sed qui se non confirmaverunt in fide ignoti, et simul in aliqua affectione veri fuerunt, illi instructi ab angelis secundum receptionem veritatum, ac vitam secundum illas, elevantur in societates illorum qui in amore spirituali et inde intelligentia sunt : hi fiunt spirituales ; reliqui manent naturales spirituales. Ast qui in fide separata a charitate vixerunt, removentur et ablegantur in deserta, quia non in aliquo bono sunt, ita non in aliquo conjugio boni et veri, in quo sunt omnes qui in caelis sunt.

430. Omnia quae in hac Parte de amore et sapientia dicta sunt, dici possunt de charitate et fide, modo pro charitate intelligatur amor spiritualis, et pro fide veritas per quam intelligentia. Simile est si dicatur voluntas et intellectus, sive amor ac intelligentia, quoniam voluntas est receptaculum amoris, ac intellectus est receptaculum amoris, ac intellectus est receptaculum intelligentiae.

431. His adjiciam hoc memorabile. In caelo omnes, qui usus faciunt ex affectione usus, ex communione in qua sunt, trahunt quod sint aliis sapientiores et feliciores ; ac usus facere illis ibi est, sincere, recte, juste et fideliter

agere in opere quod ejus officii est. Hoc vocant charitatem, ac adorationes quae sunt cultus vocant signa charitatis, et reliqua vocant debita et beneficia: dicentes quod dum quisque sincere, recte, juste et fideliter facit opus quod ejus officii est, commune in suo bono subsistat et persistat; et quod hoc sit in Domino esse, quoniam omne quod a Domino influit est usus, ac influit a partibus in commune, et a communi ad partes. Partes ibi sunt angeli, et commune est societas illorum.

Quale est intiamentum hominis a conceptione.

432. Quale est initiamentum seu primitivum hominis in utero post conceptionem, nemo potest scire, quia id non potest videri; et quoque ex spirituali substantia est, quae per lucem naturalem non cadit in visum. Nunc quia aliqui in mundo tales sunt, ut intendant mentem etiam in indagationem primitivi hominis, quod est semen a patre, a quo fit conceptio; et quia multi ex illis in illum errorem lapsi sunt, quod homo sit in suo pleno a primo suo, quod est inchoamentum, et quod dein increscendo perficiatur, detectum mihi est quale id inchoamentum seu primum est in sua forma. Hoc mihi detectum est ab angelis, quibus id revelatum est a Domino: qui quia id sapientiae suae fecerunt, ac jucundum sapientiae illorum est communicare aliis quod sciunt, ideo ex data venia formam initialem hominis in typo coram oculis meis in luce caeli sistebant; quae talis erat:—Visa est sicut minima imago cerebri cum delineatione subtili alicujus faciei antrorsum, absque appendice. Hoc primitivum in superiore gibba parte erat compages ex globulis seu sphaerulis contiguis, et unaquaevis sphaerula erat compaginata ex adhuc minutioribus; et unaquaevis ex his similiter ex minutissimis; ita trium graduum erat; anterius in parte sima delineatum quid pro facie apparuit. Gibbosa pars erat tenuissima membrana seu meninge circumtecta, quae transparens. Gibba pars, quae erat typus cerebri in minimis, erat etiam divisa in binos quasi toros, sicut cerebrum in maximis est in bina hemisphaeria; et dictum est mihi, quod dexter torus esset receptaculum amoris, et sinister torus receptaculum sapi-

entiae; et quod per mirificas consertiones essent sicut consortes et contubernales. Insuper monstratum est in luce caeli, quae affulsit, quod compages cerebelluli hujus interius esset quoad situm et fluxionem in ordine et in forma caeli, et quod compages ejus exterior esset in opposito contra illum ordinem et illam formam. Postquam haec visa et monstrata sunt, dixerunt angeli, quod bini interiores gradus, qui erant in ordine et in forma caeli, essent receptacula amoris et sapientiae a Domino; et quod exterior gradus, qui in opposito erat contra ordinem et formam caeli, esset receptaculum amoris et insaniae infernalis; ex causa, quia homo ex labe hereditaria nascitur in mala omnis generis; et quod mala illa resideant in extremis ibi; et quod illa labes non removeatur, nisi aperiantur gradus superiores, qui, ut dictum est, sunt receptacula amoris et sapientiae a Domino. Et quia amor et sapientia est ipse homo, est enim amor et sapientia in sua essentia Dominus, et hoc primitivum hominis est receptaculum, sequitur quod inde in primitivo illo sit continuus nisus in formam humanam, quam etiam successive induit.

INDEX LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE.

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi,..... **1, 3,** *designant* versus ad verbum productos.

Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes :—

Puncta signum antecedentia, **..1,** partem primam non datam indicant;
Puncta supra signum posita, **1̈,** partem mediam non datam indicant;
Puncta signum sequentia,... **1..,** partem ultimam non datam indicant.

Omissionem verbi unius *puncto uno monstravimus ;* duorum vel trium verborum, *punctis duobus ;* plurium, *tribus.*

Notae hujusmodi,..... *1, 3,* *designant* versus ad verbum non productos.

Interclusae hoc modo,..... (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

Genesis.

i. *26,* 287, 358
26, 27, ... 11, 18
ii. **..7,** 383
7, ... 60
ix. *4,* 379

Exodus.

xxxi. *3,* 383

Leviticus.

xvii. *14,* 379

Deuteronomium.

vi. **.5...,** 282
xxxiv. *9,* 383

2 Samuelis.

xxiii. *3, 4,* 233

Psalmi.

xxxvii. **.6,** 38
li. *12, 13* [*B.A. 10, 11*], ... 383
lxxii. **7,** 233
lxxxix. **15...** [*B.A.* 14...], ... 38
cxix. **...7, 164,** 38

Esaias.

ix. **...6...** [*B.A.* **...7...**], ... 38
xxix. **.24...,** 383
xxx. **.26...,** 233
xxxiii. **5̈,** 38
lx. *20,* 233

Jeremias.

xxiii. **...5̈,** 38

Ezechiel.

xxviii. (12, 13,) 325
xxxi. (3–9,) 325
xxxvi. *26,* 383
xxxvii. **...9̈,** 383

Daniel.

v. *11, 12, 14,* 383

Hoscheas.

ii. **.19...,** 38

Matthaeus.

v. **37...,** 427
xvii. *1, 2,* 233
xxii. **...35...,** 282
...37..., ... 383
xxviii. *20,* 111

Johannes.

i. **4,** 38
v. **.26,** 4
vi. **...63,** 38
...63̈, ... 149
xi. (25,) 4
xiv. (6,) 4
17, ... 149
2̈0, (21,) 359
20–24, ... 116
21, 23, ... 111
xv. (4, 5,) 359
4–6, ... 116
7, ... 116
26, ... 149
xvi. **.13...,** 149
14, (15,) 149
xvii. (23,) 359
xx. **...22,** 383

Apocalypsis.

i. **...1̈6,** 233

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	Sig.	
5	1	propiores *pro* "propriores"
	2	propiore *pro* "propriore"
14	1	15 *pro* "5"
	2	"Me tibi"—*sic editio princeps; sic quoque Doc. de Sac. Scrip.*, n. 85; *Apoc. Rev., ed. princeps*, n. 688; *V.C.R., ed. princeps*, n. 51; *Apoc. Expl.*, n. 388[*e*]. *Videantur autem articuli sequentes, ubi legimus* "te Mihi:"—*A.C.*, n. 2235, 9182, 9857; *De Caelo et Inferno*, n. 216; *Apoc. Rev.*, n. 567; *Apoc. Expl.*, n. 329[*a*], 650[*e*], 701[*c*], 946; *Dicta Prob., ed.* 1845, *pag.* 56.
15	1	164 *pro* "64"
16	1	plures *pro* "plures causae"
22	1	afferentur *pro* "afferrentur"
28	1	eorum *pro* "norum"
31	1	"somnis:"—*Sic editio princeps. Index Initialis* (Beyer) *habet* "somniis."
34	1	percipiant *pro* "percipiunt"
35	1	describerem *pro* "describere;" *nisi praetuleris* datum est describere.
60	1	dicitur *pro* "dicitur, tu"
	2	sit *pro* "sit, sit"
	3	quam *pro* "et quam"
63	1	trecentorum sexaginta quinque dierum ac quartae partis diei *pro* "365¼ dierum"
70	1	excellunt *pro* "excellent"
78	1	demonstrata *pro* "demonta"
	2	52 *pro* "54"
79	1	"sunt:—*Sic editio princeps. Doctor Im. Tafel legerit* sint.
87	1	apparet *pro* "appatet"
	2	quae *pro* "qua"
	3	corporis *pro* "corris"
	4	priora *pro* "priopora"
90	1	in *pro* "in in"
91	1	graduum *pro* "gradum"
92	1	quae *pro* "que"
93	1	26 *pro* "25"
95	1	"aperitione:"—*Sic ed. prin. Voces* "aperitio," "aperitiones," *etc., ab auctore saepissime adhibitae sunt. A Doctore Tafel quidem legebantur* "apertio," "apertiones," *etc.*
97	1	242 *pro* "243"
98	1	244 *pro* "144"
101	1	quid *pro* "quin"
103	1	sint *pro* "sit"
	2	in medio sunt *pro* "quod in medio sint"
104	1	et *pro* "est"
108	1	in *pro* "non in"
117	1	20 *pro* "26"
119	1	antipodibus *pro* "antipodis"
121	1	percipiant *pro* "perpiant"
	2	sit *pro* "fit"
124	1	73 *pro* "72"
126	1	sunt *pro* "sint"
127	1	123 *pro* "124"
	2	124 *pro* "125"
128	1	Ipsius *pro* "Ipsius, ostensum est"
130	1	89 *pro* "98"
133	1	condant (*cum Doctore Im. Tafel*) *pro* "condere"
134	1	Divini *pro* "Divinae"
135	1	55 *pro* "54"
142	1	13 *pro* "23"
143	1	58 *pro* "38"
	2	59 *pro* "39"
146	1	sint *pro* "sit"
156	1	odoratus *pro* "odoris"
157	1	si *pro* "se"
158	1	"Quis non:"—*sic ed. prin.; sic De Am. Conj.*, n. 418; *sic quoque V.C.R.*, n. 12. *A quibusdam deleretur* "non."
	2	refertae (*vide V.C.R.*, n. 12) *pro* "referti"
162	1	4, 5 *pro* "24"
163	1	toto *pro* "toro"
166	1	sciunt *pro* "scit"
172	1	dant *pro* "dat"
175	1	color *pro* "calor"
177	1	37 *pro* "35"
179	1	sit *pro* "fit" (*vide infra*)
180	1	"qui:"—*sic nisi cum Doctore Im. Tafel, legeris* quae
181	1	"qui:" *sic nisi legeris* quae
193	1	sic *pro* "sit"
194	1	aliquid *pro* "aliquod"
208	1	fit *pro* "sit"
	2	551 *pro* "531"

SAPIENTIA ANGELICA

DE

DIVINA PROVIDENTIA

OPUS

EMANUELIS SWEDENBORG

CUJUS EDITIO PRINCEPS EXIIT AMSTELODAMI, MDCCLXXIV

NEW YORK

AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY

3 WEST TWENTY-NINTH STREET

MDCCCXCIX

***

In this edition, the heavy-faced figures ([**2.**], [**3.**], *etc.*) *inserted in the text indicate the divisions that are employed in Potts'* Swedenborg Concordance.

***

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.

Errores typothetae, qui poterant nulla temeritatis nota emendari, in nostra editione silentio correximus; ubi gravius quid latebat, rem diligenter significavimus. Modum scribendi, ad verba nonnulla, usui horum temporum optimo accommodavimus. Grandes litteras, oculis et consuetudini nostrae aetatis obsequentes, parcius usurpavimus. Verborum quidem interpunctiones ad certam normam redigere conati, non mutavimus ubi periculum ne sententiae mutarentur. Commutationes, quas enumeravimus, factae sunt ut auxilio sint studioso.

SAMUEL H. WORCESTER.

BRIDGEWATER, MASS., *Aprilis, d.* 1, 1889.

CONTENTA.*

QUOD DIVINA PROVIDENTIA SIT REGIMEN DIVINI AMORIS ET DIVINAE SAPIENTIAE DOMINI (n. 1–26).

(i.) *Quod universum cum omnibus et singulis ejus creatum sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam* (n. 3).

(ii.) *Quod Divinus Amor et Divina Sapientia ut unum procedant a Domino* (n. 4).

1. *Quod unum absque forma non detur, sed quod ipsa forma faciat unum* (n. 4[2]).
2. *Quod forma eo perfectius unum faciat, quo illa quae ingrediuntur formam, distincte alia sunt, et tamen unita* (n. 4[4]).

(iii.) *Quod hoc unum sit in quadam imagine in omni creato* (n. 5).

(iv.) *Quod Divinae Providentiae sit, ut omne creatum in communi et in parte, sit tale unum; et si non est, ut fiat* (n. 7).

(v.) *Quod bonum amoris non sit bonum plus quam quantum unitum est vero sapientiae, et quod verum sapientiae non sit verum plus quam quantum est unitum bono amoris* (n. 10).

(vi.) *Quod bonum amoris non unitum vero sapientiae non sit bonum in se, sed quod sit apparens bonum; et quod verum sapientiae non unitum bono amoris non sit verum in se, sed quod sit apparens verum* (n. 14).

(vii.) *Quod Dominus non patiatur ut aliquid divisum sit; quare vel erit in bono et simul vero, vel erit in malo et simul falso* (n. 16).

(viii.) *Quod id quod est in bono et simul vero sit aliquid; et quod id quod est in malo et simul falso non sit aliquid* (n. 19).

(ix.) *Quod Divina Providentia Domini faciat, ut malum et simul falsum inserviat pro aequilibrio, pro relatione, et pro purificatione, et sic pro conjunctione boni et veri apud alios* (n. 21).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA DOMINI PRO FINE HABEAT CAELUM EX HUMANO GENERE (n. 27–45).

(i.) *Quod Caelum sit conjunctio cum Domino* (n. 28).

(ii.) *Quod homo ex creatione talis sit, ut propius et propius conjungi possit Domino* (n. 32).

1. *Quomodo homo propius et propius conjungitur Domino* (n. 33[1]).
2. *Quomodo conjunctio illa propior et propior apparet* (n. 33[4]).

(iii.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo sapientior fiat* (n. 34).

(iv.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo felicior fiat* (n. 37).

(v.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo distinctius appareat sibi sicut sit suus, ac evidentius animadvertat quod sit Domini* (n. 42).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA DOMINI IN OMNI QUOD FACIT, SPECTET INFINITUM ET AETERNUM (n. 46–69).

(i.) *Quod Infinitum in se ac Aeternum in se, sit idem cum Divino* (n. 48).

(ii.) *Quod Infinitum ac Aeternum in se non possit aliter quam spectare infinitum et aeternum a se in finitis* (n. 52).

---

* Ab Editore collecta.

(iii.) *Quod Divina Providentia in omni quod facit, spectet infinitum ac aeternum a se, imprimis in salvando genere humano* (n. 55).

1. *Imago infiniti ac aeterni in omnium varietate* (n. 56[2]).
2. *Imago infiniti ac aeterni in omnium fructificatione et multiplicatione* (n. 56[3]).

(iv.) *Quod imago Infiniti ac Aeterni exstet in caelo angelico* (n. 60).

(v.) *Quod spectare Infinitum et Aeternum in formando caelum angelicum, ut sit coram Domino ut unus Homo, qui Imago Ipsius, sit intimum Divinae Providentiae* (n. 64).

QUOD LEGES DIVINAE PROVIDENTIAE SINT, QUAE IGNOTAE HOMINIBUS SUNT (n. 70).

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO EX LIBERO SECUNDUM RATIONEM AGAT (n. 71–99).

(i.) *Quod homini Ratio et Liberum sit, seu Rationalitas et Libertas; et quod binae illae facultates sint a Domino apud hominem* (n. 73).

(ii.) *Quod quicquid homo ex libero facit, sive sit rationis sive non rationis, modo sit secundum ejus rationem, illi appareat ut ejus* (n. 74).

(iii.) *Quod quicquid homo ex libero secundum suam cogitationem facit, approprietur ei sicut ejus, et remaneat* (n. 78).

(iv.) *Quod homo per binas illas facultates a Domino reformetur et regeneretur; et quod absque illis non possit reformari et regenerari* (n. 82).

1. *Status hominis primus, qui est status damnationis* (n. 83[2]).
2. *Status hominis secundus, qui est status reformationis* (n. 83[4]).
3. *Status hominis tertius, qui est status regenerationis* (n. 83[6]).

(v.) *Quod homo mediis illis binis facultatibus tantum reformari et regenerari possit, quantum potest per illas adduci ad agnoscendum, quod omne verum et bonum, quod cogitat et facit, sit a Domino, et non a semet* (n. 87).

(vi.) *Quod conjunctio Domini cum homine, et reciproca hominis cum Domino, per binas illas facultates fiat* (n. 92).

(vii.) *Quod Dominus binas illas facultates apud hominem illibatas ac ut sanctas in omni Divinae suae Providentiae progressione custodiat* (n. 96).

1. *Quod homini absque binis illis facultatibus non forent voluntas et intellectus, et sic ille non foret homo* (n. 96[2]).
2. *Quod homo absque binis illis facultatibus non potuisset conjungi Domino, et sic non reformari et regenerari* (n. 96[5]).
3. *Quod homini absque binis illis facultatibus non foret immortalitas et vita aeterna* (n. 96[7]).

(viii.) *Quod ideo Divinae Providentiae sit, ut homo ex libero secundum rationem agat* (n. 97).

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO SICUT EX SE REMOVEAT MALA UT PECCATA IN EXTERNO HOMINE, ET QUOD SIC NON ALITER DOMINUS REMOVERE POSSIT MALA IN INTERNO HOMINE, ET SIMUL TUNC IN EXTERNO (n. 100–128).

(i.) *Quod cuilibet homini externum et internum cogitationis sit* (n. 103).

(ii.) *Quod externum cogitationis hominis in se sit quale ejus internum* (n. 106).

(iii.) *Quod internum non possit purificari a concupiscentiis mali, quamdiu mala in externo homine non remota sunt, quia obstipant* (n. 111).

(iv.) *Quod mala in externo homine a Domino non possint removeri nisi medio homine* (n. 114).

(v.) *Quod ideo homo mala ab externo homine removere debeat sicut a se* (n. 118).

(vi.) *Quod Dominus tunc purificet hominem a concupiscentiis in interno homine, et ab ipsis malis in externo* (n. 119).

(vii.) *Quod continuum Divinae Providentiae Domini sit, ut conjungat hominem Sibi ac Se illi, ut dare possit ei felicia vitae aeternae; quod non fieri potest, nisi quantum mala cum illorum concupiscentiis remota sunt* (n. 123).

1. *Quod Dominus nusquam agat in aliquod particulare apud hominem singillatim, nisi in omnia ejus simul* (n. 124).
2. *Quod Dominus agat ab intimis et ab ultimis simul* (n. 124[4]).

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO NON PER MEDIA EXTERNA COGATUR AD COGITANDUM ET VOLENDUM, ITA AD CREDENDUM ET AMANDUM ILLA QUAE RELIGIONIS SUNT; SED UT HOMO SEMETIPSUM ADDUCAT, ET QUANDOQUE COGAT (n. 129–153).

(i.) *Quod nemo reformetur per miracula et signa, quia cogunt* (n. 130).

(ii.) *Quod nemo reformetur per visiones et per loquelas cum defunctis, quia cogunt* (n. 134).

(iii.) *Quod nemo reformetur per minas et poenas, quia cogunt* (n. 136).

1. *Quod externum non possit cogere internum, sed quod internum possit cogere externum* (n. 136[2]).
2. *Quod internum ita renuat coactum ab externo, ut avertat se* (n. 136[3]).
3. *Quod jucunda externa allectent internum ad consensum, et quoque ad amorem* (n. 136[5]).
4. *Quod detur internum coactum ac internum liberum* (n. 136[9]).

(iv.) *Quod nemo reformetur in statibus non rationalitatis et non libertatis* (n. 138).

1. *In statu timoris* (n. 139).
2. *In statu infortunii* (n. 140).
3. *In statu aegritudinis animi* (n. 141).
4. *In statu morbi corporis* (n. 142).
5. *In statu ignorantiae* (n. 143).
6. *In statu occaecationis intellectus* (n. 144).

(v.) *Quod contra rationalitatem et libertatem non sit semetipsum cogere* (n. 145).

(vi.) *Quod externus homo reformandus sit per internum, et non vicissim* (n. 150).

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO A DOMINO E CAELO DUCATUR ET DOCEATUR, PER VERBUM, DOCTRINAM ET PRAEDICATIONES EX ILLO, ET HOC IN OMNI APPARENTIA SICUT A SEMET (n. 154–174).

(i.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur* (n. 155).

1. *Quod unica essentia, unica substantia et unica forma sit, ex quibus omnes essentiae, substantiae et formae, quae creatae, sunt* (n. 157[2]).
2. *Quod unica illa essentia, substantia et forma sit Divinus Amor et Divina Sapientia; ex quibus omnia sunt, quae ad amorem et sapientiam apud hominem se referunt* (n. 157[5]).
3. *Similiter, quod sit ipsum Bonum et ipsum Verum, ad quae omnia se referunt* (n. 157[6]).
4. *Quod illa sint vita, ex qua omnium vita et omnia vitae sunt* (n. 157[7]).
5. *Quod hoc Unicum et Ipsum sit omnipraesens, omnisciens, et omnipotens* (n. 157[8]).
6. *Quod hoc Unicum et Ipsum sit Dominus ab aeterno seu Jehovah* (n. 157[9]).

(ii.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur per caelum angelicum et ex illo* (n. 162).

(iii.) *Quod homo a Domino ducatur per influxum, et doceatur per illustrationem* (n. 165).

(iv.) *Quod homo a Domino doceatur per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo, et sic immediate ex Ipso solo* (n. 171).

1. *Quod Dominus sit Verbum, quia est ab Ipso et de Ipso* (n. 172[2]).
2. *Quod Dominus sit Verbum, quia est Divinum Verum Divini Boni* (n. 172[3]).
3. *Quod sic ex Verbo doceri sit ab Ipso Domino* (n. 172[5]).
4. *Quod hoc fiat mediate per praedicationes, non tollit immediatum* (n. 172[6]).

(v.) *Quod homo a Domino in externis ducatur et doceatur in omni apparentia sicut a semet* (n. 174).

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO NON PERCIPIAT ET SENTIAT ALIQUID DE DIVINAE PROVIDENTIAE OPERATIONE, SED UT USQUE SCIAT ET AGNOSCAT ILLAM (n. 175–190).

(i.) *Quod si homo perciperet et sentiret Divinae Providentiae operationem, non ex libero secundum rationem ageret, nec aliquid appareret ei sicut ejus. Similiter si homo praesciret eventus* (n. 176).

(ii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, inferret se ordini et tenori progressionis ejus, ac perverteret et destrueret illum* (n. 180).

1. *Quod externa talem nexum cum internis habeant, ut in omni operatione unum faciant* (n. 180[2]).
2. *Quod si homo simul in internis esset, perverteret et destrueret omnem ordinem et tenorem Divinae Providentiae* (n. 180[6]).

(iii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, vel negaret Deum, vel faceret se Deum* (n. 182).

(iv.) *Quod detur homini videre Divinam Providentiam a tergo et non a facie, tum in statu spirituali, et non in statu suo naturali* (n. 187).

QUOD PROPRIA PRUDENTIA NULLA SIT, ET SOLUM APPAREAT QUOD SIT, ET QUOQUE APPARERE DEBEAT SICUT SIT; SED QUOD DIVINA PROVIDENTIA EX SINGULARISSIMIS UNIVERSALIS SIT (n. 191–213).

(i.) *Quod omnes cogitationes hominis sint ex affectionibus amoris vitae ejus, et quod nullae cogitationes sint, nec dari possint, absque illis* (n. 193).

(ii.) *Quod affectiones amoris vitae hominis sint soli Domino notae* (n. 197).

(iii.) *Quod affectiones amoris vitae hominis a Domino per Divinam Ipsius Providentiam ducantur, et simul tunc cogitationes, ex quibus prudentia humana* (n. 200).

(iv.) *Quod Dominus per Divinam suam Providentiam componat affectiones in unum formam, quae est humana* (n. 201).

(v.) *Quod Caelum et Infernum in tali forma sit* (n. 204).

(vi.) *Quod illi qui solam naturam et solam prudentiam humanam agnoverunt, faciant infernum; et qui Deum et Divinam Ipsius Providentiam agnoverunt, faciunt caelum* (n. 205).

1. *Unde et quid propria prudentia* (n. 206).
2. *Unde et quid Divina Providentia* (n. 207).
3. *Quinam et quales sunt, qui Deum et Divinam Ipsius Providentiam agnoscunt; tum quinam et quales sunt, qui naturam et propriam prudentiam agnoscunt* (n. 208).

(vii.) *Quod omnia haec non fieri possint, nisi appareat homini quod ex se cogitet et ex se disponat* (n. 210).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA SPECTET AETERNA, ET NON ALITER TEMPORARIA, QUAM QUANTUM CONCORDANT CUM AETERNIS (n. 214–220).

(i.) *Quod temporaria se referant ad dignitates et divitias, ita ad honores et lucra in mundo* (n. 215).

1. *Quid et unde dignitates et divitiae* (n. 215[2]).
2. *Qualis amor dignitatum et divitiarum propter illas est; et qualis amor dignitatum et divitiarum propter usus est* (n. 215[6]).
3. *Quod bini illi amores inter se distincti sint sicut infernum et caelum* (n. 215[10]).
4. *Quod discrimen illorum aegre ab homine sciatur* (n. 215[12]).

(ii.) *Quod aeterna se referant ad honores et opes spirituales, quae sunt amoris et sapientiae, in caelo* (n. 216).

1. *Quod honores et opes sint benedictiones, et quod sint maledictiones* (n. 217[1]).
2. *Quod dignitates et opes, quando sunt benedictiones, sint spirituales ac aeternae; at quod quando sunt maledictiones, sint temporariae et caducae* (n. 217[3]).
3. *Quod dignitates et opes quae sunt maledictiones, repective ad dignitates et opes quae sunt benedictiones, sint sicut non aliquid ad omne; et sicut quod in se non est, ad id quod in se est* (n. 217[6]).

(iii.) *Quod temporaria ac aeterna separentur ab homine, sed quod conjungantur a Domino* (n. 218).

1. *Quid temporaria, et quid aeterna* (n. 219[1]).
2. *Quod homo sit temporarius in se, et quod Dominus sit aeternus in Se; et quod inde ab homine non possit procedere nisi quam temporarium, et quod a Domino non nisi quam aeternum* (n. 219[2]).
3. *Quod temporaria separent aeterna a se, et quod aeterna conjungant temporaria sibi* (n. 219[4]).
4. *Quod Dominus conjungat hominem Sibi per apparentias* (n. 219[5]).
5. *Quod Dominus conjungat hominem Sibi per correspondentias* (n. 219[6]).

(iv.) *Quod temporariorum ac aeternorum conjunctio apud hominem sit Divina Domini Providentia* (n. 220).

1. *Quod ex Divina Providentia sit, quod homo per mortem exuat naturalia et temporaria, ac induat spiritualia ac aeterna* (n. 220[2]).
2. *Quod Dominus per Divinam suam Providentiam Se conjungat naturalibus per spiritualia, ac temporariis per aeterna, secundum usus* (n. 220[4]).
3. *Quod Dominus conjungat Se usibus per correspondentias, et sic per apparentias secundum confirmationes illarum ab homine* (n. 220[6]).
4. *Quod talis conjunctio temporariorum ac aeternorum sit Divina Providentia* (n. 220[8]).

QUOD HOMO NON INTERIUS IMMITTATUR IN VERA FIDEI, ET IN BONA CHARITATIS, NISI QUANTUM IN ILLIS POTEST TENERI USQUE AD FINEM VITAE (n. 221–233).

(i.) *Quod homo immitti possit in sapientiam rerum spiritualium, et quoque in amorem illarum, et usque non reformari* (n. 222).

(ii.) *Quod si homo postea ab illis recedit, et in contrarium abit, profanet sancta* (n. 226).

1. *Quod quicquid homo ex voluntate cogitat, loquitur et agit, approprietur ei et remaneat, tam bonum quam malum* (n. 227[1]).
2. *Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam continue prospiciat et disponat, ut malum sit per se, et bonum per se, et sic quod separari possint* (n. 227[2]).
3. *Sed quod hoc non fieri possit, si homo primum agnoscit vera fidei, et vivit secundum illa, ac postea recedit ac negat illa,* (n. 227[3]).
4. *Quod tunc commisceat bonum et malum, usque adeo, ut non separari possint* (n. 227[4]).
5. *Quia bonum et malum apud unumquemvis hominem separanda sunt, et apud talem separari nequeunt, quod ideo quoad omne vere humanum destruatur* (n. 227[5]).

(iii.) *Quod plura genera profanationum sancti sint, et quod hoc genus sit omnium pessimum* (n. 229).

1. *Primum profanationis genus ab illis est, qui joculantur ex Verbo et de Verbo, aut ex Divinis ecclesiae et de illis* (n. 231[1]).
2. *Alterum genus profanationis ab illis est, qui intelligunt et agnoscunt Divina vera, et tamen vivunt contra illa* (n. 231[2]).
3. *Tertium genus profanationis est ab illis, qui applicant sensum litterae Verbi ad confirmandos malos amores et falsa principia* (n. 231[3]).
4. *Quartum genus profanationis ab illis est, qui pia et sancta ore loquuntur, et quoque simulant sono et gestu affectiones amoris illorum, et tamen corde non credunt et amant illa* (n. 231[4]).
5. *Quintum profanationis genus ab illis est, qui Divina sibi attribuunt* (n. 231[5]).
6. *Sextum profanationis genus ab illis est, qui Verbum agnoscunt, et usque Divinum Domini negant* (n. 231[6]).
7. *Septimum profanationis genus ab illis est, qui primum agnoscunt Divina vera, ac vivunt secundum illa, ac postea recedunt et negant illa* (n. 231[7]).

(iv.) *Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera sapientiae et simul in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri ad finem vitae* (n. 232).

1. *Quod in interioribus apud hominem non possit malum et simul bonum esse, et inde nec falsum mali et simul verum boni* (n. 233[1]).
2. *Quod a Domino in interiora hominis non possit inferri bonum ac verum boni, nisi quantum ibi remotum est malum et falsum mali* (n. 233[3]).
3. *Si bonum cum suo vero inferretur prius aut plus quam remotum est malum cum suo falso, homo recederet a bono, ac rediret ad suum malum* (n. 233[4]).
4. *Quod cum homo in malo est, intellectui ejus possint inferri multa vera, et haec in memoria recondi, et tamen non profanari* (n. 233[7]).
5. *Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam quam maxime prospiciat, ne prius et plus inde recipiatur a voluntate, quam quantum homo sicut a se removet malum in externo homine* (n. 233[9]).
6. *Quod si prius et plus, tunc voluntas adulteraret bonum, ac intellectus falsificaret verum, commiscendo illa cum malis et inde falsis* (n. 233[10]).
7. *Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera sapientiae et in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri usque ad finem vitae* (n. 233[13]).

QUOD LEGES PERMISSIONIS ETIAM SINT LEGES DIVINAE PROVIDENTIAE (n. 234–274).

Enumerantur aliqua quae Permissionis sunt, et usque secundum leges Divinae Providentiae, per quae mere naturalis homo se pro natura contra Deum, et pro humana prudentia contra Divinam Providentiam, confirmat (vide n. 236–240):—

(i.) *Quod sapientissimi hominum, Adamus et ejus Uxor, se passi sint a serpente seduci, et quod Deus hoc per Divinam suam Providentiam, non averterit* (n. 241).

(ii.) *Quod primus eorum filius, Cainus, occiderit fratrem suum Abelem, et Deus non tunc abduxerit loquendo cum illo, sed modo post factum maledicendo* (n. 242).

(iii.) *Quod gens Israelitica in deserto coluerit vitulum aureum, et agnoverit illum pro Deo, qui illos e terra Aegypti eduxit: cum tamen Jehovah hoc vidit e monte Sinai prope, et non praecavit* (n. 243).

(iv.) *Quod David numeraverit populum, et propterea immissa sit pestis, ex qua tot millia hominum perierunt; et quod Deus non ante sed post factum ad illum miserit Gadem prophetam, et ei denuntiaverit poenam* (n. 244).

(v.) *Quod Salomoni permissum fuerit instaurare cultus idololatricos* (n. 245).

(vi.) *Quod permissum sit multis regibus post Salomonem, profanare Templum et sancta ecclesiae* (n. 246).

(vii.) *Quod genti isti fuerit permissum crucifigere Dominum* (n. 247).

Explicatio aliquorum quae coram oculis exstant (vide n. 237):—

(i.) *Quod omnis cultor sui et cultor naturae contra Divinam Providentiam se confirmet, cum in mundo videt tot impios, et tot illorum impietates, et simul quorundam gloriationes in illis, et usque non aliquam illorum punitionem a Deo* (n. 249).

(ii.) *Quod cultor sui et cultor naturae se contra Divinam Providentiam confirmet, cum videt impios ad honores evehi, ac fieri magnates et primates; tum etiam abundare opibus, ac vivere in lautis et magnificis; et cultores Dei in contemptu et paupertate* (n. 250).

(iii.) *Quod cultor sui et cultor naturae contra Divinam Providentiam se confirmet, cum cogitat quod permittantur bella, et tunc tot hominum neces, ac opum illorum depraedationes* (n. 251).

(iv.) *Quod cultor sui et cultor naturae se confirmet contra Divinam Providentiam, cum secundum suam perceptionem cogitat, quod victoriae stent a parte prudentiae, et quandoque non a parte justitiae: tum quod non aliquid faciat, sive praefectus sit probus, sive sit improbus* (n. 252).

Explicantur quae concernunt religiosa plurium gentium, quae etiam homini mere naturali inservire possunt pro argumentis contra Divinam Providentiam (vide n. 238):—

(i.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum spectat ad religiosa variarum gentium, quod dentur qui prorsus ignorant Deum, quodque dentur qui adorant solem et lunam, tum qui idola et sculptilia* (n. 254).

(ii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum spectat religiosum Mahumedanum, quod a tot imperiis et regnis receptum sit* (n. 255).

(iii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum videt, quod religio Christiana sit modo in orbis habitabilis parte minore, quae vocatur Europa, et quod ibi sit divisa* (n. 256).

(iv.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod in pluribus regnis, ubi religio Christiana recepta est, sint qui Divinam potestatem sibi vindicant, et volunt coli sicut dii; et quod invocent homines mortuos* (n. 257).

(v.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod inter illos qui religionem Christianam profitentur, sint qui salvationem ponunt in quibusdam vocibus quas cogitent et loquantur, et non aliquid in bonis quae faciant* (n. 258).

(vi.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod in Christiano orbe tot haereses fuerint, et adhuc sint, ut Quaquerismus, Moravianismus, Anabaptismus, et plures* (n. 259).

(vii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod Judaismus adhuc perstet* (n. 260).

Nunc sequuntur adhuc aliqua, (vide supra, n. 239,) quae etiam naturali homini possunt pro argumentis inservire contra Divinam Providentiam :—

(i.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod totus Christianus orbis colat Deum unum sub tribus Personis, quod est, tres Deos ; et quod huc usque nesciverit, quod Deus sit unus persona et essentia, in quo Trinitas, et quod ille Deus sit Dominus* (n. 262).

(ii.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod in singulis Verbi sensus spiritualis sit, et quod sanctitas ejus inde sit* (n. 264).

1. *Quod sensus spiritualis Verbi non prius revelatus sit, quia si prius, ecclesia profanavisset illum, et per id ipsam sanctitatem Verbi* (n. 264[2]).
2. *Quod nec prius genuina vera a Domino revelata sint, in quibus sensus spiritualis Verbi est, quam postquam ultimum judicium peractum est, et nova ecclesia, quae per "Sanctam Hierosolymam" intelligitur, a Domino instauranda erat* (n. 264[4]).

(iii.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod fugere mala ut peccata sit ipsa religio Christiana* (n. 265).

(iv.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod homo vivat homo post mortem ; et hoc non prius detectum sit* (n. 274).

QUOD PERMITTANTUR MALA PROPTER FINEM, QUI EST SALVATIO (n. 275–284).

(i.) *Quod omnis homo in malo sit, et quod abducendus a malo ut reformetur* (n. 277*a*).

(ii.) *Quod mala non possint removeri, nisi appareant* (n. 278*a*).

1. *De illis qui confitentur se reos omnium peccatorum esse, et non inquirunt aliquod in se* (n. 278*b*[1]).
2. *De illis qui ex religione omittunt inquirere* (n. 278*b*[2]).
3. *De illis qui propter mundana non cogitant de peccatis, et inde illa non sciunt* (n. 278*b*[3]).
4. *De illis qui favent peccatis, et ideo non possunt scire illa* (n. 278*b*[4]).
5. *Quod peccata apud illos non appareant, et quod ideo non removeri possint* (n. 278*b*[5]).
6. *Causa hactenus occulta cur mala non removeri possint absque illorum exploratione, apparentia, agnitione, confessione, et resistentia* (n. 278*b*[6]).

(iii.) *Quod quantum mala removentur tantum remittantur* (n. 279).

1. *Quod error saeculi sit, quod credatur quod mala separata, immo ejecta sint, quando sunt remissa* (n. 279[2]).

2. *Quod error saeculi sit, quod credatur quod status vitae hominis possit momento immutari, et sic homo a malo fieri bonus, consequenter ab inferno educi, et illico in caelum transferri, et hoc ex immediata Domini misericordia* (n. 279[4]).
3. *Quod illi qui ita credunt, nihil quicquam sciant quid malum et quid bonum* (n. 279[5]).
4. *Quod illi qui credunt momentaneam salvationem et immediatam misericordiam, non sciant quod affectiones, quae sunt voluntatis, sint merae mutationes status substantiarum pure organicarum mentis; et quod cogitationes, quae sunt intellectus, sint merae mutationes et variationes formae illarum: et quod memoria sit status istarum mutationum et variationum permanens* (n. 279[6]).

(iv.) *Quod sic permissio mali sit propter finem ut salvatio* (n. 281).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA AEQUE SIT APUD MALOS QUAM APUD BONOS (n. 285–307).

(i.) *Quod Divina Providentia non solum sit apud bonos, sed etiam apud malos, in singularissimis universalis; et quod usque non sit in illorum malis* (n. 287).

Cum quidam convicti sunt quod nullus cogitet ex se, sed ex influxu per caelum a Domino, dixerunt,—

1. *Quod sic non in culpa forent, quod malum faciant* (n. 294[2]).
2. *Quod sic videatur, quod malum sit a Domino* (n. 294[5]).
3. *Quod non comprehendant, quod Dominus solus possit facere, ut omnes tam diversimode cogitent* (n. 294[6]).

(ii.) *Quod mali se ipsos continue inducant in mala, sed quod Dominus illos continue abducat a malis* (n. 295).

1. *Quod innumerabilia sint in unoquovis malo* (n. 296[1]).
2. *Quod malus in sua mala se ex se continue profundius inducat* (n. 296[3]).
3. *Quod Divina Providentia cum malis sit continua mali permissio, ob finem ut sit continua abductio* (n. 296[7]).
4. *Quod abductio a malo fiat mille modis, etiam arcanissimis, a Domino* (n. 296[10]).

(iii.) *Quod mali non possint a Domino prorsus abduci a malis, et duci in bonis, quamdiu credunt propriam intelligentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid* (n. 297).

1. *Quod propria intelligentia, cum voluntas in malo est, non videat nisi falsum, et quod non videre velit nec possit aliud* (n. 298[1]).
2. *Quod si propria intelligentia tunc videt verum, vel avertat se, vel falsificet illud* (n. 298[3]).
3. *Quod Divina Providentia continue faciat hominem videre verum, et quod etiam det affectionem percipiendi illud et recipiendi illud* (n. 298[4]).
4. *Quod homo per id abducatur a malo, non a se sed a Domino* (n. 298[5]).

(iv.) *Quod Dominus regat infernum per opposita, et quod malos qui in mundo sunt, regat in inferno quoad interiora et non quoad exteriora* (n. 299).

1. *Quod Dominus regat infernum per opposita* (n. 307[1]).
2. *Quod Dominus malos, qui in mundo sunt, regat in inferno* (n. 307[2]).
3. *Quod Dominus malos in mundo ita regat quoad interiora, aliter quoad exteriora* (n. 307[3]).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA NON APPROPRIET ALICUI MALUM NEC ALICUI BONUM, SED QUOD PROPRIA PRUDENTIA UTRUMQUE APPROPRIET (n. 308–321).

(i.) *Quid Prudentia propria, et quid Prudentia non propria* (n. 310).
(ii.) *Quod homo ex prudentia propria persuadeat sibi, et confirmet apud se, quod omne bonum et verum sit a se et in se; similiter omne malum et falsum* (n. 312).
(iii.) *Quod omne persuasum et confirmatum permaneat sicut proprium apud hominem* (n. 317).

1. *Quod nihil non confirmari possit, et quod falsum prae vero* (n. 318[2]).
2. *Quod confirmato falso non appareat verum, sed quod ex confirmato vero appareat falsum* (n. 318[5]).
3. *Quod posse confirmare quicquid lubet, non sit intelligentia, sed solum ingeniositas, dabilis etiam apud pessimos* (n. 318[8]).
4. *Quod detur confirmatio intellectualis et non simul voluntaria, et quod omnis confirmatio voluntaria, etiam sit intellectualis* (n. 318[9]).
5. *Quod confirmatio mali voluntaria et simul intellectualis faciat, ut homo credat propriam prudentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid; non autem sola confirmatio intellectualis* (n. 318[10]).
6. *Quod omne confirmatum voluntate et simul ab intellectu permaneat in aeternum; non autem id quod modo confirmatum est ab intellectu* (n. 318[11]).

(iv.) *Quod si homo crederet sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, et omne malum et falsum ab inferno, non appropriaret sibi bonum, et id meritorium faceret, nec appreprіaret sibi malum, ac se reum ejus faceret* (n. 320).

1. *Quod qui confirmat apud se apparentiam, quod sapientia et prudentia sint ab homine et in homine ut ejus, non videre possit aliter, quam quod alioqui non foret homo, sed vel bestia, vel sculptile; cum tamen contrarium est* (n. 321[1]).
2. *Quod credere et cogitare sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum ab inferno, appareat sicut impossibile; cum tamen id est vere humanum et inde angelicum* (n. 321[4]).
3. *Quod ita credere et cogitare sit impossibile illis qui non agnoscunt Divinum Domini, et qui non agnoscunt mala esse peccata; et quod possibile sit illis qui duo illa agnoscunt* (n. 321[6]).
4. *Quod qui in duabus illis agnitionibus sunt, solum reflectant super mala apud se, ac illa ad infernum, unde sunt, rejiciant, quantum illa ut peccata fugiunt et aversantur* (n. 321[7]).
5. *Quod sic Divina Providentia non appropriet alicui malum nec alicui bonum, sed quod propria prudentia appropriet utrumque* (n. 321[8]).

QUOD OMNIS HOMO REFORMARI POSSIT, ET QUOD PRAEDESTINATIO NON DETUR (n. 322–330).

(i.) *Quod finis creationis sit Caelum ex humano genere* (n. 323).

1. *Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum* (n. 324[1]).
2. *Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum in statu beato* (n. 324[6]).
3. *Quod sic omnis homo creatus sit, ut in caelum veniat* (n. 324[7]).
4. *Quod Divinus Amor non possit aliter quam id velle, et quod Divina Sapientia non possit aliter quam id providere* (n. 324[11]).

(ii.) *Quod inde ex Divina Providentia sit, quod unusquisque homo possit salvari, et quod salventur qui Deum agnoscunt et bene vivunt* (n. 325).

1. *Quod agnitio Dei faciat conjunctionem Dei cum homine, et hominis cum Deo, et quod negatio Dei faciat sejunctionem* (n. 326[1]).
2. *Quod quisque agnoscat Deum, et conjungatur Ipsi secundum bonum vitae suae* (n. 326[6]).
3. *Quod bonum vitae seu bene vivere, sit fugere mala quia sunt contra religionem, ita contra Deum* (n. 326[8]).
4. *Quod haec sint communia omnia religionum, per quae unusquisque potest salvari* (n. 326[9]).

(iii.) *Quod ipse homo in culpa sit, si non salvatur* (n. 327).

1. *Quod omnis religio successu temporis decrescat et consummetur* (n. 328[1]).
2. *Quod omnis religio decrescat et consummetur per inversionem imaginis Dei apud hominem* (n. 328[5]).
3. *Quod hoc existat ex continuis incrementis mali hereditarii in generationibus* (n. 328[7]).
4. *Quod usque a Domino provideatur, ut quisque salvari possit* (n. 328[8]).
5. *Quod etiam provideatur, ut nova ecclesia loco devastatae prioris succedat* (n. 328[10]).

(iv.) *Quod sic omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infirmum* (n. 329).

1. *Quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinum Amorem, qui infinitus* (n. 330[1]).
2. *Quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinam Sapientiam, quae infinita* (n. 330[3]).
3. *Quod salventur illi soli, qui intra ecclesiam nati sunt, sit haeresis insana* (n. 330[5]).
4. *Quod aliqui ex humano genere ex praedestinato damnati sint, sit haeresis crudelis* (n. 330[8]).

QUOD DOMINUS NON POSSIT AGERE CONTRA LEGES DIVINAE PROVIDENTIAE, QUIA AGERE CONTRA ILLAS FORET AGERE CONTRA DIVINUM AMOREM SUUM ET CONTRA DIVINAM SAPIENTIAM SUAM, ITA CONTRA SE IPSUM (n. 331–340).

(i.) *Quod operatio Divinae Providentiae ad salvandum hominem inchoet ab ejus nativitate, ac perstet usque ad finem vitae ejus, et postea in aeternum* (n. 332).

(ii.) *Quod operatio Divinae Providentiae continue fiat per media ex pura misericordia* (n. 335).

(iii.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia non dabilis sit* (n. 338).

1. *Quod fides de momentanea salvatione ex immediata misericordia, capta sit ex statu naturali hominis* (n. 338[2]).
2. *Sed quod haec fides sit ex ignorantia status spiritualis, qui prorsus diversus est a statu naturali* (n. 338[4]).
3. *Quod doctrinae ecclesiarum in Christiano orbe, interius spectatae, sint contra momentaneam salvationem ex immediata misericordia; sed usque quod externi ecclesiae homines illam stabiliant* (n. 338[8]).

(iv.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia sit prester volans in ecclesia* (n. 340).

1. *Quod per id aboleatur religio* (n. 340[2]).
2. *Quod per fidem momentaneae salvationis ex pura et sola misericordia inducatur securitas vitae* (n. 340[4]).
3. *Quod per illam fidem damnatio imputetur Domino* (n. 340[5]).

SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA.

Quod Divina Providentia sit Regimen Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini.

1. UT intelligatur quid Divina Providentia, et quod sit regimen Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini, interest ut sciantur quae de Divino Amore et de Divina Sapientia in transactione de illis prius dicta et ostensa sunt, quae sunt sequentia:— Quod in Domino Divinus Amor sit Divinae Sapientiae, ac Divina Sapientia Divini Amoris (n. 34–39). Quod Divinus Amor et Divina Sapientia non possint aliter quam esse et existere in aliis a se creatis (n. 47–51). Quod omnia universi a Divino Amore et Divina Sapientia creata sint (n. 52, 53, 151–156). Quod omnia universi sint Divini Amoris et Divinae Sapientiae recipientia (n. [1]55–60). Quod Dominus coram angelis appareat ut Sol, et quod calor inde procedens sit amor, et lux inde procedens sit sapientia (n. 83–88, 89–92, 93–98, 296–301). Quod Divinus Amor et Divina Sapientia, quae procedunt a Domino, unum faciant (n. 99–102). Quod Dominus ab aeterno, qui est Jehovah, creaverit universum et omnia ejus a Se Ipso, et non a nihilo (n. 282–284, 290–295). Haec in transactione, quae vocatur *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia.*

2. Ex his collatis cum illis quae de Creatione in transactione illa descripta sunt, constare quidem potest, quod regimen Divini Amoris et Divinae Sapientiae Domini sit quod vocatur Divina Providentia; sed quia ibi de creatione actum est, et non de conservatione status rerum post creationem, et haec est regimen Domini, ideo hic nunc de eo agendum est: sed in hoc articulo de conserva-

tione unionis Divini Amoris et Divinae Sapientiae, seu Divini Boni et Divini Veri, in illis quae creata sunt; de quibus in hoc ordine dicendum est:—

(i.) *Quod universum cum omnibus et singulis ejus creatum sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam.*
(ii.) *Quod Divinus Amor et Divina Sapientia ut unum procedant a Domino.*
(iii.) *Quod hoc unum sit in quadam imagine in omni creato.*
(iv.) *Quod Divinae Providentiae sit, ut omne creatum in communi et in parte sit tale unum; et si non est, ut fiat.*
(v.) *Quod bonum amoris non sit bonum plus quam quantum est unitum vero sapientiae; et quod verum sapientiae non sit verum plus quam quantum est unitum bono amoris.*
(vi.) *Quod bonum amoris non unitum vero sapientiae non sit bonum in se, sed quod sit apparens bonum, et quod verum sapientia non unitum bono amoris non sit verum in se, sed quod sit apparens verum.*
(vii.) *Quod Dominus non patiatur ut aliquid divisum sit; quare vel erit in bono et simul vero, vel erit in malo et simul falso.*
(viii.) *Quod id quod est in bono et simul vero, sit aliquid; et quod id quod est in malo et simul falso non sit aliquid.*
(ix.) *Quod Divina Providentia Domini faciat, ut malum et simul falsum inserviat pro aequilibrio, pro relatione, et pro purificatione, et sic pro conjunctione boni et veri apud alios.*

3. (i.) *Quod universum cum omnibus et singulis ejus creatum sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam.*— Quod Dominus ab aeterno, qui est Jehovah, sit quoad essentiam Divinus Amor et Divina Sapientia: et quod Ipse ex Se creaverit universum et omnia ejus, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est. Exinde sequitur hoc, quod universum cum omnibus et singulis ejus creatum sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam. In praedicta transactione etiam demonstratum est, quod amor absque sapientia non possit aliquid facere, nec sapientia aliquid absque amore: non enim potest amor absque sapientia, seu voluntas absque intellectu, aliquid cogitare, immo non potest aliquid videre et sentire, nec aliquid loqui; quare nec amor absque sapientia, seu voluntas absque intellectu potest aliquid facere; pariter Sapientia absque amore seu intellectus absque voluntate, non potest aliquid cogitare, nec potest aliquid

videre et sentire, immo nec aliquid loqui; quare sapientia absque amore, seu intellectus absque voluntate non potest aliquid facere; si enim illis aufertur amor, non est amplius aliquod velle, ita non est aliquod agere. Cum tale apud hominem, dum facit aliquid, existit, eo magis apud Deum, qui est ipse Amor et ipsa Sapientia, dum universum et omnia ejus creavit et fecit, exstitit. [**2.**] Quod universum cum omnibus et singulis ejus creatum sit ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, confirmari potest ex omnibus visui subjectis in mundo. Sume modo aliquod objectum in specie, et id ex aliqua sapientia lustra, et confirmaberis. Sume arborem, aut ejus semen, aut ejus fructum, aut ejus florem, aut ejus folium, et collige sapientiam apud te, et specta id microscopio acuto, et videbis mirabilia; ac interiora, quae non vides, mirabiliora adhuc sunt. Specta ordinem in sua successione, quomodo arbor a semine crescit usque ad novum semen; et exspende numne in omni successione sit continuus nisus propagandi se ulterius; ultimum enim quo tendit, est semen, in quo prolificum ejus e novo est. Si tunc etiam spiritualiter vis cogitare, hoc potes si vis, annon in illo sapientiam visurus es? Et adhuc, si vis eousque spiritualiter cogitare, quod hoc non sit a semine, nec a sole mundi, qui est purus ignis, sed quod sit in semine a Deo Creatore, cui infinita sapientia; et quod non solum tunc quando creatum est, sed etiam quod continue postea; sustentatio enim est perpetua creatio, sicut subsistentia est perpetua existentia. Hoc simile est, sicut si aufers voluntatem ab actu, cessat opus; aut a loquela aufers cogitationem, cessat loquela; aut si a motu aufers conatum, cessat motus; verbo si ab effectu aufers causam, perit effectus; et sic porro. [**3.**] Omni quidem tali creato indita est vis, sed vis non aliquid a se agit, sed ex illo qui vim indiderat. Specta etiam aliud quoddam super tellure subjectum; sicut bombycem, apem, aut aliud animalculum, et lustra id primum naturaliter, ac postea rationaliter, et demum spiritualiter, et tunc si potes alte cogitare, stupebis ad omnia; et si admittis sapientiam in te loqui, in stupore dices, "Quis non videt in his Divinum? sunt omnia Divinae Sapientiae." Adhuc magis, si spectas usus omnium quae creata sunt, quomodo in suo ordine succedunt usque ad hominem, et ab homine

ad Creatorem a quo; et quod a conjunctione Creatoris cum homine nexus omnium pendeat; et si vis agnoscere, quod conservatio omnium. Quod Divinus Amor omnia creaverit, sed nihil absque Divina Sapientia, videbitur in sequentibus.

4. (ii.) *Quod Divinus Amor et Divina Sapientia ut unum procedant a Domino;* hoc patet quoque ex illis, quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstrata sunt, imprimis ex his ibi: quod Esse et Existere in Domino distincte unum sint (n. 14–17). Quod in Domino infinita distincte unum sint (n. 17–22). Quod Divinus Amor sit Divinae Sapientiae, et Divina Sapientia Divini Amoris (n. 34–39). Quod amor absque conjugio cum sapientia non possit aliquid facere (n. 401–403). Quod amor nihil agat nisi in conjunctione cum sapientia (n. 409, 410). Quod spiritualis calor et spiritualis lux in procedendo a Domino ut Sole unum faciant, sicut Divinus Amor et Divina Sapientia in Domino unum sunt (n. 99–[1]102). Ex illis quae in istis locis demonstrata sunt, patet veritas hujus rei. Sed quia nescitur, quomodo duo inter se distincta possunt unum agere, velim hic ostendere, quod unum absque forma non detur, sed quod ipsa forma faciat unum; dein, quod forma eo perfectius unum faciat, quo illa quae ingrediuntur formam, distincte alia sunt, et tamen unita. [**2.** [*Quod unum absque forma non detur, sed quod ipsa forma faciat unum*:—Omnis qui in intensione mentis cogitat, potest clare videre, quod unum absque forma non detur, et si datur quod sit forma; quicquid enim existit, ex forma trahit id quod vocatur quale, et quoque id quod vocatur praedicatum, tum id quod vocatur status mutatio, ut et id quod vocatur relativum, et similia alia. Quare id quod non in forma est, non est alicujus affectionis, et quod non est alicujus affectionis, est etiam nullius rei; ipsa forma dat omnia illa: et quia omnia quae in forma sunt, si forma perfecta est, spectant se mutuo, sicut uncus uncum in catena, ideo sequitur quod ipsa forma faciat unum, et sic subjectum, de quo praedicari potest qualitas, status, affectio, ita aliquid, secundum formae perfectionem. [**3.**] Tale unum est omne quod spectatur oculis in mundo, ac tale unum est quoque omne quod non oculis spectatur, sive in interiore natura

sit, sive in mundo spirituali: tale unum est homo, et tale unum est societas humana; et tale unum est ecclesia, tum universum caelum angelicum coram Domino; verbo, tale unum est universum creatum non modo in communi, sed etiam in omni particulari. Ut omnia et singula formae sint, necessum est ut Ipse qui creavit omnia sit ipsa Forma, et quod ex ipsa Forma sint omnia quae creata sunt in formis: hoc itaque est, quod in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est, ut, Quod Divinus Amor et Divina Sapientia sit substantia et quod sit forma (n. 40–43). Quod Divinus amor et Divina Sapientia sit forma in se, ita ipsum et unicum (n. 44–46). Quod Divinus amor et Divina Sapientia in Domino unum sint (n. 14–17, n. 18–22). Et quod ut unum procedant a Domino (n. 99–102, et alibi). [4.] *Quod forma eo perfectius unum* [1]*faciat, quo illa quae ingrediuntur formam, distincte alia sunt, et tamen unita:* hoc aegre cadit in intellectum nisi elevatum, quoniam apparentia est, quod forma non aliter possit unum facere, quam per similitudines aequalitatis illorum quae formam constituunt. De hac re saepius cum angelis locutus sum; qui dixerunt quod hoc sit arcanum, quod sapientes illorum percipiunt clare, at minus sapientes obscure; at quod veritas sit, quod forma eo perfectior sit, quo illa quae faciunt illam, distincte alia sunt, sed usque singulari modo unita: confirmaverunt id per societates in caelis, quae simul sumptae formam caeli constituunt; perque angelos cujusvis societatis, quod quo quilibet distinctius suus est, ita liber, et sic sicut ex se et ex sua affectione amat consocios, societatis forma perfectior sit. Illustrarunt etiam id per conjugium boni et veri, quod quo distinctius duo sunt, eo perfectius unum possint facere; similiter amor et sapientia; et quod indistinctum sit confusum, ex quo omnis imperfectio formae resultat. [5.] Quomodo autem perfecte distincta uniuntur, et sic unum faciunt, etiam per plura confirmaverunt; imprimis per illa quae in homine sunt, ubi innumerabilia ita distincta sunt, et tamen unita, distincta per velamenta, ac unita per ligamenta: et quod simile sit cum amore et omnibus ejus, ac cum sapientia et omnibus ejus, quae non aliter percipiuntur quam ut unum. Plura de his videantur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 14–22),

et in opere *De Caelo et Inferno* (n. 56 et 489). Hoc allatum est, quia est Sapientiae Angelicae.

5. (iii). *Quod hoc unum sit in quadam imagine in omni creato.*—Quod Divinus Amor et Divina Sapientia, quae in Domino unum sunt, ac ut unum procedunt ab Ipso, sint in quadam imagine in omni creato, constare potest ex illis quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* passim demonstrata sunt, et imprimis ex illis quae ibi n. 47–51, n. [1]55–60, 282–284, 290–295, [2]313–318, 319–326, 349–[3]357; in quibus locis ostensum est, quod Divinum sit in omni creato, quia Deus Creator, qui est Dominus ab aeterno, a Se Ipso produxerat Solem mundi spiritualis, et per illum Solem omnia universi; consequenter quod ille Sol qui a Domino et ubi est Dominus, sit non modo prima substantia, sed etiam unica ex qua omnia; et quia est unica substantia, sequitur quod in omni creato sit illa, sed cum infinita varietate secundum usus. [**2.**[Nunc quia in Domino est Divinus Amor et Divina Sapientia, et in Sole ab Ipso Divinus ignis et Divinus splendor, et a Sole spiritualis calor et spiritualis lux, et haec duo unum faciunt, sequitur quod hoc unum in quadam imagine in omni creato sit. Inde est, quod omnia, quae in universo sunt, se referant ad bonum et verum, immo ad conjunctionem illorum; seu quod idem est, quod omnia in universo se referant ad amorem et sapientiam, et ad conjunctionem illorum, nam bonum est amoris et verum est sapientiae, amor enim omne suum vocat bonum, et sapientia omne suum vocat verum. Quod horum conjunctio sit in omni creato, videbitur in sequentibus.

6. A multis agnoscitur, quod unica substantia sit, quae etiam prima, e qua sunt omnia; sed qualis illa substantia est, non scitur. Creditur quod sit ita simplex ut nihil simplicius, et quod assimilari possit puncto quod nullius dimensionis est, et quod ex infinitis talibus formae dimensionis exstiterint. Sed hoc est fallacia, oriunda ex idea spatii; ex hac enim idea apparet minimum tale: sed usque veritas est, quod quo aliquid simplicius et purius est, eo plus et plenius sit; quae causa est, quod quo interius aliquod objectum spectatur, inibi eo mirabiliora, perfectiora et formosiora conspiciantur; et quod sic in substantia prima omnium mirabilissima, perfectissima et

formosissima sint. Quod ita sit, est quia prima substantia est ex Sole spirituali, qui, ut dictum est, est a Domino et in quo Dominus: ita est ipse ille Sol unica substantia, qui quia non in spatio est, est omne in omnibus, ac in maximis et minimis universi creati. [**2.**] Cum Sol ille est substantia prima et unica, ex qua omnia, sequitur quod in illa sint infinite plura, quam quae apparere possunt in substantiis inde oriundis, quae substantiata et demum materiae vocantur; quod illa non in his apparere possint, est quia descendunt a Sole illo per gradus duplicis generis, secundum quos omnes perfectiones decrescunt. Inde est, quod, ut supra dictum est, quo interius aliquid spectatur, eo mirabiliora, perfectiora et formosiora conspiciantur. Haec dicta sunt, ut confirmetur, quod Divinum in quadam imagine sit in omni creato, sed quod id minus et minus appareat in descendendo per gradus, et adhuc minus dum gradus inferior separatus a gradu superiori per occlusionem obstipatur materiis terrestribus. Sed haec non possunt non obscura videri, nisi lecta sint et intellecta quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, de Sole spirituali (n. [1]83–172), de gradibus (n. 173–281), et de creatione universi (n. 282–357), demonstrata sunt.

7. (iv.) *Quod Divinae Providentiae sit, ut omne creatum in communi et in parte, sit tale unum; et si non est, ut fiat:* hoc est, ut in omni creato sit aliquid ex Divino Amore et simul ex Divina Sapientia; seu quod idem, quod in omni creato sit bonum et verum, seu conjunctio boni et veri. Quoniam bonum est amoris et verum est sapientiae, ut supra (n. 5) dictum est, ideo in sequentibus pro amore et sapientia passim dicetur bonum et verum, et pro unione amoris et sapientiae conjugium boni et veri.

8. Ex articulo praecedente patet, quod Divinus Amor et Divina Sapientia, quae in Domino unum sunt, et a Domino ut unum procedunt, sint in quadam imagine in omni creato ab Ipso. Nunc etiam aliquid in specie de uno illo, seu unione, quae vocatur conjugium boni et veri, dicetur. Conjugium illud est (1.) In Ipso Domino; nam ut dictum est, Divinus Amor et Divina Sapientia in Ipso unum sunt. (2.) Est ex Domino; nam in omni quod procedit ex Ipso, sunt amor et Sapientia prorsus unita; illa duo procedunt a Domino ut Sole, Divinus Amor

sicut calor, et Divina Sapientia sicut lux. (3.) Recipiuntur illa ab angelis quidem ut duo, sed uniuntur apud illos a Domino : simile fit apud homines ecclesiae. (4.) Ab influxu amoris et sapientiae a Domino ut unum apud angelos caeli et apud homines ecclesiae, et a receptione illorum ab angelis et hominibus, est quod Dominus in Verbo dicatur Sponsus et Maritus, ac caelum et ecclesia Sponsa et Uxor. (5.) Quantum itaque caelum et ecclesia in communi, ac angelus caeli et homo ecclesiae in particulari, est in unione illa, seu in conjugio boni et veri, tantum imago et similitudo Domini sunt ; quoniam illa duo in Domino unum sunt, immo sunt Dominus. (6.) Amor et sapientia in caelo et in ecclesia in communi, ac in angelo caeli et in homine ecclesiae unum sunt, quando voluntas et intellectus, ita quando bonum et verum unum faciunt ; seu quod idem, quando charitas et fides unum faciunt ; seu quod adhuc idem, quando doctrina ex Verbo et vita secundum illam unum faciunt. (7.) Quomodo autem duo illa unum faciunt in homine et in omnibus ejus, ostensum est in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Quinta, ubi actum est de Creatione hominis, et imprimis de Correspondentia voluntatis et intellectus cum corde et pulmone (a n. [1]358 ad 432).

9. Quomodo autem illa unum faciunt in illis quae infra seu extra hominem sunt, tam in illis quae in regno animali, quam in regno vegetabili sunt, in sequentibus passim dicetur ; quibus haec tria praemittenda sunt ; *Primum*, Quod in universo et in omnibus et singulis ejus, quae creata sunt a Domino, fuerit conjugium boni et veri. *Secundum*, Quod id conjugium post creationem apud hominem separatum sit. *Tertium*, Quod Divinae Providentiae sit, ut quod separatum est, unum fiat, et sic ut conjugium boni et veri restauretur. Haec tria multis confirmata sunt in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, quare ulterius confirmare illa, non opus est. Quisque etiam ex ratione videre potest, quod dum conjugium boni et veri a creatione fuerat in omni creato, et dum hoc postea separatum est, Dominus continue operetur, ut illud restauretur ; consequenter, quod restauratio ejus, et inde conjunctio universi creati cum Domino per hominem, sit Divinae Providentiae.

10. (v.) *Quod bonum amoris non sit bonum plus quam quantum unitum est vero sapientiae, et quod verum sapientae non sit verum plus quam quantum est unitum bono amoris:* hoc trahit bonum et verum ex origine sua, bonum in origine sua est in Domino, similiter verum, quia Dominus est ipsum Bonum et ipsum Verum, et haec duo in ipso unum sunt. Inde est quod bonum apud angelos caeli et apud homines telluris non sit bonum in se, nisi quantum unitum est vero, et quod verum non sit verum in se, nisi quantum unitum est bono. Quod omne bonum et omne verum sit a Domino, notum est; inde quia bonum facit unum cum vero, ac verum cum bono, sequitur, quod ut bonum sit bonum in se, et verum sit verum in se, facient unum in recipiente, qui est angelus caeli et homo telluris.

11. Notum quidem est, quod omnia in universo se referant ad bonum et verum; quia per bonum intelligitur id quod universaliter complectitur et involvit omnia amoris, et per verum intelligitur id quod universaliter complectitur et involvit omnia sapientiae. Sed non adhuc notum est, quod bonum non sit aliquid nisi unitum vero, nec quod verum sit aliquid nisi unitum bono. Apparet quidem sicut bonum sit aliquid absque vero, et quod verum sit aliquid absque bono, sed usque non sunt: amor enim, (cujus omnia vocantur bona,) est Esse rei; et sapientia, (cujus omnia vocantur vera,) est Existere rei ex illo Esse, ut in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 14–16) ostensum est; quare sicut Esse absque Existere non est aliquid, nec Existere absque Esse, ita bonum absque vero, ac verum absque bono non est aliquid. Similiter, quid est bonum absque relatione ad aliquid? Num dici potest bonum? est enim nullius affectionis et nullius perceptionis: [**2.**] id una cum bono quod afficit, et quod dat se percipi et sentiri, se refert ad verum, quia ad illud quod est in intellectu. Dic alicui nude bonum, et non hoc aut illud est bonum, num bonum est aliquid? At ex hoc aut illo, quod ut unum percipitur cum bono, est aliquid. Hoc non alibi unitur bono quam in intellectu, et omne intellectus se refert ad verum. Simile est cum velle: velle absque scire, percipere et cogitare quid homo vult, non est aliquid, at una cum his fit aliquid. Omne velle est amoris, et se refert ad bonum; et omne scire, perci-

pere et cogitare est intellectus, et se refert ad verum: inde patet quod velle non sit aliquid, sed quod hoc aut illud velle sit aliquid. [3.] Simile est cum omni usu, quia usus est bonum. Usus nisi determinatus sit ad quoddam, cum quo sit unum, non est usus, ita non est aliquid. Usus suum aliquid trahit ab intellectu, et id quod inde usui conjungitur vel adjungitur, se refert ad verum; ex eo trahit usus suum quale. [4.] Ex his paucis constare potest, quod bonum absque vero non sit aliquid, ita quod nec verum absque bono sit aliquid. Dicitur quod bonum cum vero, ac verum cum bono sint aliquid; inde sequitur quod malum cum falso et falsum cum malo non sint aliquid; sunt enim haec illis opposita, et oppositum destruit, hic destruit aliquid. Sed de hac re in sequentibus.

12. Sed datur conjugium boni et veri in causa, et datur conjugium boni et veri a causa in effectu. Conjugium boni et veri in causa, est conjugium voluntatis et intellectus, seu amoris et sapientiae; in omni quod homo vult et cogitat, et quod inde concludit ac intendit, est id conjugium. Hoc conjugium intrat effectum et facit illum, sed in efficiendo apparent illa duo distincta, quia simultaneum tunc facit successivum: ut dum homo vult et cogitat nutriri, vestiri, habitare, facere negotium aut opus, conversari, tunc prius id simul vult et cogitat, seu concludit et intendit; cum determinavit illa in effectus, tunc succedit unum post alterum, sed usque continue in voluntate et cogitatione unum faciunt. Usus in effectibus illis sunt amoris seu boni; media ad usus sunt intellectus seu veri. Generalia haec per specifica quisque confirmare potest, modo distincte percipiat quid se refert ad bonum amoris et quid ad verum sapientiae, et distincte quomodo se refert in causa et quomodo in effectu.

13. Aliquoties dictum est, quod amor faciat vitam hominis; sed non intelligitur amor separatus a sapientia, seu bonum a vero in causa, quia amor separatus seu bonum separatum, non est aliquid; quare amor qui facit vitam hominis intimam, quae est a Domino, est amor et sapientia simul: etiam amor qui facit vitam hominis quatenus est recipiens, nec est amor separatus in causa, sed in effectu; non enim potest amor intelligi absque suo quali, et quale ejus est sapientia; non potest quale seu sapien-

tia dari quam ex suo Esse, quod est amor, inde est quod unum sint : similiter bonum et verum. Nunc quia verum est ex bono, sicut sapientia est ex amore, ideo utrumque simul sumptum vocatur amor seu bonum, est enim amor in sua forma sapientia, et est bonum in sua forma verum ; ex forma et [non] aliunde est omne quale. Ex his nunc constare potest, quod bonum ne hilum plus bonum sit, quam quantum est unitum suo vero, et quod verum ne hilum plus verum sit quam quantum unitum est suo bono.

14. (vi.) *Quod bonum amoris non unitum vero sapientiae non sit bonum in se, sed quod sit apparens bonum ; et quod verum sapientiae non unitum bono amoris non sit verum in se, sed quod sit apparens verum.*—Veritas est, quod non aliquod bonum detur quod in se bonum est, nisi unitum sit suo vero, nec aliquod verum quod in se verum est, nisi unitum sit suo bono. Attamen datur bonum separatum a vero, et verum separatum a bono. Hoc datur apud hypocritas et assentatores, apud malos quoscunque, et apud illos qui in bono naturali et in nullo bono spirituali sunt. Possunt hi et illi facere bonum ecclesiae, patriae, societati, concivi, egenis, pauperibus, viduis et pupillis, et quoque possunt vera intelligere, ex intellectu illa cogitare, ex cogitatione illa loqui et docere ; sed tamen bona et vera illa, non sunt interius, ita non in se, bona et vera apud illos, sed sunt exterius bona et vera, ita solum apparentia ; sunt enim solum propter se et mundum, et non propter ipsum bonum et ipsum verum, consequenter non ex bono et vero ; quare sunt solius oris et corporis, et non cordis : [**2.**] et comparari possunt auro et argento inducto scoriis, aut putri ligno, aut fimo ; ac vera enuntiata comparari possunt vento respirationis qui dissipatur, aut luci fatuae quae evanescit, quae usque extrinsecus apparent sicut genuina : sed apparent talia apud illos, at possunt usque aliter apud audientes et recipientes, qui hoc non sciunt ; unumquemvis enim afficit externum secundum internum suum ; intrat enim verum, e quocunque ore sit enuntiatum, in alterius auditum, et excipitur a mente secundum ejus statum et quale. Apud illos qui in naturali bono sunt ex hereditario, et in nullo bono spirituali, paene similis res est ; internum enim omnis boni et omnis veri est spirituale, et hoc falsa et mala discutit ; at

solum naturale illis favet; ac favere malis et falsis, et bonum facere, non concordat.

15. Quod bonum a vero, ac verum a bono separari possit, et cum separatum est, usque appareat sicut bonum et verum est quia est homini facultas agendi, quae vocatur libertas, et facultas intelligendi, quae vocatur rationalitas. Ex harum facultatum abusu est, quod homo possit apparere alius in externis quam qualis est in internis; proinde quod malus possit facere bonum et loqui verum, seu quod diabolus possit lucis angelum mentiri. Sed de hac re videantur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, haec sequentia: Quod origo mali sit ex abusu facultatum, quae homini propriae sunt, et vocantur rationalitas et libertas (n. 264–270). Quod binae illae facultates sint tam apud malos quam apud bonos (n. 425). Quod amor absque conjugio cum sapientia, seu bonum absque conjugio cum vero, non possit aliquid facere (n. 401). Quod amor nihil agat nisi in conjunctione cum sapientia seu intellectu, et faciat ut sapientia seu intellectus reciproce conjungatur (n. 410–412). Quod sapientia seu intellectus ex potentia sibi data ab amore possit elevari, et percipere illa quae lucis sunt e caelo, ac recipere illa (n. 413). Quod amor possit similiter elevari, et recipere illa quae caloris sunt e caelo, si amat suam conjugem sapientiam in eo gradu (n. 414, 415). Quod amor alioqui retrahat sapientiam seu intellectum a sua elevatione, ut secum unum agat (n. 416–418). Quod amor purificetur in intellectu, si [1]simul elevantur (n. 419–421). Quod amor purificatus a sapientia in intellectu fiat spiritualis et caelestis; at quod amor conspurcatus in intellectu fiat sensualis et corporeus (n. 422–424). Quod simile sit cum charitate et fide et earum conjunctione, ut est cum amore et sapientia et horum conjunctione (n. 427–430). Quid charitas in caelis (n. 431).

16. (vii.) *Quod Dominus non patiatur ut aliquid divisum sit; quare vel erit in bono et simul vero, vel erit in malo et simul falso.*—Divina Providentia Domini praecipue pro fine habet et operatur, ut homo sit in bono et simul vero; sic enim est suum bonum et suus amor, et quoque suum verum et sua sapientia; nam per id homo est homo, est enim tunc imago Domini. At quia homo, dum in mundo

vivit, potest in bono esse et simul in falso, tum in malo esse et simul in vero, immo in malo esse et simul in bono, ita sicut duplus, et haec divisio destruit imaginem illam et sic hominem, ideo Divina Providentia Domini spectat in omnibus et singulis suis, ut haec divisio non sit. Et quia plus conducit homini, ut in malo et simul falso sit, quam ut in bono et simul malo, ideo Dominus illud permittit, non sicut volens, sed sicut non potens resistere propter finem, qui est salvatio. Quod homo possit in malo et simul vero esse, et quod Dominus non possit resistere propter finem qui est salvatio, est causa, quia intellectus hominis potest elevari in lucem sapientiae, et videre vera, vel agnoscere illa dum audit, amore ejus remanente infra; sic enim potest homo intellectu esse in caelo, sed amore in inferno; ac talis esse non potest negari homini, quia non ei tolli possunt binae facultates, per quas est homo, et distinguitur a bestiis, et per quas unice regenerari et sic salvari potest, quae sunt rationalitas et libertas; nam per illas potest homo agere secundum sapientiam, et quoque agere secundum amorem non sapientiae; et potest ex sapientia supra videre amorem infra, et sic cogitationes, intentiones, affectiones, ita mala et falsa, tum bona et vera vitae et doctrinae suae; sine quorum cognitione et agnitione in se, non potest reformari. De binis his facultatibus supra dictum est, et in sequentibus plura dicenda sunt. Haec causa est quod homo possit in bono et simul vero esse, tum in malo et simul falso, et quoque in alternis eorum.

17. Homo in conjunctionem seu unionem unam aut alteram, hoc est, boni et veri, aut mali et falsi, aegre potest venire in mundo; nam quamdiu ibi vivit, in statu reformationis seu regenerationis tenetur; sed in unum aut alterum venit omnis homo post mortem, quia tunc non amplius reformari et regenerari potest; manet tunc qualis ei vita mundo fuerat, hoc est, qualis ei amor regnans: quare si vita amoris mali ei fuerat, aufertur omne verum quod sibi ex magistro, praedicatione, aut Verbo in mundo comparavit; quo ablato imbuit, sicut spongia aquam, falsum malo suo concordans; et vicissim; si autem vita amoris boni ei fuerat, removetur omne falsum, quod per auditum et per lectionem in mundo tulerat, et non apud

se confirmaverat, et loco ejus datur verum, quod cum bono ejus concordat. Hoc intelligitur per haec Domini verba:

"Tollite..ab eo talentum, et date habenti decem talenta: habenti enim omni dabitur ut abundet; ab eo autem, qui non habet, etiam quod habet auferetur" (*Matth.* xxv. 28, 29; xiii. 12; *Marc.* iv. 25; *Luc.* viii. 18; xix. 24–26).

18. Quod unusquisque post mortem vel erit in bono et simul vero, vel in malo et simul falso, est quia bonum et malum non conjungi possunt, nec bonum et simul falsum mali, nec malum et simul verum boni; sunt enim opposita, ac opposita inter se pugnant, usque ut unum destruat alterum. Illi qui in malo et simul bono sunt, intelliguntur per haec Domini ad Ecclesiam Laodicensium in *Apocalypsi:*

"Novi opera tua, quod neque frigidus sis, neque fervidus; utinam frigidus esses vel fervidus: sed quia tepidus es, et neque frigidus neque fervidus, exspuiturus sum te ex ore meo" (iii. 15, 16):

tum per haec Domini:

"Nemo potest duobus dominis servire, nam vel unum odio habebit et alterum amabit, aut uni adhaerebit, et alterum negliget" (*Matth.* vi. 24).

19. (viii.) *Quod id quod est in bono et simul vero sit aliquid; et quod id quod est in malo et simul falso non sit aliquid.*—Quod id quod est in bono et simul vero sit aliquid, videatur supra (n. 11); inde sequitur, quod malum et simul falsum non sit aliquid. Per non esse aliquid, intelligitur nihil potentiae illi esse, et nihil vitae spiritualis. Illis, qui in malo et simul falso sunt, qui omnes sunt in inferno, est quidem potentia inter se, malus enim malefacere potest, et quoque mille modis malefacit; attamen non nisi quam ex malo potest malefacere malis; sed ne hilum potest malefacere bonis; et si bonis malefacit, quod fit quandoque, est per conjunctionem cum eorum malo; [**2.**] ex eo sunt tentationes, quae sunt infestationes a malis apud se, et inde pugnae, per quas boni liberari possunt a suis malis. Quoniam nihil potentiae est malis, ideo universum infernum coram Domino est non modo quemadmodum nihilum, sed est prorsus nihilum quoad potentiam; quod ita sit per multam experientiam confirmatum vidi. Sed hoc mirabile

est, quod omnes mali credant se potentes, et quod omnes boni credant se non potentes. Causa est, quia mali propriae potentiae, et sic astutiae et malitiae, tribuunt omnia, et nihil Domino; at boni nihil tribuunt propriae prudentiae, sed omnia Domino, qui est Omnipotens. Quod malum et simul falsum non sint aliquid, est quoque quia illis nihil vitae spiritualis est; quae causa est, quod vita infernalium non dicatur vita sed mors; quare cum omne aliquid est vitae, non potest esse aliquid morti.

20. Illi qui in malo sunt et simul in veris, comparari possunt aquilis, quae alte volant, quae, dum illis ablatae sunt alae, decidunt; similiter enim faciunt homines post mortem, dum spiritus facti sunt, qui intellexerunt vera, locuti sunt illa, et docuerunt illa, et tamen nihil spectaverunt ad Deum in vita sua; illi per intellectualia sua se elevant in altum, et quandoque intrant caelos, et mentiuntur angelos lucis; at cum illis auferuntur vera, et emittuntur, decidunt in infernum. Aquilae etiam significant homines rapinae, quibus visus intellectualis est, et alae significant vera spiritualia. Dictum est, quod talis sint illi, qui nihil spectaverunt ad Deum in vita sua: per spectare ad Deum in vita, non aliud intelligitur quam cogitare hoc aut illud malum esse peccatum contra Deum; et ideo non facere illud.

21. (ix.) *Quod Divina Providentia Domini faciat, ut malum et simul falsum inserviat pro aequilibrio, pro relatione, et pro purificatione, et sic pro conjunctione boni et veri apud alios.*—Ex antecedentibus constare potest, quod Divina Proventia Domini continue operetur, ut apud hominem uniatur verum bono et bonum vero, ex causa, quia unio illa est ecclesia et est caelum: est enim unio illa in Domino, et est in omnibus quae procedunt a Domino. Ex illa unione est quod caelum dicatur conjugium, et quoque ecclesia, quare regnum Dei in Verbo assimilatur conjugio. Ex illa unione est, quod sabbathum in Ecclesia Israelitica sanctissimum cultus fuerit, nam significabat unionem illam. Inde etiam est, quod in Verbo ac in omnibus et singulis ejus sit conjugium boni et veri (de quo videatur *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra*, n. 80–90). Conjugium boni et veri est ex conjugio Domini cum ecclesia, et hoc ex conjugio

Amoris et Sapientiae in Domino; bonum enim est amoris, et verum est sapientiae. Ex his videri potest, quod Divinae Providentiae objectum perpetuum sit, apud hominem unire bonum vero ac verum bono, sic enim homo unitur Domino.

22. Sed quia multi ruperunt et rumpunt hoc conjugium, imprimis per separationem fidei a charitate,—nam fides est veri ac verum est fidei, ac charitas est boni et bonum est charitatis,—et per id conjungunt apud se malum et falsum, et sic oppositi facti sunt et fiunt, ut tamen hi usque inserviant pro conjunctione boni et veri apud alios, providetur a Domino per aequilibrium, per relationem, et per purificationem.

23. A Domino providetur conjunctio boni et veri apud alios per *Aequilibrium* inter caelum et infernum; ex inferno enim continue exhalatur malum et simul falsum, ex caelo autem continue exhalatur bonum et simul verum. In hoc aequilibrio tenetur omnis homo, quamdiu in mundo vivit, et per id in libertate cogitandi, volendi, loquendi et faciendi, in qua potest reformari. (De hoc aequilibrio spirituali, ex quo liberum homini est videatur in opera *De Caelo et Inferno*, n. 589–596, et n. 597–603).

24. A Domino providetur conjunctio boni et veri per *Relationem:* bonum enim non cognoscitur quale est, nisi per relationem ad minus bonum, et per oppositionem a malo. Omne perceptivum et sensitivum inde est, quia quale eorum inde est: ita namque omne jucundum percipitur et sentitur ex minus jucundo, et per injucundum; omne pulchrum ex minus pulchro, et per impulchrum, similiter omne bonum quod est amoris ex minus bono, et per malum, et omne verum quod est sapientiae ex minus vero et per falsum. Erit varium in omni re a maximo ad minimum ejus, et cum varium etiam est in opposito ejus a minimo ad maximum, ac intercedit aequilibrium, tunc secundum gradus utrinque fit relativum; ac rei perceptio et sensatio vel crescit vel diminuitur. At sciendum est, quod oppositum tollat, et quoque exaltet perceptiones et sensationes: tollit cum se commiscet, et exaltat cum se non commiscet, ob quam rem Dominus exquisite separat bonum et malum, ne commisceantur, apud hominem, sicut separat caelum et infernum.

25. A Domino providetur conjunctio boni et veri apud alios per *Purificationem*, quae binis modis fit, uno per tentationes, et altero per fermentationes. *Tentationes spirituales* non aliud sunt, quam pugnae contra mala et falsa, quae exhalantur ab inferno, et afficiunt; per illas purificatur homo a malis et falsis, ac apud illum conjungitur bonum vero ac verum bono. *Fermentationes spirituales*, fiunt multis modis, tam in caelis quam in terris; sed in mundo nesciuntur quid sunt, et quomodo fiunt: sunt enim mala et simul falsa, quae immissa societatibus similiter faciunt sicut fermenta immissa farinis et mustis, per quae separantur heterogenea, et conjunguntur homogenea, et fit purum et clarum. Illae sunt, quae intelliguntur per haec Domini verba:

"Simile est regnum caelorum fermento, quod accipiens mulier abscondidit in farinae satis tribus, donec fermentaretur totum" (*Matth.* xiii. 33; *Luc.* xiii. 21).

26. Hi usus providentur a Domino ex conjunctione mali et falsi, quae est apud illos qui in inferno sunt; nam regnum Domini, quod non solum est super caelum, sed etiam super infernum, est regnum usuum; ac Providentia Domini est, ut non ibi sit aliquis aut aliquid, a quo et per quod non usus fiat.

Quod Divina Providentia Domini pro fine habeat Caelum ex Humano Genere.

27. Quod caelum non sit ex aliquibus angelis a principio creatis, et quod infernum non sit ex aliquo diabolo, qui creatus lucis angelus, et e caelo dejectus est, sed quod et caelum et infernum sint ex humano genere, caelum ex illis qui in amore boni et inde in intellectu veri sunt, et infernum ex illis qui in amore mali et inde in intellectu falsi, per diutinum cum angelis et spiritibus commercium mihi notum et testatum factum est: de qua re etiam videantur quae in opere *De Caelo et Inferno* (n. 311–316), ostensa sunt; tum quae in opusculo *De Ultimo*

Judicio (n. 14–27); et in *Continuatione de Ultimo Judicio et de Mundo Spirituali* (a principio ad finem). [**2.**] Nunc quia caelum ex humano genere est, et caelum est cohabitatio cum Domino in aeternum, sequitur quod illud fuerit Domino finis creationis; et quia fuit finis creationis, est illud finis Divinae Ipsius Providentiae. Dominus non creavit universum propter Se, sed propter illos cum quibus in caelo erit; spiritualis enim amor talis est, ut velit dare alteri suum; et quantum id potest, est in suo Esse, in sua pace, et in suo beato. Hoc trahit amor spiritualis ex Divino Amore Domini, qui infinite talis est. Exinde sequitur, quod Divinus Amor, et inde Divina Providentia pro fine habeat caelum, quod consistat ex hominibus factis angelis, et qui fiunt angeli, quibus dare possit omnia beata et felicia quae amoris et sapientiae sunt, et illa dare ex Se Ipso in illis. Nec potest aliter, quia imago et similitudo Ipsius a creatione in illis est, imago in illis est sapientia, et similitudo in illis est amor; ac Dominus in illis est amor unitus sapientiae et sapientia unita amori; seu quod idem, est bonum unitum vero et verum unitum bono; de qua unione in articulo praecedente actum est. [**3.**] Sed quia nescitur quid caelum in communi seu apud plures, et quid caelum in particulari seu apud aliquem; tum quid caelum in mundo spirituali, et quid caelum in mundo naturali, et tamen hoc, quia finis Divinae Providentiae est, interest scire, volo id in aliqua luce sistere, in hoc ordine:—

(i.) *Quod Caelum sit conjunctio cum Domino.*
(ii.) *Quod homo ex creatione talis sit, ut propius et propius conjungi possit Domino.*
(iii.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo sapientior fiat.*
(iv.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo felicior fiat.*
(v.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo distinctius appareat sibi quod sit suus, ac evidentius animadvertat quod sit Domini.*

28. (i.) *Quod Caelum sit conjunctio cum Domino.*—Caelum non est caelum ex angelis, sed ex Domino; nam amor et sapientia, in quibus angeli sunt, et quae faciunt caelum, non sunt ex illis, sed ex Domino, immo sunt Dominus in illis. Et quia amor et sapientia sunt Domini,

et Dominus ibi, ac amor et sapientia faciunt vitam illorum, patet etiam quod vita illorum sit Domini, immo Dominus. Quod a Domino vivant, confitentur ipsi angeli. Inde constare potest, quod caelum sit conjunctio cum Domino. At quia varia conjunctio cum Domino datur, et inde non simile caelum uni quam alteri, sequitur etiam, quod caelum sit secundum conjunctionem cum Domino. Quod propior et propior sit conjunctio, tum remotior et remotior, videbitur in articulo sequente. [**2.**] Hic aliquid dicetur de conjunctione illa, quomodo fit, et qualis est. Est conjunctio Domini cum angelis, et angelorum cum Domino, ita reciproca. Dominus influit in amorem vitae angelorum, et angeli recipiunt Dominum in sapientia, et per hanc vicissim conjungunt se Domino. Sed probe sciendum est, quod appareat angelis sicut ipsi se Domino per sapientiam conjungant, sed usque Dominus conjungit illos Sibi per sapientiam ; nam sapientia illorum est etiam a Domino. Simile est, si dicatur, quod Dominus Se conjungat angelis per bonum, et quod angeli vicissim se conjungant Domino per verum, nam omne bonum est amoris, et omne verum est sapientiae. [**3.**] Sed quia reciproca haec conjunctio est arcanum, quod pauci possunt intelligere nisi explicetur, volo id, quantum fieri potest, per talia quae aequant captum, evolvere. In transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 404, 405) ostensum est, quomodo amor se conjungit sapientiae ; quod nempe per affectionem sciendi ex qua affectio veri, et per affectionem intelligendi ex qua perceptio veri, et per affectionem videndi id quod scitur et intelligitur ex qua cogitatio. Dominus influit in omnes illas affectiones, sunt enim illae derivationes ex amore vitae cujusvis, et angeli recipiunt influxum illum in perceptione veri, et in cogitatione, in his enim apparet illis influxus, non autem in affectionibus. [**4.**] Nunc quia perceptiones et cogitationes apparent angelis sicut sint illorum, cum tamen sunt ex affectionibus quae a Domino sunt, ideo apparentia illa est quod angeli se reciproce conjungant Domino, cum tamen Dominus conjungit illos Sibi ; nam ipsa affectio producit illas, est enim affectio quae amoris anima illarum ; nemo enim potest aliquid percipere et cogitare absque affectione, et quisque percipit et cogitat secundum affectionem. Ex his

patet, quod reciproca conjunctio angelorum cum Domino non sit ex illis, sed sicut ex illis. Talis conjunctio etiam est Domini cum ecclesia, et ecclesiae cum Domino, quae conjugium caeleste et spirituale vocatur.

29. Omnis conjunctio in mundo spirituali fit per inspectionem. Quando aliquis ibi cogitat de altero ex affectione loquendi cum illo, alter fit illico praesens, et videt unus alterum facie ad faciem: similiter fit quando aliquis de altero cogitat ex affectione amoris; sed per hanc affectionem fit conjunctio, per alteram autem fit solum praesentia. Hoc peculiare est in mundo spirituali; causa est, quia omnes ibi sunt spirituales; aliter in mundo naturali, in quo omnes sunt materiales. In mundo naturali simile fit apud homines in affectionibus et cogitationibus spiritus illorum; sed quia in mundo naturali sunt spatia, at in mundo spirituali spatia sunt solum apparentiae, ideo in hoc mundo fit actualiter id, quod in cogitatione spiritus cujusvis fit. [**2.**] Haec dicta sunt, ut sciatur quomodo conjunctio Domini cum angelis fit, ac apparens reciproca angelorum cum Domino; omnes enim angeli vertunt faciem ad Dominum, ac Dominus aspicit illos in fronte, ac angeli aspiciunt Dominum oculis; causa est, quia frons correspondet amori et ejus affectionibus, et oculi correspondent sapientiae et ejus perceptionibus: at usque angeli ex se non vertunt faciem ad Dominum, sed Dominus vertit illos ad Se, et vertit per influxum in amorem vitae illorum, et per illum intrat in perceptiones et cogitationes, et sic convertit illos. [**3.**] Talis circulus amoris ad cogitationes, et a cogitationibus ad amorem ab amore, est in omnibus mentis humanae; qui circulus vocari potest circulus vitae. De his videantur etiam aliqua in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia:* ut, Quod angeli faciem suam jugiter vertant ad Dominum, ut Solem (n. 129–134). Quod omnia interiora, tam mentis quam corporis angelorum, ad Dominum ut Solem similiter versa sint (n. 135–139). Quod unusquisque spiritus, qualiscumque sit, ad amorem suum regnantem similiter se vertat (n. 140–145). Quod amor se conjungat sapientiae, ac faciat ut sapientia reciproce conjungatur (n. 410–412). Quod angeli sint in Domino, et quod Dominus sit in illis: et quia angeli sunt recipientes, quod solus Dominus sit Caelum (n. 113–118).

30. Caelum Domini in mundo naturali vocatur ecclesia, et angelus hujus caeli est homo ecclesiae qui Domino conjunctus est, hic etiam post excessum e mundo fit angelus caeli spiritualis: ex quo patet, quod simile, quod dictum est de caelo angelico, intelligendum sit de caelo humano, quod vocatur ecclesia. Coujunctio illa reciproca cum Domino, quae facit caelum apud hominem, revelata est a Domino his verbis apud *Johannem:*

> "Manete in Me, etiam Ego in vobis;....qui manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine me non potestis facere quicquam" (xv. 4, 5, 7).

31. Ex his constare potest, quod Dominus sit Caelum, non modo in communi apud omnes ibi, sed etiam in particulari apud unumquemvis ibi. Est enim quisque angelus caelum in minima forma; ex tot caelis quot sunt angeli, est caelum in communi; quod ita sit, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 51–58). Quoniam ita est, ne aliquis foveat erroneum id, quod apud multos cadit in cogitationem primam, quod Dominus sit in caelo inter angelos, aut quod sit apud illos sicut rex est in suo regno, est supra illos quoad aspectum in Sole ibi; sed quoad vitam amoris et sapientiae illorum in illis.

32. (ii.) *Quod homo ex creatione talis sit, ut propius et propius conjungi possit Domino*, constare potest ex illis quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Tertia, de Gradibus ostensa sunt, in specie ex his ibi: Quod tres gradus discreti seu altitudinis in homine ex creatione sint (n. 230–235). Quod tres illi gradus in quovis homine a nativitate sint, et quod sicut aperiuntur, homo in Domino sit, et Dominus in illo (n. 236–241). Et quod omnes perfectiones crescant et ascendant cum gradibus, et secundum illos (n. 199–204). Ex quibus patet, quod homo talis a creatione sit, ut per gradus propius et propius conjungi possit Domino. [**2.**] Sed omnino sciendum est, quid sunt gradus, et quod sint duplicis generis, gradus discreti seu altitudinis, et gradus continui seu latitudinis, et quae illorum differentia est: tum quod cuivis homini a creatione et inde nativitate sint tres gradus discreti seu altitudinis: et quod homo in primum gradum, qui vocatur naturalis, dum nascitur, veniat, et quod hunc gradum apud se possit per continuum augere, usque dum

fit rationalis: et quod in alterum gradum, qui vocatur spiritualis, veniat, si vivit secundum leges ordinis spirituales, quae sunt Divina vera: et quod etiam possit in tertium gradum, qui vocatur caelestis, venire, si vivit secundum leges ordinis caelestes, quae sunt Divina bona. [3.] Hi gradus aperiuntur apud hominem a Domino secundum vitam ejus, in mundo actualiter, sed non perceptibiliter et sensibiliter quam post ejus excessum e mundo; et sicut aperiuntur et dein perficiuntur, ita homo propius et propius conjungitur Domino. Potest conjunctio haec per appropinquationem augeri in aeternum, et quoque apud angelos in aeternum augetur; sed usque non potest angelus ad primum gradum Amoris et Sapientiae Domini pervenire, aut illum attingere, quia Dominus est infinitus, et angelus est finitus, ac ratio infiniti et finiti nulla datur. Quoniam nemo potest intelligere statum hominis, et statum elevationis ejus et approximationis ad Dominum, nisi sciat illos gradus, ideo de illis in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (a n. 173 ad 281) in specie actum est; quae videantur.

33. Paucis dicetur quomodo homo propius conjungi potest Domino, et deinde quomodo conjunctio illa propior et propior apparet. *Quomodo homo propius et propius conjungitur Domino:*—Hoc non fit per solam scientiam, nec per solam intelligentiam, immo nec per solam sapientiam, sed per vitam illis conjunctam. Vita hominis est ejus amor, et amor est multiplex. In genere est amor mali et amor boni; amor mali est amor adulterandi, vindicandi, defraudandi, blasphemandi, deprivandi alios suis bonis; amor mali in illis cogitandis et faciendis sentit volupe et jucundum. Derivationes quae sunt affectiones hujus amoris, sunt todidem quot sunt mala in quae se determinavit; ac perceptiones et cogitationes hujus amoris sunt totidem quot sunt falsa quae favent illis malis, et confirmant illa. Haec falsa unum faciunt cum malis, sicut intellectus cum voluntate unum facit, non separantur a se invicem, quia unum est alterius. [2.] Nunc quia Dominus influit in amorem vitae cujusvis, et per ejus affectiones in perceptiones et cogitationes, et non vicissim, ut supra dictum est, sequitur quod non propius possit Se conjungere, quam sicut amor mali cum ejus affectionibus, quae sunt concupiscentiae, re-

motus est. Et quia hae resident in naturali homine, et homo quicquid ex naturali homine agit, sentit sicut ex se agere, quare homo sicut ex se removere debet amoris illius mala, ut tunc quantum removet illa, tantum Dominus propius accedit, et Se ei conjungit. Quisque potest ex ratione videre, quod concupiscentiae cum illarum jucundis obstipent et claudant fores pro Domino, et quod a Domino ejici nequeant, quamdiu ipse homo tenet fores clausas, et ab extra urget et adigit ne aperiantur. Quod ipse homo aperire debeat, patet a Domini verbis in *Apocalypsi*,

> "Ecce sto ad januam et pulso; si quis audiverit vocem meam, et aperuerit januam, ingrediar ad illum, et cenabo cum illo, et ille Mecum" (iii. 20).

[**3.**] Inde patet, quod quantum quis fugit mala sicut diabolica, et sicut obstantia ingressui Domini, tantum propius et propius conjungatur Domino, et ille proxime, qui abominatur illa sicut totidem furvos et ignitos diabolos; nam malum et diabolus unum sunt; ac falsum mali et satanas unum sunt: quoniam sicut influxus Domini est in amorem boni et in ejus affectiones, et per has in perceptiones et cogitationes, quae omnes trahunt ex bono, in quo homo est, quod vera sint, ita influxus diaboli, hoc est inferni, est in amorem mali et ejus affectiones, quae sunt concupiscentiae, et per has in perceptiones et cogitationes, quae omnes trahunt ex malo, in quo homo est, quod falsa sint. [**4.**] *Quomodo conjunctio illa propior apparet*:—Quo plus remota sunt mala in naturali homine per illorum fugam et aversationem, homo eo propius conjungitur Domino: et quia amor et sapientia, quae sunt Ipse Dominus, non sunt in spatio, affectio enim quae amoris, et cogitatio quae sapientiae, nihil commune habent cum spatio, ideo Dominus secundum conjunctionem per amorem et sapientiam propior apparet; et vicissim secundum rejectionem amoris et sapientiae remotior. Spatium in spirituali mundo non datur, sed ibi distantiae et praesentiae sunt apparentiae secundum similitudines et dissimilitudines affectionum; nam, ut dictum est, affectiones quae sunt amoris et cogitationes quae sunt sapientiae, et in se spirituales, non sunt in spatio, de qua re videantur quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 7–10, et n. 69–72, et alibi,) ostensa sunt. [**5.**] Conjunctio Do-

mini cum homine, apud quem mala remota sunt, intelligitur per haec Domini verba:

"Mundi corde Deum videbunt" (*Matth.* v. 8):

et per haec,

"Qui habet praecepta mea, et facit illa,....apud illum mansionem faciam" (*Joh.* xiv. 21, 23);

habere praecepta est scire, et facere praecepta est amare, nam etiam ibi dicitur, "qui facit praecepta mea, ille est qui amat Me."

34. (iii.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo sapientior fiat.*—Quoniam tres gradus vitae apud hominem a creatione et inde a nativitate sunt, (de quibus mox supra, n. 32,) sunt imprimis tres gradus sapientiae apud illum. Hi gradus sunt qui aperiuntur apud hominem secundum conjunctionem; aperiuntur secundum amorem, nam amor est ipsa conjunctio. At amoris ascensus secundum gradus ab homine non percipitur nisi quam obscure, at ascensus sapientiae clare apud illos qui sciunt et vident quid sapientia. Causa quod gradus sapientiae percipiantur, est quia amor per affectiones intrat in perceptiones et cogitationes, et hae se sistunt in visu interno mentis, qui correspondet visui externo corporis; inde est quod sapientia appareat, et non ita affectio amoris quae producit illam: hoc simile est sicut cum omnibus quae actualiter fiunt ab homine; animadvertitur quomodo corpus operatur illa, non autem quomodo anima: ita quoque percipitur quomodo homo meditatur, percipit et cogitat, sed non quomodo anima illarum, quae est affectio boni et veri, producit illas. [**2.**] Sed sunt tres gradus sapientiae, naturalis, spiritualis et caelestis. In gradu sapientiae naturali est homo dum vivit in mundo; hic gradus apud illum tunc potest ad summum ejus perfici, et usque non potest intrare gradum spiritualem, quia hic gradus non continuatur gradui naturali per continuum, sed conjungitur illi per correspondentias. In gradu sapientiae spirituali est homo post mortem; et hic gradus etiam talis est, ut possit ad summum perfici, sed usque non potest intrare gradum sapientiae caelestem, quia hic gradus nec continuatur spirituali per continuum, sed conjungitur illi per correspondentias. Ex his constare potest, quod sapientia pos-

sit elevari in ratione triplicata, et quod in unoquovis gradu possit perfici in ratione simplici ad summum ejus. [**3.**] Qui elevationes et perfectiones horum graduum comprehendit, ille potest aliquantum percipere id, quod de sapientia angelica dicitur, quod sit ineffabilis ; haec quoque tam ineffabilis est, ut mille ideae cogitationis angelorum ex sua sapientia non possint sistere quam unam ideam cogitationis hominum ex sua sapientia, nongentae et nonaginta novem illae ideae cogitationis angelorum non possunt intrare, sunt enim supranaturalia : quod ita sit, per vivam experientiam pluries datum est scire. Sed, ut prius dictum est, nemo in sapientiam illam ineffabilem angelorum venire potest, nisi per conjunctionem cum Domino, et secundum illam, nam solus Dominus aperit gradum spiritualem et gradum caelestem, at duntaxat apud illos, qui sapiunt ex Ipso ; et illi sapiunt ex Domino, qui rejiciunt diabolum, hoc est, malum a se.

35. Sed ne credat aliquis, quod sapientia alicui sit, quod sciat multa, et quod percipiat illa in quadam luce, et quod intelligenter possit loqui illa, nisi illa sit conjuncta amori ; amor enim per suas affectiones producit illam ; si non conjuncta est amori, est sicut meteoron in aere quod evanescit, et sicut stella cadens ; at sapientia conjuncta amori, est sicut solis lux manens, et sicut stella fixa. Amor sapientiae est homini, quantum aversatur diabolicam turbam, quae sunt concupiscentiae mali et falsi.

36. Sapientia, quae ad perceptionem venit, est perceptio veri ex affectione ejus, imprimis perceptio veri spiritualis ; nam est verum civile, verum morale, et verum spirituale. Illi qui in perceptione veri spiritualis ex affectione ejus sunt, etiam in perceptione veri moralis et civilis sunt, nam affectio veri spiritualis est anima illarum. Locutus sum quandoque cum angelis de sapientia, qui dixerunt quod sapientia sit conjunctio cum Domino, quia Dominus est ipsa Sapientia ; et quod in illam conjunctionem veniat, qui rejicit infernum a se, ac tantum in illam, quantum rejicit. Dixerunt, quod sibi repraesentent sapientiam sicut magnificum et ornatissimum palatium, in quod ascenditur per duodecim gradus ; et quod nemo ad primum gradum veniat, nisi a Domino per conjunctionem cum Ipso, et quod quisque ascendat secundum conjunctionem, et quod

sicut ascendit percipiat quod nemo sapiat a se, sed a Domino: tum quod illa quae sapit, respective ad illa quae non sapit, sint sicut aliquae guttae ad magnum lacum. Per duodecim gradus ad palatium sapientiae significantur bona conjuncta veris et vera conjuncta bonis.

37. (iv.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo felicior fiat.*—Similia quae supra (n. 32 et 34) de gradibus vitae et sapientiae secundum conjunctionem cum Domino, dicta sunt, etiam de gradibus felicitatis dici possunt: ascendunt enim felicitates, seu beatitudines et jucunditates, sicut aperiuntur gradus superiores mentis, qui vocantur spiritualis et caelestis, apud hominem, et illi gradus post vitam ejus in mundo crescunt in aeternum.

38. Nullus homo qui in jucundis concupiscentiarum mali est, potest aliquid scire de jucundis affectionum boni, in quibus caelum angelicum est; nam jucunda illa sunt sibi prorsus opposita in internis, et inde interius in externis; at vero in ipsa superficie parum discrepant. Omnis enim amor sua jucunda habet, etiam amor mali apud illos qui in concupiscentiis sunt; sicut amor adulterandi, vindicandi, defraudandi, furandi, saeviendi, immo apud pessimos blasphemandi sancta ecclesiae, ac effutiendi virus contra Deum. Scaturigo illarum jucunditatum est amor dominandi ex amore sui. Jucunditates illae sunt ex concupiscentiis quae interiora mentis obsident, ex illis defluunt in corpus, et ibi excitant immunda, quae fibras titillant; inde ex mentis jucundo secundum concupiscentias exoritur jucundatio corporis. [**2.**] Quaenam et qualia sunt immunda, quae fibras corporis illorum titillant, datur cuivis scire post obitum, in mundo spirituali; sunt in genere cadaverosa, excrementitia, stercorea, nidorosa et urinosa; scatent enim inferna illorum talibus immundis: quae quod sint correspondentiae, videantur aliqua in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 422–424). Sed foedae illae jucunditates, postquam ingressi sunt infernum, vertuntur in diritates. Haec dicta sunt, ut intelligi possit, quid et qualis est felicitas caeli, de qua nunc sequitur; quodlibet enim cognoscitur ex suo opposito.

39. Beatitudines, faustitates, jucunditates et amoenitates, verbo felicitates caeli, non possunt verbis describi, sed possunt in caelo sensu percipi; quod enim solo

sensu percipitur, hoc non describi potest, quia non cadit in cogitationis ideas, et inde nec in voces ; intellectus enim solum videt, et videt illa quae sapientiae seu veri sunt, non autem illa quae amoris seu boni sunt ; quare felicitates illae sunt inexpressibiles, sed usque ascendunt simili gradu cum sapientia. Varietates illarum sunt infinitae, et unaquaevis ineffabilis. Audivi hoc et percepi hoc. [2.] Sed illae felicitates intrant sicut homo concupiscentias amoris mali et falsi tanquam ex se, sed usque ex Domino, amovet, sunt enim felicitates illae felicitates affectionum boni et veri, et hae concupiscentiis amoris mali et falsi oppositae sunt. Felicitates affectionum amoris boni et veri inchoant a Domino, ita ab intimo, et inde se diffundunt in inferiora, usque ad ultima, ac ita implent angelum, ac faciunt ut totus sit quasi delicium. Tales felicitates cum infinitis varietatibus sunt in quavis affectione boni et veri, imprimis in affectione sapientiae.

40. Jucunditates concupiscentiarum mali, et jucunditates affectionum boni, non possunt comparari ; quia intus in jucunditatibus concupiscentiarum mali est diabolus, ac intus in jucunditatibus affectionum boni est Dominus. Si comparandae sunt, non aliter comparari possunt jucunditates concupiscentiarum mali quam cum jucunditatibus lascivis ranarum in stagnis, ut et serpentum in putoribus ; at jucunditates affectionum boni comparari possunt deliciis animorum in hortis et floretis : similia enim quae afficiunt ranas et serpentes, etiam afficiunt illos in infernis qui in concupiscentiis mali sunt, et similia quae afficiunt animos in hortis et floretis, etiam afficiunt illos in caelis qui in affectionibus boni sunt : nam ut supra dictum est, immunda correspondentia afficiunt malos, et munda correspondentia afficiunt bonos.

41. Ex his constare potest, quod quo propius aliquis conjungitur Domino, eo felicior fiat. Sed felicitas illa raro se manifestat in mundo ; quia homo tunc in statu naturali est, ac naturale non communicat cum spirituali per continuum, sed per correspondentias ; et haec communicatio non sentitur quam per quandam quietem et pacem animi, quae imprimis fit post pugnas contra mala. At quando homo exuit statum naturalem, ac intrat statum spiritua-

lem, quod fit post excessum e mundo, tunc felicitas supra descripta se successive manifestat.

42. (v.) *Quod homo quo propius conjungitur Domino, eo distinctius appareat sibi sicut sit suus, ac evidentius animadvertat quod sit Domini.*—Ex apparentia est, quod quo propius aliquis conjunctus est Domino, eo minus suus sit. Talis apparentia est apud omnes malos, et quoque apud illos qui ex religione credunt, quod non sint sub jugo legis, et quod nemo possit facere bonum a se ; hi et illi enim non possunt aliter videre, quam quod non licere cogitare et velle malum, sed solummodo bonum, non sit suus esse ; et quia illi qui conjuncti sunt Domino non volunt nec possunt cogitare et velle malum, ex apparentia apud se concludunt, quod hoc non sit suus esse : cum tamen prorsus contrarium est.

43. Est liberum infernale et est liberum caeleste. Ex libero infernali est cogitare et velle malum, et quantum non arcent leges civiles et morales, id loqui et facere ; at ex libero caelesti est cogitare et velle bonum, et quantum datur copia, id loqui et facere. Homo quicquid ex libero cogitat, vult, loquitur et facit, hoc percipit sicut suum ; nam omne liberum est cuivis ex amore ejus ; quare qui in amore mali sunt, non percipiunt aliter, quam quod liberum infernale sit ipsum liberum, at qui in amore boni sunt, percipiunt quod liberum caeleste sit ipsum liberum, consequenter quod oppositum sit servum utrique. Sed usque non ab aliquo negari potest, quin unum aut alterum sit liberum, non enim possunt duo libera in se opposita in se libera esse. Insuper non negari potest, quin duci a bono sit liberum, et duci a malo sit servum ; nam duci a bono est a Domino, et duci a malo est a diabolo. Nunc quia omne id apparet homini ut suum, quod ex libero facit, hoc enim est amoris ejus, ex amore suo facere est ex libero, ut supra dictum est, sequitur quod conjunctio cum Domino faciat, ut homo sibi appareat liber et inde suus ; et quo propior conjunctio est cum Domino, eo liberior, et inde plus suus. Quod *distinctius* appareat sibi sicut suus, est quia Divinus Amor talis est, ut quod suum est velit esse alterius, ita hominis et angeli ; omnis amor spiritualis est talis, maxime Divinus Amor : et praeterea Dominus nusquam cogit aliquem,

quia omne id ad quod aliquis cogitur, non apparet ut suum, et quod non apparet ut suum, non potest fieri amoris ejus, et sic appropriari ei sicut suum: quare homo a Domino ducitur continue in libero, et quoque reformatur et regeneratur in libero. Sed de hac re plura dicentur in sequentibus; aliqua etiam videantur supra (n. 4).

44. Quod autem homo, quo distinctius sibi apparet sicut suus, eo evidentius animadvertat quod sit Domini, est quia quo propius conjungitur Domino, eo sapientior fiat, (ut supra, n. 34–36, ostensum est,) ac sapientia docet id, et quoque animadvertit id. Angeli tertii caeli, quia sapientissimi angelorum sunt, etiam percipiunt id, et quoque vocant id ipsum liberum; at duci a semet vocant servum. Causam etiam dicunt, quod Dominus non influat immediate in illa quae sunt perceptionis et cogitationis illorum ex sapientia, sed in affectiones amoris boni, et per has in illa, et quod percipiant influxum in affectione, ex qua illis sapientia; et quod dein omne quod ex sapientia cogitant, appareat sicut a se, ita sicut suum; et quod per hoc fiat conjunctio reciproca.

45. Quoniam Divina Providentia Domini pro fine habet caelum ex humano genere, sequitur quod pro fine habeat conjunctionem humani generis Secum (de qua n. 28–31): tum, quod pro fine habeat, ut homo propius conjungatur Ipsi (de quo n. 32, 33), sic enim ei caelum interius: ut et, quod pro fine habeat, ut homo per conjunctionem illam fiat sapientior (de quo n. 34–36); et quod fiat felicior (de quo n. 37–41), quia caelum est homini ex sapientia, et secundum illam; et per illam etiam felicitas: et demum quod pro fine habeat ut homo distinctius appareat sibi sicut suus, et usque evidentius animadvertat quod sit Domini (de quo n. 42–44). Haec omnia sunt Divinae Providentiae Domini, quia haec omnia sunt caelum, quod pro fine est.

Quod Divina Providentia Domini in omni quod facit, spectet Infinitum et Aeternum.

46. In Christiano orbe notum est, quod Deus sit Infinitus et Aeternus ; nam in Doctrina Trinitatis, quae ab Athanasio nomen habet, dicitur quod Deus Pater sit Infinitus, Aeternus, et Omnipotens, similiter Deus Filius, et Deus Spiritus Sanctus, et quod tamen non tres Infiniti, Aeterni et Omnipotentes sint, sed Unus. Ex his sequitur, quod quia Deus est Infinitus et Aeternus, non aliud de Deo praedicari possit quam Infinitum et Aeternum. At quid Infinitum et Aeternum, non potest a finito comprehendi, et quoque potest : non potest comprehendi, quia finitum non est capax infiniti ; et potest comprehendi, quia dantur ideae abstractae, per quas videri possunt res quod sint, tametsi non quales sunt. Tales ideae de Infinito dantur, ut quod Deus quia est Infinitus, seu Divinum quia est Infinitum, sit ipsum Esse, quod sit ipsa Essentia et Substantia, quod sit ipse Amor et ipsa Sapientia, seu quod sit ipsum Bonum et ipsum Verum, ita quod sit Ipsum, immo quod sit ipse Homo ; tum etiam si dicitur quod Infinitum sit Omne, ut quod Infinita Sapientia sit Omniscientia, ac Infinita Potentia sit Omnipotentia. [**2.**] Sed usque haec cadunt in obscurum cogitationis, et ab incomprehensibili forte in negativum, nisi ab idea abstrahantur illa quae cogitatio trahit ex natura, imprimis quae ex binis naturae propriis, quae sunt spatium et tempus, haec enim non possunt non finire ideas, ac facere ut ideae abstractae sint tanquam non aliquid. At si illa possunt abstrahi apud hominem, sicut fit apud angelum, tunc potest Infinitum per illa quae nunc supra nominata sunt, comprehendi ; et inde quoque, quod homo sit aliquid, quia creatus est a Deo Infinito qui est Omne ; tum quod homo sit substantia finita, quia creatus est a Deo Infinito qui est ipsa Substantia ; ut et, quod homo sit sapientia, quia creatus est a Deo Infinito qui est ipsa Sapientia, et sic porro. Nam nisi Deus Infinitus esset Omne, ipsa Substantia, et ipsa Sapientia, homo non foret aliquid, ita vel nihil, vel solum idea quod sit, secundum visionarios, qui vocantur idealistae. [**3.**] Ex illis quae in transactione *De*

Divino Amore et Divina Sapientia ostensa sunt, patet, quod Divina Essentia sit Amor et Sapientia (n. 28–39): quod Divinus Amor et Divina Sapientia sint ipsa Substantia et ipsa Forma; et quod sit Ipsum et Unicum (n. 40–46): et quod Deus creaverit universum et omnia ejus a Se Ipso, et non a nihilo (n. 282–284). Inde sequitur, quod omne creatum, ac imprimis homo, et in illo amor et sapientia, sint aliquid, et non solum idea quod sint. Nam nisi Deus esset Infinitus, non foret finitum; tum nisi Infinitum esset Omne, non foret aliquid; et nisi Deus ex Se Ipso creaverit omnia, foret nullum seu nihil. Verbo, *Sumus quia Deus Est.*

47. Nunc quia agitur de Divina Providentia, et hic quod illa in omni quod facit, spectet infinitum et aeternum, et hoc non potest distincte tradi, nisi in quodam ordine; quare hic ordo erit:

(i.) *Quod Infinitum in se ac Aeternum in se sit idem cum Divino.*

(ii.) *Quod Infinitum ac Aeternum in se non possit aliter quam spectare infinitum* [*ac aeternum*] *a se in finitis.*

[1](iii.) *Quod Divina Providentia in omni quod facit, spectet infinitum et aeternum a se, imprimis in salvando genere humano.*

(iv.) *Quod imago Infiniti ac Aeterni exstet in caelo angelico ex salvato genere humano.*

(v.) *Quod spectare infinitum et aeternum in formando caelum angelicum, ut sit coram Domino ut unus Homo, qui imago Ipsius, sit intimum Divinae Providentiae.*

48. (i.) *Quod Infinitum in se ac Aeternum in se, sit idem cum Divino*, constare potest ex illis quae in pluribus locis in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, ostensa sunt. Quod Infinitum in se ac Aeternum in se sit Divinum, est ex idea angelica; angeli non aliud per Infinitum intelligunt quam Divinum Esse, ac per Aeternum Divinum Existere. At quod Infinitum in se, ac Aeternum in se, sit Divinum, ab hominibus et videri potest et non videri; videri potest ab illis qui de Infinito non ex spatio, ac de Aeterno non ex tempore, cogitant; sed non videri potest ab illis qui de infinito ac aeterno ex spatio et tempore cogitant. Ita videri potest ab illis, qui elevatius, hoc est, interius in rationali cogitant; ac non

videri ab illis qui humilius, hoc est, exterius. [2.] Illi, a quibus videri potest, cogitant quod infinitum spatii non possit dari, proinde nec infinitum temporis quod est aeternum a quo ; quia infinitum est absque fine primo et ultimo, seu absque terminis. Cogitant etiam, quod nec dari queat Infinitum a se ; quia a se ponit terminum et principium, aut prius a quo ; consequenter quod vanum sit dicere Infinitum ac Aeternum a se, quia id foret sicut diceretur Esse a se, quod est contradictorium, nam Infinitum a se foret Infinitum ab Infinito, et Esse a se foret Esse ab Esse ; ac illud Infinitum ac Esse foret vel idem cum Infinito, vel foret finitum. Ex his et similibus, quae interius in rationali possunt videri, patet, quod sit Infinitum in se, ac Aeternum in se, et quod hoc et illud sit Divinum, ex quo omnia.

49. Scio quod plures secum dicturi sint, Quomodo potest aliquis comprehendere interius in suo rationali aliquid absque spatio et absque tempore ; et quod hoc non solum sit, sed etiam quod sit omne, et quod sit ipsum, ex quo omnia ? Sed cogita interius, num amor aut ulla ejus affectio, aut sapientia aut ulla ejus perceptio, immo num cogitatio sit in spatio et in tempore, ac deprehendes quod non sint. Et cum Divinum est ipse Amor et ipsa Sapientia, sequitur quod Divinum non possit concipi in spatio et in tempore ; ita nec Infinitum. Ut hoc clarius percipiatur, expende num cogitatio sit in tempore et spatio, pone progressionem ejus decem aut duodecim horarum ; annon hoc spatium temporis possit apparere ut unius horae aut duarum ? ac etiam possit apparere ut unius diei aut duorum ? Apparet secundum statum affectionis ex qua cogitatio : si affectio laetitiae est, in qua non cogitatur de tempore, est cogitatio decem aut duodecim horarum, vix unius aut duarum ; vicissim autem si affectio doloris, in qua attenditur ad tempus. Ex quo patet, quod tempus sit modo apparentia secundum statum affectionis ex qua cogitatio. Simile est cum spatii distantia in cogitatione, sive ambulas sive peregrinaris.

50. Quoniam angeli et spiritus sunt affectiones quae amoris, ac cogitationes inde, ideo nec illi sunt in spatio et tempore, sed solum in apparentia illorum. Apparentia spatii et temporis est illis secundum status affectionum et

inde cogitationum : quare dum aliquis ex affectione cogitat de altero, cum intentione quod velit videre illum, aut loqui cum illo, sistitur actutum praesens. [**2.**] Inde est, quod apud unumquemvis hominem praesentes sint spiritus qui in simili affectione cum illo sunt ; mali spiritus cum illo qui in similis mali affectione est, ac boni spiritus cum illo qui in similis boni affectione : et illi tam praesentes sunt, sicut quis est inclusus societati. Spatium et tempus nihil faciunt ad praesentiam, ex causa quia affectio et inde cogitatio non sunt in spatio et tempore, ac spiritus et angeli sunt affectiones et inde cogitationes. [**3.**] Quod ita sit, ex viva plurium annorum experientia scire datum est ; et quoque ex hac, quod locutus sim cum pluribus post mortem, tam cum illis qui in Europa et in variis ejus regnis, quam cum illis qui in Asia et Africa et in variis earum regnis, et erant omnes prope me : quare si forent illis spatium et tempus, intercederet peregrinatio et peregrinationis tempus. [**4.**] Immo, unusquisque homo hoc scit ex insito in se aut in sua mente, quod testatum mihi factum est per hoc, quod nemo cogitaverit de aliqua distantia spatii, cum narravi quod locutus sim cum aliquo in Asia, Africa aut Europa defuncto, sicut pro exemplo, cum Calvino, Luthero, Melanchthone, aut cum aliquo rege, praefecto, sacerdote in regione longinqua ; et ne quidem inciderat in cogitationem illorum Quomodo potuit loqui cum illis qui ibi vixerunt, et quomodo potuerunt ad illum venire et adesse, cum tamen terrae et maria intercedunt ? Ex hoc quoque patuit mihi, quod unusquisque non cogitet ex spatio et tempore, cum de illis qui in mundo spirituali sunt. Quod tamen illis apparentia spatii et temporis sit, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. [1]162–169 ; n. 191–199).

51. Ex his nunc constare potest, quod cogitandum sit de Infinito ac Aeterno, ita de Domino, absque spatio et tempore, et quod possit cogitari ; tum quod etiam cogitetur ab illis qui interius in rationali cogitant ; et quod tunc Infinitum ac Aeternum sit idem cum Divino. Ita cogitant angeli et spiritus. Ex cogitatione abstracta a tempore et spatio comprehenditur Divina Omnipraesentia et Divina Omnipotentia, tum Divinum ab aeterno, et prorsus non ex cogitatione, cui idea ex spatio et tempore

inhaeret. Ex his patet, quod cogitari possit de Deo ab aeterno, at nusquam de natura ab aeterno ; consequenter quod cogitari possit de creatione universi a Deo, et prorsus non aliquid de creatione ex natura, naturae enim propria sunt spatium et tempus, Divinum autem est absque illis. Quod Divinum sit absque spatio et tempore, videatur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 7–10, n. 69–72, n. 73–76, et alibi).

52. (ii.) *Quod Infinitum ac Aeternum in se non possit aliter quam spectare infinitum et aeternum a se in finitis.* Per Infinitum ac Aeternum in se intelligitur ipsum Divinum, ut in mox praecedente articulo ostensum est ; per finita intelliguntur omnia creata ab Ipso, ac imprimis homines, spiritus et angeli ; et per spectare infinitum et aeternum a se, est spectare Divinum, hoc est, Se in illis, ut spectat homo imaginem sui in speculo: quod ita sit, pluribus ostensum est in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, praecipue ubi demonstratum est, quod in universo creato sit imago hominis, et quod sit imago infiniti ac aeterni (n. 317, 318), ita imago Dei Creatoris, hoc est, Domini ab aeterno. At sciendum est, quod Divinum in se sit in Domino, sed Divinum a se sit Divinum a Domino in creatis.

53. Sed ut hoc plenius intelligatur, illustrandum est. Divinum non potest aliud spectare quam Divinum ; et non potest alibi id spectare quam in creatis a se. Quod ita sit evidens est ex eo, quod nemo possit spectare alium quam ex suo in se ; ille qui amat alterum, spectat illum ex amore suo in se, qui sapiens est spectat alterum ex sapientia sua in se. Videre quidem potest quod alter vel amet illum, vel non amet illum, tum quod vel sapiat, vel non sapiat ; sed hoc videt ex amore et ex sapientia in se ; quare tantum conjungit se ei, quantum alter amat se sicut ipse amat illum, seu quantum alter sapit sicut ipse, ita enim unum faciunt. [**2.**] Simile est cum Divino in se ; Divinum enim in se non potest ex alio, ut ex homine, spiritu ac angelo, spectare Se ; nam nihil Divini in se illis est, a quo ; et spectare Divinum ex alio in quo nihil Divini, est, foret spectare Divinum ex nullo Divino, quod non datur. Inde est, quod Dominus ita conjunctus sit homini, spiritui et angelo, ut omne quod se refert ad Divinum, non sit ab

illis sed a Domino. Nam notum est, quod omne bonum et omne verum quod alicui est, non sit ab illo sed a Domino; immo quod ne quidem aliquis nominare possit Dominum, aut nomina Ipsius Jesum et Christum, nisi ex Ipso. [**3.**] Inde nunc sequitur, quod Infinitum ac Aeternum, quod idem est cum Divino, spectet omnia infinite in finitis, et quod se conjungat illis secundum gradum receptionis sapientiae et amoris apud illos. Verbo, Dominus non potest mansionem habere et habitare apud hominem et angelum quam in Suo; et non in proprio illorum, hoc enim est malum; et si foret bonum, usque est finitum, quod in se et ex se non est capax Infiniti. Ex his patet, quod nusquam dari possit, quod finitus spectet Infinitum, sed quod detur quod Infinitus spectet Infinitum a se in finitis.

54. Apparet sicut Infinitum non possit conjungi finito, quia non datur ratio infiniti et finiti, et quia finitum non est capax infiniti; sed usque conjunctio datur, tam quia Infinitus ex Se Ipso creavit omnia, (secundum illa quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, n. 282–284, demonstrata sunt,) quam quia Infinitus in finitis non aliud potest spectare quam infinitum a se, et quod hoc possit apparere apud finitos sicut in illis; sic datur ratio finiti et infiniti, non a finito, sed ab infinito in finito; et quoque sic finitus est capax infiniti, non finitus in se, sed sicut in se, ab infinito a se in illo. Sed de his plura in nunc sequentibus.

55. (iii.) *Quod Divina Providentia in omni quod facit, spectet infinitum ac aeternum a se, imprimis in salvando genere humano.* Infinitum ac Aeternum in se est ipsum Divinum seu Dominus in Se; at Infinitum ac Aeternum a se, est Divinum procedens seu Dominus in aliis ex Se creatis, ita in hominibus et in angelis; et hoc Divinum est idem cum Divina Providentia; nam Dominus per Divinum a Se providet, ut omnia in ordine, in quo et in quem creata sunt, contineantur: et quia Divinum procedens hoc operatur, sequitur quod omne id sit Divina Providentia.

56. Quod Divina Providentia spectet in omni quod facit infinitum ac aeternum a se, constare potest ex eo, quod omne creatum a Primo, qui est Infinitus ac Aeternus,

procedat ad ultima, et ab ultimis ad Primum a quo (ut in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte ubi actum est de Creatione Universi, ostensum est) ; et quia in omni progressione est Primum a quo intime, sequitur quod Divinum procedens seu Divina Providentia spectet in omni quod facit aliquam imaginem infiniti ac aeterni : hoc spectat in omnibus, sed in quibusdam ad evidentiam perceptionis, et in quibusdam non ad illam. Ad evidentiam perceptionis sistit illam imaginem in omnium varietate, et in omnium fructificatione et multiplicatione. [**2.**] *Imago infiniti ac aeterni in omnium varietate* apparet in eo, quod non detur aliquod idem cum altero, et quod nec dari possit in aeternum. Hoc ad oculum patet in faciebus hominum a prima creatione ; proinde etiam ab animis eorum, quorum typi sunt facies ; et quoque ab affectionibus, perceptionibus et cogitationibus, nam ex his sunt animi. Inde est, quod nec dentur in universo caelo duo angeli aut duo spiritus iidem, immo quod nec dari queant in aeternum. Simile est in omni objecto visus in utroque Mundo tam naturali quam spirituali. Ex his constare potest, quod varietas sit infinita ac aeterna. [**3.**] *Imago infiniti ac aeterni in omnium fructificatione et multiplicatione*, constat ex factultate insita seminibus in regno vegetabili, et prolificationi in regno animali, imprimis prosapiae piscium ; quod si fructificarentur et multiplicarentur secundum facultatem, intra saeculum implerent spatia totius orbis, immo universi : ex quo patet, quod in facultate illa lateat nisus propagationis sui in infinitum. Et quia fructificationes et multiplicationes non defuerunt a principio creationis, nec deerunt in aeternum, sequitur quod in facultate illa, etiam [1]sit nisus propagationis sui in aeternum.

57. Simile est in hominibus quoad illorum affectiones quae amoris, et perceptiones quae sapientiae sunt ; harum et illarum varietas est infinita ac aeterna ; similiter illarum fructificationes et multiplicationes, quae spirituales sunt. Non gaudet ullus homo affectione et perceptione tam simili cum alterius, ut sint eaedem, nec dari possunt in aeternum : et quoque fructificari possunt affectiones et multiplicari perceptiones absque fine ; quod scientiae nusquam exhauriri possunt, notum est. Haec facultas fructi-

ficationis et multiplicationis absque fine, seu in infinitum ac aeternum, est in naturalibus apud homines, in spiritualibus apud angelos spirituales, et in caelestibus apud angelos caelestes. Tales non solum sunt affectiones, perceptiones et scientiae in communi, sed quoque unaquaelibet res illarum, etiam minima, in particulari. Tales sunt, quia ab Infinito ac Aeterno in se per infinitum ac aeternum a se existunt. Sed quia finitum non aliquid Divini in se habet, ideo non est aliquid tale, ne quidem minimum, in homine seu angelo ut ejus ; est enim homo et angelus finitus, et modo receptaculum, in se mortuum ; vivum ejus est a Divino procedente conjuncto ei per contiguum, quod ei apparet sicut suum. Quod ita sit, in sequentibus videbitur.

58. Quod Divina Providentia spectet infinitum ac aeternum a se imprimis in salvando genere humano, est quia finis Divinae Providentiae est caelum ex genere humano, ut supra n. [1]27–45, ostensum est ; et quia illud est finis, sequitur, quod reformatio et regeneratio hominis, ita salvatio ejus sit, quam Divina Providentia imprimis spectat, nam ex salvatis seu regeneratis existit caelum. Quoniam regenerare hominem est unire bonum et verum apud illum, seu amorem et sapientiam, sicut unita sunt in Divino quod procedit a Domino, ideo Divina Providentia hoc in salvando genere humano imprimis spectat ; imago Infiniti ac Aeterni non alibi apud hominem est, quam in conjugio boni et veri. Quod Divinum procedens hoc faciat in humano genere, notum est ex illis, qui impleti Divino procedente, quod Spiritus Sanctus vocatur, prophetarunt, de quibus in Verbo ; et ex illis qui illustrati Divina vera in luce caeli vident ; imprimis in angelis, qui sensu percipiunt praesentiam, influxum et conjunctionem ; sed hi adimadvertunt etiam, quod conjunctio non alia sit, quam quae vocari potest adjunctio.

59. Nondum notum est, quod Divina Providentia in omni progressione apud hominem spectet statum ejus aeternum ; non enim aliud spectare potest, quia Divinum est Infinitum ac Aeternum, ac Infinitum et Aeternum seu Divinum non est in tempore, et inde sunt omnia futura ipsi praesentia ; et quia Divinum tale est, sequitur quod in omnibus et singulis quae facit, sit aeternum. At illi

qui cogitant ex tempore et spatio, hoc aegre percipiunt, non solum quia temporea amant, sed etiam quia ex praesenti in mundo cogitant, et non ex praesenti in caelo; hoc illis, tam absens est, sicut finis terrae: at qui in Divino sunt, illi quia ex Domino, etiam ex aeterno dum ex praesenti cogitant, dicentes secum, Quid hoc quod non est aeternum? Annon temporeum respective est sicut nihil, et quoque fit nihil cum finitur? Aliter aeternum, hoc solum Est, quia Esse ejus non finitur. Ita cogitare est cogitare dum ex praesenti simul ex aeterno; et cum homo ita cogitat et simul ita vivit, tunc Divinum procedens apud illum seu Divina Providentia in omni progressione statum vitae aeternae ejus in caelo spectat, et ad illum ducit. Quod Divinum in omni homine tam malo quam bono, spectet aeternum, videbitur in sequentibus.

60. (iv.) *Quod imago Infiniti ac Aeterni exstet in caelo angelico.* Inter scitu necessaria est quoque caelum angelicum; unusquisque enim, cui est religio, id cogitat, et illuc venire vult. Sed caelum non datur aliis, quam qui sciunt viam ad illud, et ambulant illam; haec via etiam aliquantum sciri potest ex cognitione, quales sunt qui constituunt caelum, et quod nemo angelus fiat, seu in caelum veniat, nisi qui angelicum secum e mundo fert; et angelico inest cognitio viae ex ambulatione ejus, et ambulatio viae per cognitionem ejus. In mundo spirituali etiam actualiter sunt viae, quae tendunt ad unamquamvis societatem caeli, et ad unamquamvis inferni; et quisque videt suam viam sicut ex se. Quod videat, est quia viae ibi sunt pro unoquovis amore, et amor aperit illam, et ducit ad consocios. Alias vias quam sui amoris nemo videt. Ex quo patet, quod angeli non sint nisi quam amores caelestes, nam alioqui non vidissent vias ad caelum tendentes. Sed hoc melius constare potest ex descriptione caeli.

61. Omnis spiritus hominis est affectio et inde cogitatio, et quia omnis affectio est amoris et cogitatio est intellectus, est omnis spiritus suus amor et inde suus intellectus: quae causa est, quod cum homo solum ex suo spiritu cogitat, quod fit cum domi secum meditatur, ex affectione quae est amoris ejus, cogitet. Inde constare potest, quod homo cum fit spiritus, quod fit post mortem, sit sui amoris affectio, et non cogitatio alia quam quae affectionis ejus.

Est affectio mala, quae est cupiditas, si ei amor mali fuerat, et affectio bona si ei amor boni fuerat: et cuivis est affectio bona, sicut fugerat mala sicut peccata; et cuivis est affectio mala, sicut mala non ita fugerat. Nunc quia omnes spiritus et angeli sunt affectiones, patet quod universum caelum angelicum, non sit nisi quam amor omnium affectionum boni, et inde sapientia omnium perceptionum veri. Et quia omne bonum et verum est a Domino, et Dominus est ipse Amor et ipsa Sapientia, sequitur quod caelum angelicum sit imago Ipsius. Et quia Divinus Amor et Divina Sapientia in sua forma est Homo, etiam sequitur, quod caelum angelicum non aliter possit quam in tali forma esse. Sed de hoc plura in sequente articulo dicentur.

62. Quod caelum angelicum sit imago Infiniti ac Aeterni, est quia est imago Domini, ac Dominus est Infinitus et Aeternus. Imago Infiniti ac Aeterni Ipsius apparet in eo, quod myriades myriadum angelorum sint, ex quibus caelum, et quod totidem societates constituant, quot sunt affectiones communes amoris caelestis, et quod unusquisque angelus in quavis societate sit distincte sua affectio: et quod ex tot affectionibus in communi et in particulari sit Forma Caeli, quae est sicut unum coram Domino, non aliter quam sicut homo est unum; et quod haec Forma in aeternum perficiatur secundum pluralitatem, nam quo plures formam Amoris Divini, quae est Forma formarum, intrant, eo fit unio perfectior. Ex his manifeste patet, quod imago Infiniti ac Aeterni exstet in caelo angelico.

63. Ex cognitione caeli per brevem hanc descriptionem data, patet, quod affectio quae est amoris boni, faciat caelum apud hominem. Sed quis hoc novit hodie? immo quis novit quid affectio amoris boni? tum quod affectiones amoris boni innumerabiles sint, immo infinitae? nam, ut dictum est, unusquisque angelus est distincte sua affectio, et Forma caeli est forma omnium affectionum Divini Amoris ibi. Omnes affectiones in hanc formam unire, non potest alius quam qui est ipse Amor et simul ipsa Sapientia, ac una Infinitus et Aeternus; nam infinitum et aeternum est in omni formae, infinitum in conjunctione, ac aeternum in perpetuitate; si [1]auferretur ei infinitum ac aeternum, momento dilaberetur. Quis alius potest unire affectiones in

formam? immo quis alius potest unire unum ejus? Unum enim ejus non potest uniri nisi ex idea universali omnium, et universale omnium nisi ex idea singulari cujusvis. Sunt myriades myriadum qui componunt illam formam, et sunt myriades qui intrant illam quotannis, et qui intrabunt in aeternum. Omnes infantes intrant, ac tot adulti quot sunt affectiones amoris boni. Ex his iterum videri potest imago Infiniti ac Aeterni in caelo angelico.

64. (v.) *Quod spectare Infinitum et Aeternum in formando caelum angelicum, ut sit coram Domino ut unus Homo, qui Imago Ipsius, sit intimum Divinae Providentiae.*—Quod universum caelum sit sicut unus Homo coram Domino, et quod omnis societas caeli similiter, et quod inde sit quod unusquisque angelus sit in perfecta forma homo, et quod hoc sit quia Deus Creator, qui est Dominus ab aeterno, est Homo, videatur in opere *De Caelo et Inferno* (n. 59–86). Tum quod inde sit correspondentia omnium caeli cum omnibus hominis (n. 87–102). Quod universum caelum sit sicut unus Homo, non mihi visum est, quia universum caelum non potest videri ab ullo, sed a solo Domino; at quod integra societas caeli, major et minor, apparuerit sicut unus homo, id aliquoties visum est; et tunc dictum, quod societas maxima, quae est caelum in toto complexu, similiter appareat, sed coram Domino; et quod hoc sit causa quod unusquisque angelus sit in omni forma homo.

65. Quoniam universum caelum in conspectu Domini est sicut unus Homo, ideo caelum in tot societates communes distinctum est, quot sunt organa, viscera et membra apud hominem: et unaquaevis societas communis in tot societates minus communes seu particulares, quot sunt partes majores cujusvis visceris et organi: ex quo patet quale caelum est. Nunc quia Dominus est Ipse Homo, et Caelum est imago Ipsius, ideo in caelo esse, dicitur in Domino esse; quod Dominus sit Ipse Homo, videatur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 11–13, n. 285–289).

66. Ex his hoc arcanum, quod vocari potest angelicum, aliquatenus videri potest quod unaquaevis affectio boni et simul veri sit in sua forma homo; nam quicquid procedit a Domino, trahit ex Divino Amore Ipsius quod

sit affectio boni, et ex Divina Sapientia Ipsius quod sit affectio veri. Affectio veri, quae procedit a Domino, apparet ut perceptio et inde cogitatio veri in angelo et in homine, ex causa quia ad perceptionem et cogitationem attenditur, et parum ad affectionem ex qua, quae tamen cum affectione veri ut unum a Domino procedunt.

67. Nunc quia homo a creatione est in minima forma caelum, et inde imago Domini, et quia caelum ex tot affectionibus quot sunt angeli consistit, et unaquaevis affectio in sua forma est homo, sequitur quod continuum Divinae Providentiae sit, ut homo fiat caelum in forma, et inde imago Domini; et quia hoc fit per affectionem boni et veri, ut fiat affectio illa: hoc itaque est continuum Divinae Providentiae. Intimum autem ejus est, ut sit hic aut ibi in caelo, seu hic aut ibi in Divino caelesti Homine, sic enim in Domino est. Sed hoc fit cum illis, quos Dominus ad caelum ducere potest. Et quia Dominus id praevidet, etiam continue providet ut talis fiat; sic enim omnis, qui ad caelum se duci patitur, ad suum locum in caelo praeparatur.

68. Est caelum, ut supra dictum est, in societates distinctum, quot sunt organa, viscera, et membra in homine; et in his non potest una pars in alio loco esse quam in suo. Cum itaque angeli sunt tales partes in Divino caelesti Homine, et non alii fiunt angeli quam qui fuerunt homines in mundo, sequitur quod homo, qui se duci patitur ad caelum, a Domino continue praeparetur ad suum locum, quod fit per talem aflectionem boni et veri quae correspondet. In hunc locum etiam quisque homo angelus post excessum e mundo inscribitur. Hoc est intimum Divinae Providentiae de caelo.

69. Homo autem qui se ad caelum non duci et inscribi patitur, praeparatur ad locum suum in inferno. Homo enim a se continue tendit ad infimum inferni, sed a Domino continue abducitur: et qui non abduci potest, praeparatur ad quendam locum ibi, cui etiam inscribitur statim post excessum suum e mundo; et hic locus ibi est oppositus cuidam loco in caelo, nam infernum in opposito est contra caelum. Quare sicut homo angelus secundum affectionem boni et veri suum sortitur locum in caelo, ita homo diabolus secundum affectionem mali et falsi suum

sortitur locum in inferno: duo enim opposita ordinata in simili situ contra invicem continentur in nexu. **Hoc est intimum Divinae Providentiae de inferno.**

Quod Leges Divinae Providentiae sint, quae ignotae hominibus sunt.

70. Quod Divina Providentia sit, notum est; sed qualis illa est, non notum est. Quod non notum sit qualis Divina Providentia est, est quia leges sunt arcanae, huc usque reconditae in sapientia apud angelos, at nunc revelandae, ut addicatur Domino quod Ipsius est, et non alicui homini quod illius non est: plerique enim in mundo attribuunt sibi suaeque prudentiae omnia, et quae attribuere non possunt, illa vocant fortuita et contingentia, non scientes quod prudentia humana nihil sit, et quod fortuita et contingentia sint vanae voces. [**2.**] Dicitur quod leges Divinae Providentiae arcanae sint, huc usque reconditae in sapientia apud angelos: causa est, quia in Christiano orbe ex religione occlusus est intellectus in Divinis, et inde ille in his tam obtusus et renitens factus est, ut homo non potuerit quia non voluit, aut non voluerit quia non potuit, intelligere aliud de Divina Providentia quam solum quod sit; et ratiocinari num sit vel non sit, ut et num solum sit universalis, vel etiam paricularis: intellectus ex religione occlusus in Divinis non ultra potuit progredi. [**3.**] Sed quia agnitum est in ecclesia, quod homo non possit a se facere bonum quod in se bonum est, neque a se cogitare verum quod in se verum est, et haec unum sunt cum Divina Providentia, quare fides unius pendet a fide alterius, ne itaque affirmetur unum et negetur alterum, et sic utrumque cadat, omnino revelandum est, quid Divina Providentia est. At hoc non revelari potest, nisi detegantur leges, per quas Dominus providet et regit voluntaria et intellectualia hominis; leges enim dant scire quale ejus, et qui scit quale, ille et non alius potest agnoscere illam, videt enim tunc illam. Haec causa est, quod Leges Di-

vinae Providentiae huc usque in sapientia apud angelos reconditae nunc revelentur.

Quod Lex Divinae Providentiae sit, ut homo ex libero secundum rationem agat.

71. Quod homini sit liberum cogitandi et volendi sicut lubet, sed non liberum loquendi quicquid cogitat, nec liberum faciendi quicquid vult, notum est: quare liberum, quod hic intelligitur, est liberum spirituale, et non naturale, nisi quando unum faciunt; cogitare enim et velle est spirituale, at loqui et facere est naturale. Distinguuntur etiam manifeste apud hominem; nam homo cogitare potest quod non eloquitur, et velle quod non facit; ex quo patet, quod spitituale et naturale apud hominem discriminata sint; quare non potest homo ab uno in alterum transire, nisi quam per determinationem; quae determinatio comparari potest januae, quae prius recludenda et aperienda est. Sed haec janua stat sicut aperta apud illos qui ex ratione secundum leges civiles regni et morales societatis cogitant el volunt; hi enim loquuntur quae cogitant, et faciunt sicut volunt: at janua illa stat sicut occlusa apud illos, qui contra illas leges cogitant et volunt. Qui attendit ad suas voluntates et inde facta, animadvertet quod talis determinatio intercedat, et quandoque pluries in una sermocinatione, et in una actione. Haec praemissa sunt, ut sciatur quod per agere ex libero secundum rationem, intelligatur libere cogitare et velle, et inde libere loqui et facere quod secundum rationem est.

72. Sed quia pauci sciunt, quod haec lex possit esse lex Divinae Providentiae, ex eo imprimis, quia sic etiam liberum est homini cogitare malum et falsum, et tamen Divina Providentia continue ducit hominem ad cogitandum et volendum bonum et verum, ideo ut hoc percipiatur, distincte progrediendum est; quod erit in hoc ordine:

(i.) *Quod homini Ratio et Liberum sit, seu Rationalitas et Libertas; et quod binae illae facultates sint a Domino apud hominem.*

(ii.) *Quod quicquid homo ex Libero facit, sive sit rationis vel non rationis, modo sit secundum ejus rationem, appareat illi ut ejus.*

(iii.) *Quod quicquid homo ex Libero secundum suam cogitationem facit, approprietur ei sicut ejus, et remaneat.*

(iv.) *Quod homo per binas illas facultates a Domino reformetur et regeneretur; et quod absque illis non possit reformari et regenerari.*

(v.) *Quod homo mediis illis binis facultatibus tantum reformari et regenerari possit, quantum potest per illas adduci ad agnoscendum, quod omne bonum et verum quod cogitat et facit, sit a Domino, et non a semet.*

(vi.) *Quod conjunctio Domini cum homine, et reciproca hominis cum Domino, per binas illas facultates fiat.*

(vii.) *Quod Dominus binas illas facultates apud hominem illibatas ac ut sanctas in omni Divinae suae Providentiae progressione custodiat.*

(viii.) *Quod ideo Divinae Providentiae sit, ut homo ex libero secundum rationem agat.*

73. (i.) *Quod homini Ratio et Liberum sit, seu Rationalitas et Libertas; et quod binae illae facultates sint a Domino apud hominem.*—Quod homini sit facultas intelligendi, quae est rationalitas, ac facultas cogitandi, volendi, lo-

quendi et faciendi id quod intelligit, quae est libertas; et quod binae illae facultates sint a Domino apud hominem, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 264–270, 425; et quoque supra, n. 43, 44), actum est. Sed quia plura dubia de utraque illa facultate incidere possunt, cum de illis cogitatur, volo in hoc limine solum aliquid de libero agendi secundum rationem apud hominem tradere. [**2.**] Sed primum sciendum est, quod omne liberum sit amoris, adeo ut amor et liberum unum sint; et quia amor est vita hominis, est quoque liberum vitae ejus; omne enim jucundum, quod est homini, est ex amore ejus, non aliunde datur aliquod jucundum, et ex jucundo amoris agere est ex libero; nam jucundum ducit hominem sicut flumen id quod fertur ex se secundum venam ejus. Nunc quia amores sunt plures, quidam concordantes, et quidam discordantes, sequitur quod libera similiter plura sint: sed in genere dantur tria libera; naturale, rationale, et spirituale. [**3.**] *Liberum naturale* est cuivis homini ex hereditate; ex hoc homo non amat aliud quam se et mundum; ejus prima vita non aliud est. Et quia omnia mala ex binis illis amo-

ribus existunt, et inde mala etiam fiunt amoris, sequitur quod mala cogitare et velle, sit liberum naturale ejus ; et cum illa apud se per ratiocinia confirmavit, quod ex libero secundum rationem suam illa agat : ita facere est ex facultate ejus quae vocatur libertas ; et illa confirmare est ex facultate ejus quae vocatur rationalitas. [**4.**] Ut pro exemplo : ex amore hominis, in quem nascitur, est quod velit adulterari, defraudare, blasphemare, vindicare ; et cum haec mala apud se confirmat, et illa per id facit licita, tunc illa ex jucundo amoris illorum libere quasi secundum rationem cogitat et vult, et quantum leges civiles non retinent, loquitur et facit. Ex Divina Domini Providentia est, ut liceat homini ita agere, quia liberum seu libertas ei est. In hoc libero est homo a natura, quia ex hereditate, et in hoc libero sunt illi qui id apud se ex jucundo amoris sui et mundi per ratiocinationes confirmaverunt. [**5.**] *Liberum rationale* est ex amore famae propter honorem aut propter lucrum. Jucundum illius amoris est apparere in externa forma sicut homo moralis ; et quia amat hanc famam, non defraudat, non adulteratur, non vindicat, non blasphemat ; et quia haec facit rationis suae, etiam ex libero secundum rationem suam agit sincerum, justum, castum, amicum ; immo potest ex ratione bene loqui pro illis. Sed si rationale ejus est solum naturale, et non simul spirituale, est liberum illud modo liberum externum, non autem liberum internum ; nam nihilominus interius non amat illa bona, sed modo exterius propter famam, ut dictum est ; quare bona quae facit, non in se bona sunt. Potest etiam dicere, quod facienda sint propter bonum publicum ; sed hoc non dicit ex amore boni publici, sed ex amore sui honoris aut lucri ; ideo liberum ejus nihil trahit ex amore boni publici, nec ratio, quia haec assentitur amori : quare hoc liberum rationale est interius liberum naturale. Hoc liberum etiam ex Divina Domini Providentia cuivis relinquitur. [**6.**] *Liberum spirituale* est ex amore vitae aeternae. In illum amorem et ejus jucundum non alius venit, quam qui cogitat mala esse peccata, et ideo non vult illa, et simul spectat ad Dominum : ut primum homo hoc facit, in libero illo est ; nam nemo potest non velle mala quia peccata sunt, et ideo non facere illa, nisi sit ex interiori seu superiori libero, quod est ex inte-

riori seu superiori amore ejus. Hoc liberum non apparet in principio ut liberum, sed usque est: at postea apparet, et tunc ex ipso libero secundum ipsam rationem agit, cogitando, volendo, loquendo et faciendo bonum et verum. Hoc liberum crescit, sicut liberum naturale decrescit et fit servum, et conjungit se cum libero rationali, et hoc purificat. [**7.**] Quisque in hoc liberum venire potest, modo velit cogitare quod vita aeterna sit, et quod jucundum et beatum vitae in tempore ad tempus, non sit nisi sicut umbra pertransiens ad jucundum et beatum vitae in aeterno in aeternum; et hoc potest homo cogitare si vult, quia ei rationalitas et libertas est, et quia Dominus, ex quo binae hae facultates sunt, continue dat ut possit.

74. (ii.) *Quod quicquid homo ex libero facit, sive sit rationis sive non rationis, modo sit secundum ejus rationem, illi appareat ut ejus.*—Quid rationalitas et quid libertas, quae homini propriae sunt, non potest clarius sciri, quam per comparationem hominum cum bestiis; his enim non est aliqua rationalitas seu facultas intelligendi, nec aliqua libertas seu facultas libere volendi; et inde illis non est intellectus et voluntas, sed pro intellectu est scientia, et pro voluntate est affectio, utraque naturalis. Et quia binae illae facultates non illis sunt, ideo illis nec est cogitatio, sed pro cogitatione est visus internus, qui unum facit cum visu illarum externo per correspondentiam. [**2.**] Unaquaevis affectio suam comparem sicut conjugem habet, affectio amoris naturalis habet scientiam, affectio amoris spiritualis intelligentiam, et affectio amoris caelestis sapientiam: nam affectio absque sua compare sicut conjuge non est aliquid, est enim sicut esse absque existere, ac sicut substantia absque forma, de quibus non aliquid praedicari potest. Inde est, quod omni creato insit aliquid, quod ad conjugium boni et veri referri potest, ut supra multis ostensum est. In bestiis est conjugium affectionis et scientiae; affectio ibi est boni naturalis, et scientia est veri naturalis. [**3.**] Nunc quia affectio et scientia apud illas prorsus unum agunt, et non potest affectio illarum elevari supra scientiam illarum, nec potest scientia supra affectionem, et si elevantur, elevatur utraque simul; et quia illis non est aliqua mens spiritualis, in quam seu in cujus lucem et calorem elevari possunt; ideo non illis est facultas

intelligendi seu rationalitas, nec facultas libere volendi seu libertas, sed est mera affectio naturalis cum sua scientia. Affectio naturalis quae est illis, est affectio se nutriendi, habitandi, prolificandi, fugiendi et aversandi damna, cum omni scientia requisita illarum. Quia talis status vitae illarum est, non possunt cogitare, Hoc volo et non volo, nec Hoc scio, et non scio, minus Hoc intelligo et hoc amo, sed feruntur ex affectione sua per scientiam absque rationalitate et libertate. Quod ita ferantur, non est ex naturali mundo, sed ex spirituali; nam non datur aliquid in mundo naturali inconnexum a mundo spirituali; omnis causa faciens effectum inde est. Aliqua de hac re videantur etiam infra (n. 96).

75. Aliter est cum homine, cui non modo affectio amoris naturalis est, sed etiam affectio amoris spiritualis, et affectio amoris caelestis. Mens enim humana est trium graduum, ut in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte tertia, ostensum est: quare homo potest elevari a scientia naturali in intelligentiam spiritualem, et inde in sapientiam caelestem; atque ex his duabus, intelligentia et sapientia, spectare ad Dominum, et sic conjungi Ipsi, per quod vivit in aeternum: at haec elevatio quoad affectionem non daretur, nisi ei esset facultas elevandi intellectum ex rationalitate, ac volendi id ex libertate. [**2.**] Homo per binas has facultates potest cogitare intra se de illis quae percipit sensibus sui corporis extra se, et quoque potest superius cogitare de illis quae inferius cogitat; quisque enim potest dicere, Hoc cogitavi et hoc cogito, tum Hoc volui et hoc volo, tum etiam Hoc intelligo quod ita sit, Hoc amo quia tale est, et sic porro; inde patet, quod homo supra cogitationem etiam cogitet, et hanc videat sicut infra se: hoc homini est ex rationalitate et ex libertate; ex rationalitate quod possit superius cogitare, ex libertate quod ex affectione velit ita cogitare; nam nisi ei foret libertas ita cogitandi, non foret ei voluntas, et inde nec cogitatio. [**3.**] Quapropter illi, qui non volunt intelligere aliud quam quod mundi et ejus naturae est, et non quid bonum et verum morale et spirituale, non possunt elevari a scientia in intelligentiam, et minus in sapientiam, nam facultates illas obstipaverunt; quare faciunt se non plus homines, quam quod ex rationalitate

et libertate insita possint intelligere si volunt, et quoque quod possint velle. Ex his binis facultatibus est homini quod possit cogitare, et ex cogitatione loqui : in reliquis non sunt homines, sed bestiae, et quidam ex abusu facultatum illarum bestiis pejores.

76. Quisque ex rationalitate non obvelata videre aut comprehendere potest, quod homo absque apparentia quod sit ejus, non possit in aliqua affectione sciendi esse, nec in aliqua affectione intelligendi; nam omne jucundum et volupe, ita omne voluntatis, est ex affectione quae amoris. Quis potest aliquid velle scire, et velle intelligere, nisi ei aliquid volupe affectionis sit? et quis potest habere id volupe affectionis, nisi id quo afficitur appareat sicut ejus? Si nihil ejus, sed omne alterius esset, hoc est, si quis ex suis affectionibus infunderet aliquid in mentem alterius, cui nullae affectiones sciendi et intelligendi sicut ex se forent, num reciperet, immo num posset recipere? Essetne sicut id quod vocatur brutum et stipes? Inde manifeste constare potest, quod tametsi omnia influunt, quae homo percipit et inde cogitat et scit, et secundum perceptionem vult et facit, usque Providentiae Divinae Domini sit, ut id appareat sicut hominis ; nam, ut dictum est, alioqui homo nihil reciperet, ita non aliqua intelligentia et sapientia donari posset. Notum est, quod omne bonum et verum, non sit hominis, sed sit Domini, et tamen quod appareat homini sicut ejus ; et quia omne bonum et verum ita apparet, etiam omnia ecclesiae et caeli, proinde omnia amoris et sapientiae, tum charitatis et fidei, ita apparent, et tamen nihil eorum hominis est. Illa recipere a Domino nemo potest, nisi appareat ei percipere illa sicut a se. Ex his constare potest veritas hujus rei, quod quicquid homo ex libero facit, sive sit rationis vel non rationis, modo sit secundum ejus rationem, illi appareat ut ejus.

77. Quis non potest ex facultate sua, quae vocatur rationalitas, intelligere, quod hoc aut illud bonum sit utile communi, et quod hoc aut illud malum sit noxium communi? ut quod justitia, sinceritas, et castitas conjugii, sint utiles communi, et quod injustitia, insinceritas et scortatio cum aliorum uxoribus, sint noxiae communi ; consequenter quod mala haec in se sint damna, et quod bona illa iu se sint emolumenta. Quis itaque non potest illa rationis

suae facere, modo velit? Rationalitas ei est, et libertas ei est; et tantum ejus rationalitas et libertas nudatur, apparet, moderatur et dat percipere et posse, quantum mala illa apud se propterea fugit; et quantum hoc facit, tantum bona illa, ut amicus amicos, spectat. [**2.**] Ex his dein potest homo ex facultate sua, quae vocatur rationalitas, concludere ad bona quae utilia communi sunt in spirituali mundo, et ad mala quae ibi noxia sunt, si modo pro malis percipiat peccata, et pro bonis opera charitatis. Hoc quoque potest homo rationis suae facere, modo velit, quoniam rationalitas et libertas ei sunt; et tantum ejus rationalitas et libertas nudantur, apparent, moderantur et dant percipere et posse, quantum mala illa ut peccata fugit; et quantum hoc facit, tantum bona charitatis, ut proximus proximum ex amore utrinque, spectat. [**3.**] Nunc quia Dominus propter receptionem et conjunctionem, vult, ut quicquid homo libere facit secundum rationem, appareat illi sicut ejus, et hoc est secundum ipsam rationem, sequitur quod homo possit ex ratione, quia est ejus aeterna felicitas, velle, et ex implorata Divina Domini potentia, id facere.

78. (iii.) *Quod quicquid homo ex libero secundum suam cogitationem facit, approprietur ei sicut ejus, et remaneat;* causa est, quia proprium hominis et liberum ejus unum faciunt; proprium hominis est vitae ejus, et quod homo ex vita facit hoc ex libero facit; tum proprium hominis est quod est amoris ejus, nam amor est vita cujusvis, et quod homo ex amore vitae suae facit, hoc ex libero facit. Quod homo ex libero faciat secundum cogitationem, est causa, quia id quod vitae seu amoris alicujus est, hoc etiam cogitatur, et cogitatione confirmatur, et cum confirmatum est, tunc ex libero secundum cogitationem id facit. [**2.**] Nam quicquid homo facit, ex voluntate per intellectum facit, ac liberum est voluntatis, et cogitatio est intellectus. Potest etiam homo ex libero contra rationem agere, tum ex non libero secundum rationem; sed haec non appropriantur homini; sunt modo oris et corporis ejus, et non spiritus seu cordis ejus; at quae spiritus et cordis ejus sunt, dum etiam fiunt oris et corporis, illa appropriantur homini. Quod ita sit, per multa illustrari potest, sed hoc hujus loci non est. [**3.**] Per appropriari homini intelli-

gitur intrare vitam ejus, et fieri vitae ejus, consequenter fieri proprium ejus. Quod autem non sit aliquod proprium hominis, sed quod appareat ei sicut sit, in sequentibus videbitur. Hic solum, quod omne bonum, quod homo ex libero secundum rationem agit, approprietur ei sicut suum, quia in cogitando, volendo, loquendo et faciendo, apparet ei sicut suum ; attamen bonum non est hominis, sed est Domini apud hominem (videatur supra n. 76). Quomodo autem malum homini appropriatur, in suo articulo videbitur.

79. Dicitur quod id quod homo ex libero secundum cogitationem suam facit, etiam remaneat ; nam nihil quicquam quod homo sibi appropriavit, eradicari potest, factum enim est amoris et simul rationis ejus, seu voluntatis et simul intellectus ejus, et inde vitae ejus. Potest hoc quidem removeri, sed usque non ejici ; et cum removetur, transfertur sicut a centro ad peripherias, et ibi moratur : hoc intelligitur per quod remaneat. [**2.**] Ut pro exemplo : si homo in pueritia et adolescentia appropriaverit sibi quoddam malum faciendo id ex jucundo amoris ejus, ut si defraudaverit, blasphemaverit, vindicaverit, scortatus sit, tunc quia ex libero secundum cogitationem fecerat illa, etiam appropriavit illa sibi ; at si postea paenitentiam agit, fugit illa, et aspicit illa ut peccata quae aversanda sunt, et sic ex libero secundum rationem desistit ab illis, tunc appropriantur illi bona, quibus mala illa opposita sunt. Haec bona tunc centrum faciunt, et removent mala versus peripherias, ulterius et ulterius secundum aversionem et aversationem illorum. At usque illa non possunt ita ejici, ut dici queant exstirpata ; sed usque per remotionem illam apparere possunt sicut exstirpata ; quod fit per quod homo a Domino detineatur a malis, et teneatur in bonis. Ita fit cum omni malo hereditario, et similiter cum omni malo actuali hominis. [**3.**] Hoc quoque testatum vidi per experientiam apud aliquos in caelo, qui quia a Domino tenebantur in bono, putabant se absque malis esse ; sed ne crederent bonum, in quo erant, illorum proprium [1]esse, demissi sunt e caelo, et remissi in sua mala, usque dum agnoscerent quod in malis essent a se, sed in bonis a Domino ; post quam agnitionem in caelum reducti sunt. [**4.**] Sciatur itaque, quod bona illa non aliter approprientur

homini, quam quod constanter sint Domini apud hominem; et quod quantum homo hoc agnoscit, tantum det Dominus, ut bonum appareat homini sicut ejus, hoc est, ut appareat homini amare proximum seu habere charitatem sicut a se, credere seu fidem habere sicut a se, facere bonum ac intelligere verum, ita sapere sicut a se: ex quibus illustratus videre potest, qualis est et quam fortis est apparentia, in qua Dominus vult ut homo sit; et hoc vult Dominus propter salvationem ejus, nam nemo absque illa apparentia salvari potest. De his etiam videantur quae supra (n. 42–45), ostensa sunt.

80. Non appropriatur homini aliquid quod solum cogitat, immo nec quod cogitat velle, nisi simul velit id in tantum, ut etiam, dum copia datur, faciat illud. Causa est, quia dum homo facit illud inde, ex voluntate per intellectum, seu ex voluntatis affectione per intellectus cogitationem, facit illud: quamdiu autem est solius cogitationis, non potest appropriari, quia intellectus non se conjungit cum voluntate, seu non cogitatio intellectus cum affectione voluntatis, sed voluntas et hujus affectio se conjungit cum intellectu et ejus cogitatione, ut multis ostensum est in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Quinta. Hoc intelligitur per haec Domini verba,

> "Non quod intrat in os, immundum reddit hominem, sed quod" ex corde "per os exit, immundum reddit hominem" (*Matth.* xv. 11, 17, 18, 19):

per "os" in sensu spirituali intelligitur cogitatio, quoniam cogitatio loquitur per os; et per "cor" in illo sensu intelligitur affectio quae est amoris: si homo ex hac cogitat et loquitur, tunc immundum se reddit. Per "cor" etiam significatur affectio quae amoris seu voluntatis, et per "os" cogitatio quae est intellectus, apud *Lucam* (vi. 45).

81. Mala quae homo licita credit, tametsi non facit illa, etiam ei appropriantur, nam licitum in cogitatione est ex voluntate, est enim consensus. Quare cum homo credit aliquod malum licitum, solvit vinculum internum pro illo, ac detinetur a faciendo illud solum per vincula externa, quae sunt timores. Et quia spiritus hominis favet isti malo, ideo remotis vinculis externis ex licito facit illud;

ac interea continue facit illud in suo spiritu. Sed de hac re videatur in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 108–113).

82. (iv.) *Quod homo per binas illas facultates a Domino reformetur et regeneretur; et quod absque illis non possit reformari et regenerari.*—Dominus docet,

> Quod nisi quis generatur denuo, non possit videre Regnum Dei (*Joh.* iii. 3, 5, 7).

Sed quid sit generari denuo seu regenerari, paucis notum est: causa est, quia non notum fuit quid amor et charitas, et inde nec quid fides; nam qui non scit quid amor et charitas, non scire potest quid fides, quoniam charitas et fides unum faciunt, sicut bonum et verum, et sicut affectio quae voluntatis et cogitatio quae intellectus: de qua unione in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 427–431): tum in *Doctrina Novae Hierosolymae* (n. 13–24): at supra (n. 3–20) videatur.

83. Causa quod nemo venire possit in regnum Dei, nisi denuo generatus sit, est quia homo ex hereditario a parentibus nascitur in omnis generis mala, cum facultate quod per remotionem malorum istorum possit fieri spiritualis, et nisi fiat spiritualis, non potest venire in caelum; a naturali fieri spiritualis est renasci seu regenerari. Ut autem sciatur, quomodo homo regeneratur, haec tria consideranda sunt: qualis ejus status primus est, qui est status damnationis; qualis ejus status secundus est, qui est status reformationis; et qualis ejus status tertius est, qui est status regenerationis. [**2.**] *Status hominis primus, qui est status damnationis*, est cuivis homini ex hereditario a parentibus, homo enim nascitur inde in amorem sui et in amorem mundi, et ex his ut fontibus in mala omnis generis. Jucunda illorum amorum sunt ex quibus ducitur; et jucunda faciunt, ut nesciat quod in malis sit; omne enim jucundum amoris non sentitur aliter quam sicut bonum; quare etiam homo nisi regeneratur non scit aliter quam quod se et mundum amare super omnia, sit ipsum bonum; et quod dominari super omnes, et possidere omnium aliorum opes, sit summum bonum. Inde etiam est omne malum; nam nullum alium spectat ex amore, quam se solum; et si spectat alium ex amore, est sicut diabolus diabo-

lum, ac sicut fur furem, quando unum agunt. [**3.**] Illi qui istos amores, ac mala ex illis scaturientia, ex jucundo illorum apud se confirmant, manent naturales et fiunt sensuales corporei; ac in propria cogitatione, quae est spiritus eorum, insaniunt; sed usque possunt, dum in mundo sunt, rationaliter et sapienter loqui et agere, sunt enim homines, et inde illis rationalitas et libertas, sed quoque id faciunt ex amore sui et mundi. Hi post mortem, cum fiunt spiritus, non possunt aliud jucundum habere, quam illud quod in spiritu suo habuerunt in mundo; et id jucundum est jucundum amoris infernalis, quod vertitur in injucundum, dolorificum et dirum, quod in Verbo intelligitur per cruciatum et ignem infernalem. Ex his patet, quod primus status hominis sit status damnationis; et quod in illo sint, qui non patiuntur se regenerari. [**4.**] *Status hominis secundus, qui est status reformationis*, est cum homo incipit cogitare de caelo ex gaudio ibi, et sic de Deo, a quo illi caeli gaudium. Sed hoc cogitat primum ex jucundo amoris sui, gaudium caeli est illi id jucundum; sed quamdiu jucundum illius amoris, una cum jucundis malorum inde scaturientium regnat, non potest aliud intelligere, quam quod ad caelum venire sit fundere preces, auscultare praedicationes, obire Sanctam Cenam, dare pauperibus, opitulari egenis, impendere templis, conferre spartas xenodochiis, et similia alia. Homo in hoc statu nec scit aliter, quam quod solum cogitare illa quae religio docet, salvet, sive sit id quod vocatur fides, sive id quod vocatur fides et charitas. Quod non aliter intelligat, quam quod illa cogitare, salvet, est quia nihil cogitat de malis, in quorum jucundis est; et quamdiu jucunda illorum remanent, etiam mala remanent; jucunda illorum sunt ex concupiscentia illorum, quae continue spirat illa, et quoque producit illa, dum non aliquis timor detinet. [**5.**] Quamdiu mala in illorum amoris concupiscentiis et inde jucundis manent, non est aliqua fides, charitas, pietas, cultus, nisi solum in externis, quae apparent coram mundo sicut sint, sed usque non sunt. Comparari possunt aquis ex impuro fonte emanantibus, quae bibi non possunt. Quamdiu homo talis est, ut cogitet de caelo et de Deo ex religione, et nihil de malis ut peccatis, est adhuc in statu primo: at in statum secundum seu reformationis venit, dum incipit cogi-

tare quod peccatum sit, et magis quod hoc et illud peccatum sit, et cum aliquantisper explorat id apud se, et non vult illud. [**6.**] *Status hominis tertius, qui est status regenerationis*, excipit, et continuatur statui priori. Inchoat cum homo desistit a malis ut peccatis, et progreditur sicut fugit illa, ac perficitur sicut pugnat contra illa; et tunc sicut vincit ex Domino, regeneratus est. Apud illum, qui regeneratur, vertitur ordo vitae; fit a naturali spiritualis, nam naturale separatum a spirituali est contra ordinem, et spirituale est secundum ordinem; quare homo regeneratus agit ex charitate, et illud fidei suae facit quod ejus charitatis est. Sed usque non fit plus spiritualis, quam quantum in veris est; nam omnis homo per vera, et per vitam secundum illa, regeneratur; per vera enim scit vitam, et per vitam facit illa; ita conjungit bonum et verum, quod est conjugium spirituale, in quo est caelum.

85. Quod homo per binas illas facultates, que vocantur rationalitas et libertas, reformetur et regeneretur, et quod absque illis reformari et regenerari non possit, est quia per rationalitatem potest intelligere et scire quid malum et quid bonum, et inde quid falsum et verum; et per libertatem potest velle id quod intelligit et scit. Sed quamdiu jucundum amoris mali regnat, non potest libere velle bonum et verum, et illa rationis suae facere, quare non potest illa sibi appropriare; nam ut supra ostensum est, illa quae homo ex libero secundum rationem agit, illi appropriantur ut ejus, et nisi appropriantur ut ejus, homo non reformatur et regeneratur: et tunc primum ex jucundo amoris boni et veri agit, quando jucundum amoris mali et falsi remotum est; nam duo jucunda amoris sibi opposita non simul dantur. Ex jucundo amoris agere, est ex libero; et quia ratio favet amori, etiam est secundum rationem.

86. Quia homini tam malo quam bono rationalitas et libertas est, potest tam malus quam bonus intelligere verum et facere bonum; sed malus non potest ex libero secundum rationem, bonus autem potest; quia malus est in jucundo amoris mali, bonus autem in jucundo amoris boni. Quare verum quod homo malus intelligit, et bonum quod facit, ei non appropriantur, sed appropriantur homini bono; et absque appropriatione sicut ejus, non datur

reformatio et regeneratio; sunt enim mala cum falsis apud malos sicut in centro, ac bona cum veris in peripheriis; at bona cum veris apud bonos sunt in centro, ac mala cum falsis in peripheriis: et utrinque illa quae centri sunt, se effundunt usque ad peripherias, sicut ab igne in centro calor, et a gelu in centro frigus. Ita bona in peripheriis apud malos conspurcantur a malis centri, et mala in peripheriis apud bonos mitescunt a bonis centri: quae causa est, quod mala regeneratum non damnent, ac bona non regeneratum non salvent.

87. (v.) *Quod homo mediis illis binis facultatibus tantum reformari et regenerari possit, quantum potest per illas adduci ad agnoscendum, quod omne verum et bonum, quod cogitat et facit, sit a Domino, et non a semet.* Quid reformatio et quid regeneratio, mox supra dictum est; tum quod homo per binas illas facultates, quae sunt rationalitas et libertas, reformetur et regeneretur: et quia hoc per illas fit, ideo de illis adhuc aliqua dicentur. Homo ex rationalitate habet quod possit intelligere, et ex libertati quod possit velle, utrumque sicut a se; at posse ex libero velle bonum, et inde secundum rationem id agere, non potest nisi regeneratus. Malus solum potest ex libero velle malum, ac id secundum cogitationem, quam per confirmationes sicut rationis facit, id agere; malum enim potest aeque confirmari, sicut bonum; sed malum per fallacias et apparentias, quae dum confirmantur fiunt falsa, et cum confirmatum est, apparet sicut rationis.

88. Quisque cui aliqua cogitatio ex interiori intellectu est, potest videre, quod posse velle et posse intelligere, non sit ab homine, sed ab Ipso cui ipsum Posse est, hoc est, cui Posse est in sua essentia. Cogita modo, unde est Posse. Annon ab Ipso, cui id est in ipsa sua potentia, hoc est, cui id est in Ipso, et sic ab Ipso? Quare posse in se est Divinum. Ad omne posse erit copia, quae danda est; et sic determinatio ab interiori seu superiori se. Oculus non potest videre a se, nec auris audire a se, neque os loqui a se, aut manus facere a se; copia et inde determinatio a mente erit. Nec potest mens cogitare et velle hoc aut illud a se, nisi aliquid interius aut superius sit quod mentem ad id determinat. Simile est cum posse intelligere et posse velle; haec non dari possunt ab alio

quam ab Ipso qui in se potest velle et potest intelligere. [**2.**] Ex quibus patet, quod binae illae facultates, quae vocantur rationalitas et libertas, sint a Domino, et non ab homine ; et quia a Domino sunt, sequitur quod homo nihil quicquam velit a se, et intelligat a se, sed modo sicut a se. Quod ita sit, quisque apud se confirmare potest, qui scit et credit, quod voluntas omnis boni, ac intellectus omnis veri, sit a Domino, et non ab homine.

Quod homo non aliquid possit sumere a se : et non aliquid facere a se, docet Verbum apud *Johannem* (iii. 27 ; xv. 5).

89. Nunc quia omne velle est ex amore, et omne intelligere est ex sapientia, sequitur quod posse velle sit ex Divino Amore, et posse intelligere sit ex Divina Sapientia ; ita utrumque ex Domino, qui est ipse Divinus Amor et ipsa Divina Sapientia. Inde fluit, quod ex libero secundum rationem agere, non aliunde sit. Quisque agit secundum rationem, quia liberum sicut amor non potest separari a velle. Sed apud hominem datur interius velle et exterius velle ; et potest agere secundum exterius, et non simul secundum interius ; ita agit hypocrita et assentator, et usque exterius velle est ex libero, quia ex amore apparendi aliter quam est, vel ex amore alicujus mali quod ex amore voluntatis interioris intendit. Sed ut supra dictum est, malus non potest ex libero secundum rationem suam agere quam malum ; non autem potest ex libero secundum rationem agere bonum : potest quidem hoc agere, sed non ex libero interiori, quod est ejus proprium liberum, ex quo trahit exterius liberum, quod non sit bonum.

90. Dicitur quod homo possit tantum reformari et regenerari, quantum potest per binas facultates adduci ad agnoscendum, quod omne bonum et omne verum quod cogitat et facit, sit a Domino, et non a semet. Quod homo non possit nisi quam per binas illas facultates id agnoscere, est quia binae illae facultates sunt a Domino, et sunt Domini apud hominem, ut patet a supradictis. Quare sequitur, quod homo id non possit facere a se, sed a Domino ; at usque potest sicut a se ; hoc dat Dominus unicuivis. Sit, quod credat a se, usque dum sapit, agnoscet quod non a se ; alioqui verum quod cogitat, et bonum

quod facit, non est verum et bonum in se, est enim homo in illis, et non Dominus in illis ; ac bonum in quo homo est, si [1]fit propter salutem, est bonum meritorium, at bonum in quo Dominus est, non est meritorium.

91. Quod autem agnitio Domini, et quod agnitio quod omne bonum et verum sit ab Ipso, faciat ut homo reformetur et regeneretur, est quod pauci possunt intellectu videre ; nam potest cogitari, Quid facit agnitio illa, cum Dominus omnipotens est, et vult omnium salutem ? et inde quod possit et velit, modo ad misericordiam moveatur. Sed ita cogitare, non est ex Domino ; ita nec est ex interiori visu intellectus, hoc est, ex aliqua illustratione : quare quid agnitio operatur, hic paucis dicetur. [**2.**] In mundo spirituali, ubi spatia sunt modo apparentiae, sapientia facit praesentiam, et amor facit conjunctionem ; et vicissim. Datur agnitio Domini ex sapientia, et datur agnitio Domini ex amore. Agnitio Domini ex sapientia, quae in se spectata est solum cognitio, datur ex doctrina ; et agnitio Domini ex amore datur ex vita secundam illam ; haec dat conjunctionem, illa autem praesentiam : quae causa est, quod qui rejiciunt doctrinam de Domino, se removeant ab Ipso ; et quia illi etiam rejiciunt vitam, se separent ab Ipso : at qui non rejiciunt doctrinam, sed vitam, illi praesentes sunt, sed usque separati : sunt sicut amici, qui colloquuntur inter se, sed non mutuo amant se ; et sunt sicut duo, quorum unus tanquam amicus loquitur cum altero, sed tanquam inimicus odit illum. [**3.**] Quod ita sit, etiam a communi idea notum est, quod qui bene docet et bene vivit, salvetur, non autem qui bene docet et male vivit ; tum quod qui non agnoscit Deum, non salvari possit. Ex his patet, qualis religio est, cogitare de Domino ex fide, ut vocatur, et non facere aliquid ex charitate. Quare dicit Dominus,

> "Quid .. Me vocatis Domine, Domine, et non facitis quae dico? Omnis qui venit ad Me, et audit sermones meos, et facit illos,.... similis est homini aedificanti domum, ... et posuit fundamentum super petra : qui vero audit et non facit, similis est homini aedificanti domum super humo sine fundamento" (*Luc.* vi. 46–49).

[2]**92.** (vi.) *Quod conjunctio Domini cum homine, et reciproca hominis cum Domino, per binas illas facultates fiat.*— Conjunctio cum Domino et regeneratio unum sunt, nam

quantum quis conjunctus est Domino, tantum regeneratus est. Quare omne quod supra dictum est de regeneratione, dici potest [de] conjunctione; et quod hic dicitur de conjunctione, dici potest de regeneratione. Quod conjunctio Domini cum homine sit et reciproca hominis cum Domino, docet Ipse Dominus apud *Johannem*,

> "Manete in Me, etiam Ego in vobis; ....qui manet in Me, et Ego in illo, hic fert fructum multum" (xv. 4, 5).
> "In die illo cognoscetis, quod...vos in Me et Ego in vobis" (xiv. 20).

[**2.**] Quisque potest ex sola ratione videre, quod non sit aliqua conjunctio animorum nisi etiam sit reciproca, et quod reciprocum conjungat. Si quis alterum amat et non vicissim amatur, tunc sicut unus accedit, alter recedit; at si vicissim amatur, tunc sicut unus accedit, alter etiam accedit, et fit conjunctio. Amor etiam vult amari; hoc ei insitum est; et quantum redamatur, tantum in se est et in suo jucundo. Ex his patet, si Dominus solum amat hominem, et non vicissim ab homine amaretur, accederet Dominus, et recederet homo; ita Dominus continue vellet convenire hominem et ad illum ingredi, et homo retro se verteret et abiret. Cum illis qui in inferno sunt, ita est; at cum illis qui in caelo sunt, est mutua conjunctio. [**3.**] Quoniam Dominus vult conjunctionem cum homine, propter ejus salvationem, providit etiam ut apud hominem sit reciprocum. Reciprocum apud hominem est, quod bonum quod ex libero vult et facit, et verum quod ex illo velle secundum rationem cogitat et loquitur, appareat sicut ab illo; et quod bonum illud in voluntate ejus, et verum illud in intellectu ejus, appareat sicut ejus; immo illa apparent homini sicut ex se et sicut ejus, prorsus sicut forent ejus; non est aliquod discrimen; animadverte num aliquis aliter omni sensu percipit. De apparentia illa sicut a se, videatur supra (n. 74–77), et de appropriatione sicut ejus (n. 78–81): sola differentia est, quod homo agnoscere debeat, quod non ex se faciat bonum, et cogitet verum, sed a Domino; et inde quod bonum quod facit, et verum quod cogitat, non sit ejus. Ita cogitare, ex aliquo amore voluntatis, quia veritas est, facit conjunctionem; nam sic homo aspicit Dominum et Dominus aspicit hominem.

93. Quale discrimen est inter illos, qui omne bonum credunt a Domino esse, et qui credunt bonum a se esse,

datum est in mundo spirituali et audire et videre. Qui bonum credunt a Domino, illi vertunt faciem ad Ipsum, ac recipiunt jucundum et beatum boni; at qui credunt bonum a se esse, illi spectant semet, et cogitant apud se quod meruerint; et quia spectant semet, non possunt aliter quam jucundum sui boni percipere, quod non est jucundum boni sed jucundum mali; nam proprium hominis est malum; ac jucundum mali perceptum ut bonum, est infernum. Illi qui bonum fecerunt, et crediderunt id a se, si non post mortem recipiunt id verum, quod omne bonum sit a Domino, commiscent se geniis infernalibus, et tandem unum cum illis faciunt; at illi qui recipiunt illud verum, reformantur: sed non alii recipiunt, quam qui spectaverunt ad Deum in vita sua. Spectare ad Deum in vita sua, non aliud est quam fugere mala ut peccata.

94. Conjunctio Domini cum homine et reciproca hominis cum Domino fit per amare proximum sicut se ipsum, et amare Dominum super omnia. Amare proximum sicut se ipsum non aliud est quam non insincere et injuste agere cum illo, non odio habere ac vindicta flagrare contra illum, non blasphemare et diffamare illum, non adulterari cum uxore ejus, et similia alia non facere contra illum. Quis non videre potest, quod illi qui talia faciunt, non ament proximum sicut se ipsum; at qui talia non faciunt quia sunt mala contra proximum, et simul peccata contra Dominum, illi sincere, juste, amice, fideliter agunt cum proximo; et quia Dominus similiter facit, fit conjunctio reciproca. Et cum conjunctio reciproca est, tunc quicquid homo proximo acit, a Domino facit, et quicquid homo a Domino facit, est bonum; et tunc proximus illi non est persona, sed bonum in persona. Amare Dominum super omnia, non aliud est, quam non malum facere Verbo, quia in Verbo est Dominus, nec malum facere sanctis ecclesiae, quia in sanctis ecclesiae est Dominus, nec malum facere alicujus animae, quia anima cujusvis in manu Domini est. Qui illa mala fugiunt sicut peccata enormia illi, amant Dominum super omnia; sed hoc non possunt alii, quam qui amant proximum sicut se ipsum, conjuncta enim sunt.

95. Quoniam conjunctio Domini cum homine est, et hominis cum Domino, ideo duae tabulae legis sunt, una pro Domino, et altera pro homine. Quantum homo sicut

ex se facit leges suae tabulae, tantum Dominus dat ut faciat leges Ipsius tabulae : at homo, qui non facit leges suae tabulae, quae omnes se referunt ad amorem proximi, non potest facere leges tabulae Domini, quae omnes se referunt ad amorem Domini. Quomodo potest homicida, fur, adulter, et falsus testator amare Dominum ? Annon ratio dictat, quod talis esse et amare Deum, contradictiorium sit ? Estne diabolus talis ? Num ille potest aliter quam odio habere Deum ? At cum homo homicidia, adulteria, furta et falsa testimonia aversatur ut infernalia, tunc potest ; nam tunc avertit faciem a diabolo ad Dominum ; ac cum vertit faciem ad Dominum, datur ei amor et sapientia : haec intrant hominem per faciem, et non per cervicem ejus. Quia ita et non aliter fit conjunctio cum Domino, ideo binae illae tabulae vocatae sunt foedus ; ac foedus est inter duos.

96. (vii.) *Quod Dominus binas illas facultates apud hominem illibatas ac ut sanctas in omni Divinae suae Providentiae progressione custodiat.*—Causae sunt, quod homini absque binis illis facultatibus non forent intellectus et voluntas, et sic ille non foret homo ; tum, quod homo absque binis illis facultatibus non potuisset conjungi Domino, et sic non reformari et regenerari ; ut et, quod homini absque binis illis facultatibus non foret immortalitas, et vita aeterna. Quod ita sit, ex cognitione quid libertas et rationalitas, (quae sunt binae illae facultates,) quae data est in praecedentibus, quidem videri potest : sed non clare, nisi illa ut conclusiones sistantur ad visum, quare illustranda sunt. [**2.**] *Quod homini absque binis illis facultatibus non forent voluntas et intellectus, et sic ille non foret homo ;* non enim aliunde est homini voluntas, quam quod possit libere velle sicut ex se ; ac libere velle sicut ex se, est ex facultate illi a Domino continue data, quae vocatur libertas : et non aliunde est homini intellectus, quam quod possit sicut ex se intelligere num rationis sit vel non ; ac intelligere num rationis sit vel non, est ex altera facultate illi a Domino continue data, quae vocatur rationalitas. Hae facultates se conjungunt apud hominem sicut voluntas et intellectus ; quod nempe quia homo potest velle, etiam possit intelligere ; nam velle non datur absque intelligere ; intelligere est ejus consors seu com-

par, sine qua non potest esse: quare cum facultate quae vocatur libertas, datur facultas quae vocatur rationalitas: etiam si aufers velle ab intelligere, nihil intelligis: [**3.**] et quantum vis, tantum potes intelligere, modo adsint vel simul aperiantur adminicula, quae vocantur cognitiones, nam hae sunt sicut instrumentalia operanti. Dicitur quantum vis, potes intelligere, hoc est, quantum amas intelligere, nam voluntas et amor unum agunt. Hoc quidem apparet sicut paradoxon; sed ita apparet illis, qui non amant intelligere, et inde non volunt: et qui non volunt, dicunt se non posse. Quinam autem non possunt, et quinam aegre possunt, dicetur in sequente articulo. [**4.**] Absque confirmatione patet, quod nisi homini foret voluntas ex facultate quae vocatur libertas, ac intellectus ex facultate quae vocatur rationalitas, ille non foret homo. Bestiis non illae facultates sunt. Apparet sicut quod bestiae etiam possint velle, et quod possint intelligere, sed non possunt. Est affectio naturalis, quae in se est cupido, cum ejus compare scientia, quae unice ducit et fert illas ad faciendum quod faciunt. Civile et morale est quidem in illarum scientia, sed non sunt supra illam, quia illis non est spirituale, quod dat percipere morale, et inde analytice cogitare illud. Doceri quidem possunt aliquid facere, sed hoc solum est naturale, quod se addit scientiae et simul affectioni illarum, ac reproducitur vel per visum vel per auditum, sed nusquam fit cogitationis, et minus rationis apud illas. Aliqua de hac re videantur supra (n. 74). [**5.**] *Quod homo absque binis illis facultatibus non potuisset conjungi Domino, et sic non reformari et regenerari*, ostensum est supra. Nam Dominus in binis illis facultatibus residet apud homines tam malos quam bonos, et per illas Se conjungit unicuivis homini. Inde est, quod tam malus quam bonus possit intelligere, et inde illi in potentia est voluntas boni ac intellectus veri, quod non actu sint, est ex abusu illarum facultatum. Quod Dominus in illis facultatibus apud unumquemvis hominem resideat, est ex influxu voluntatis Domini, quod velit recipi ab homine, et mansionem apud illum habere, ac dare ei felicia vitae aeternae; haec voluntatis Domini sunt, quia Divini Amoris Ipsius sunt. Haec Domini voluntas est, quae facit ut appareat in homine sicut ejus quod cogitat, loquitur, vult

et facit. [6.] Quod influxus voluntatis Domini id operetur, multis confirmari potest ex mundo spirituali. Quandoque enim Dominus implet angelum suo Divino, ita ut angelus non sciat aliter quam quod sit Dominus. Ita impleti sunt angeli visi Abrahamo, Hagari, Guideoni, qui inde se vocaverunt Jehovam, de quibus in Verbo. Ita quoque potest unus spiritus impleri ab altero, usque ut non sciat quam quod alter sit : hoc saepius mihi visum est. Notum etiam est in caelo, quod Dominus operetur omnia per velle, et quod fiat quod vult. Ex his patet, quod binae illae facultates sint, per quas Dominus Se conjungit homini, et per quas facit ut homo reciproce conjungatur. Quomodo autem homo per illas facultates reciproce conjungitur, consequenter quomodo per illas reformatur et regeneratur, supra dictum est, et de eo infra plura dicentur. [7.] *Quod homini absque binis illis facultatibus non foret immortalitas et vita aeterna*, sequitur ex nunc dictis, quod per illas sit conjunctio cum Domino, tum reformatio et regeneratio ; per conjunctionem est homini immortalitas, ac per reformationem et regenerationem est vita aeterna : et quia per illas facultates est conjunctio Domini cum omni homine, tam malo quam bono, ut dictum est, ideo omni homini immortalitas est ; sed illi homini vita aeterna, hoc est, vita caeli, apud quem est conjunctio reciproca ab intimis ad ultima. Ex his videri possunt causae, cur Dominus binas illas facultates apud hominem illibatas ac ut sanctas in omni Divinae suae Providentiae progressione custodiat.

97. (viii.) *Quod ideo Divinae Providentiae sit, ut homo ex libero secundum rationem agat.*—Ex libero secundum rationem agere, et ex libertate ac rationalitate agere, est idem, tum etiam ex voluntate ac intellectu ; at aliud est ex libero secundum rationem, seu ex libertate et rationalitate agere, et aliud est ex ipso libero secundum ipsam rationem, seu ex ipsa libertate et ex ipsa rationalitate, agere ; quoniam homo qui malum facit ex amore mali, et id apud se confirmat, ille quidem ex libero secundum rationem agit, sed usque liberum ejus non in se est liberum seu ipsum liberum, verum est liberum infernale, quod in se est servum, et ratio ejus non in se est ratio, sed est vel ratio spuria, vel falsa, vel apparens per confirmationes. At usque utrumque est Divinae Providentiae ; nam si liberum

volendi malum, et id sicut rationis facere per confirmationes, homini naturali tolleretur, periret libertas et rationalitas, et simul voluntas ac intellectus, et non potuisset abduci a malis, ac reformari, ita non conjungi Domino, et vivere in aeternum ; quare Dominus liberum apud hominem ita custodit, sicut homo pupillam oculi sui. Sed usque Dominus per liberum continue abducit hominem a malis, et quantum per liberum abducere potest, tantum per liberum implantat bona ; ita successive loco liberi infernalis indit liberum caeleste.

98. Dictum supra est, quod omni homini sit facultas volendi, quae vocatur libertas, et facultas intelligendi quae vocatur rationalitas ; sed probe sciendum est, quod illae facultates homini sicut insitae sint, est enim ipsum humanum in illis. Sed ut mox dictum est, aliud est ex libero secundum rationem agere, et aliud ex ipso libero secundum ipsam rationem agere. Ex ipso libero secundum ipsam rationem agunt non alii, quam qui se passi sunt regenerari a Domino ; reliqui autem ex libero secundum cogitationem, quam instar rationis faciunt, agunt. At usque omnis homo, nisi natus sit fatuus aut summe stupidus, potest ad ipsam rationem, et per illam ad ipsum liberum venire ; sed quod non veniat, sunt plures causae quae in sequentibus detegentur : hic solum dicetur, quibus ipsum liberum seu ipsa libertas, et simul ipsa ratio seu ipsa rationalitas, non dari possunt, et quibus aegre dari. [**2.**] Ipsa libertas et ipsa rationalitas non dari possunt fatuis ex nativitate ; nec fatuis postea factis quamdiu fatui sunt. Ipsa libertas et ipsa rationalitas nec dari possunt stupidis et obesis natis, et quibusdam factis ex torpore otii, aut ex aegritudine quae pervertit aut prorsus occlusit interiora mentis, aut ex amore vitae bestiae. [**3.**] Ipsa libertas et ipsa rationalitas nec dari possunt apud illos in Christiano orbe, qui prorsus negant Divinum Domini, et sanctitatem Verbi, ac negationem apud se usque ad finem vitae confirmatam retinuerunt ; hoc enim intelligitur per peccatum contra Spiritum Sanctum, quod non remittitur in hoc saeculo, nec in futuro (*Matth.* xii. 31, 32). [**4.**] Ipsa libertas et ipsa rationalitas nec dari possunt apud illos, qui omnia naturae, et nihil Divino, attribuunt, et id per ratiocinia ex visibilibus fecerunt suae fidei : hi [1]etenim

sunt athei. [**5.**] Ipsa libertas et ipsa rationalitas aegre dari possunt apud illos, qui in falsis religionis se multum confirmaverunt: quoniam confirmator falsi est negator veri: at qui non confirmaverunt se, in quacunque religione sint, possunt; de qua re videantur quae in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 91–97,) allata sunt. [**6.**] Infantes et pueri non possunt in ipsam libertatem et in ipsam rationalitatem veniri, prius quam aetate adolescunt: quoniam interiora mentis apud hominem successive aperiuntur; sunt interea sicut semina in fructu immaturo, quae in humo non possunt egerminare.

99. Dictum est, quod ipsa libertas et ipsa rationalitas non dari queant apud illos qui negaverunt Divinum Domini, et sanctitatem Verbi; tum apud illos qui confirmaverunt se pro natura contra Divinum; et aegre apud illos qui se multis confirmaverunt in falsis religionis: at usque omnes illi non perdiderunt ipsas illas facultates. Audivi atheos, qui facti sunt diaboli et satanae, intellexisse arcana sapientiae tam bene sicut angeli, sed solum cum audiverunt illa ab aliis; at cum in suas cogitationes redierunt, non intellexerunt; causa erat, quia non voluerunt. At ostensum est illis, quod etiam potuerint velle, nisi amor et inde jucundum mali illos abduxerit; hoc quoque cum audiverunt, intellexerunt; immo affirmaverunt quod potuerint, sed quod non voluerint posse, quia sic non potuissent velle quod volunt, quod erat malum ex jucundo concupiscentiae ejus. Talia mirabilia in mundo spirituali saepius audivi: ex quibus plene confirmatus sum, quod cuivis homini sit libertas et rationalitas: et quod quisque in ipsam libertatem et ipsam rationalitatem possit venire, si fugit mala ut peccata. Sed adultus, qui non in ipsam libertatem et ipsam rationalitatem venit in mundo, nusquam in illas venire potest post mortem, nam tunc status ejus vitae, qualis fuerat in mundo, manet in aeternum.

QUOD LEX DIVINAE PROVIDENTIAE SIT, UT HOMO SICUT EX SE REMOVEAT MALA UT PECCATA IN EXTERNO HOMINE, ET QUOD SIC NON ALITER DOMINUS REMOVERE POSSIT MALA IN INTERNO HOMINE, ET SIMUL TUNC IN EXTERNO.

100. Quisque potest ex sola ratione videre, quod Dominus, qui est ipsum Bonum et ipsum Verum, non possit intrare apud hominem, nisi remota sunt mala et falsa apud illum ; malum enim est oppositum bono, et falsum est oppositum vero ; et duo opposita nusquam commisceri possunt, sed cum unum accedit ad alterum, fit pugna, quae perstat usque dum unum alteri cedit locum ; et quod cedit, abit, et alterum succedit. In tali opposito sunt caelum et infernum, seu Dominus et diabolus. Num quisquam ex ratione potest cogitare, quod Dominus possit intrare, ubi diabolus regnat? seu quod caelum possit esse ubi est infernum? Quis non ex rationalitate cuivis homini sano data videt, quod ut Dominus intret, diabolus ejiciendus sit ; vel ut caelum intret, infernum removendum sit? [2.] Oppositio illa intelligitur per verba Abrahami e caelo ad divitem in inferno,

> "Inter nos et vos hiatus ingens firmatus est, ut qui volunt transcendere abhinc ad vos, non possint, neque qui ibi, ad nos transire" (*Luc.* xvi. 26).

Ipsum malum est infernum, ac ipsum bonum est caelum ; seu quod idem, ipsum malum est diabolus, et ipsum bonum est Dominus ; et homo, in quo regnat malum, est in minima forma infernum, et homo in quo regnat bonum, est in minima forma caelum. Quoniam ita est, quomodo potest caelum intrare infernum, cum inter illa hiatus tam ingens firmatus est, ut non transiri possit hinc illinc? Ex his sequitur, quod omnino removendum sit infernum, ut Dominus cum caelo possit intrare.

101. At multi, imprimis illi qui se confirmaverunt in fide separata a charitate, non sciunt quod in inferno sint cum in malis ; et ne quidem sciunt quid mala, ex causa, quia nihil cogitant de illis ; dicentes quod non sint sub jugo legis, et sic quod lex illos non damnet ; tum, quia nihil conferre possunt ad salutem, quod non aliquod ma-

lum a se removere possint, ac insuper quod non aliquod bonum possint facere a se. Hi sunt, qui omittunt cogitare de malo, et quia id omittunt, continue in illo sunt. Quod illi sint qui per hircos a Domino intellecti sint, *Matth.* [xxv. 32, 33,] 41–46, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide* (n. 61–68) videatur; de quibus (vers. 41) dicitur "Discedite a Me, maledicti, in ignem aeternum paratum diabolo et angelis ejus." [**2.**] Nam illi qui nihil cogitant de malis apud se, hoc est, qui non explorant se, et postea desistunt ab illis, non possunt aliter quam nescire quid malum, et tunc id ex jucundo ejus amare; nam qui nescit id, ille amat id, et qui cogitare omittit de illo, ille continue est in illo; est sicut caecus qui non videt; nam cogitatio videt bonum et malum, sicut oculus videt pulchrum et impulchrum; ac in malo est, tam qui cogitat et vult illud, quam qui credit malum non apparere coram Deo, a qui credit remitti si apparet; sic etenim cogitat quod absque malo sit. Si abstinent a faciendis malis, non abstinent quia peccata sunt contra Deum, sed quia timent leges et famam; at usque faciunt illa in spiritu suo, nam spiritus hominis est qui cogitat et vult; quare quod homo in spiritu suo in mundo cogitat, hoc post excessum e mundo, cum fit spiritus, facit. [**3.**] In mundo spirituali, in quem omnis homo post mortem venit, non quaeritur qualis tua fides fuerat, nec qualis tua doctrina, sed quae tua vita; ita num talis aut talis: scitur enim quod qualis alicujus vita est, talis ejus fides, immo doctrina sit; vita enim facit sibi doctrinam, et facit sibi fidem.

102. Ex nunc dictis constare potest, quod lex Divinae Providentiae sit, ut ab homine removeantur mala, absque enim remotione illorum non potest Dominus conjungi homini, et illum a Se in caelum adducere. Sed quia ignotum est, quod homo debeat sicut a se removere mala in externo homine, et nisi homo id sicut a se faciat, quod Dominus non possit removere mala apud illum in interno, ideo haec coram ratione in luce ejus sistentur in hoc ordine:

(i.) *Quod cuilibet homini externum et internum cogitationis sit.*

(ii.) *Quod externum cogitationis hominis sit in se quale ejus internum est.*

(iii.) *Quod internum non possit purificari a concupiscentiis mali, quamdiu mala in externo homine non remota sunt, quia obstipant.*

(iv.) *Quod mala in externo homine a Domino non possint removeri, quam medio homine.*

(v.) *Quod ideo homo mala ab externo homine removere debeat sicut a se.*

(vi.) *Quod Dominus tunc purificet hominem a concupiscentiis mali in interno homine, et ab ipsis malis in externo.*

(vii.) *Quod continuum Divinae Providentiae Domini sit, ut conjungat hominem Sibi, et Se illi, ut dare possit ei felicia vitae aeternae, quod non fieri potest, nisi quantum mala cum illorum concupiscentiis remota sunt.*

103. (i.) *Quod cuilibet homini externum et internum cogitationis sit.*—Per externum et internum cogitationis hic intelligitur simile quod per externum et internum hominem, per quem non aliud intelligitur quam externum et internum voluntatis ac intellectus, voluntas enim ac intellectus faciunt hominem: et quia haec duo se manifestant in cogitationibus, dicitur externum ac internum cogitationis. Nunc quia non corpus hominis sed spiritus ejus vult ac intelligit, et inde cogitat, sequitur, quod hoc externum et internum sit externum et internum spiritus hominis. Quod corpus agit, sive loquatur sive faciat, est solum effectus ex interno et externo spiritus ejus, nam corpus est modo obedientia.

104. Quod cuivis homini in aetate provecta sit externum et internum cogitationis, proinde externum [et internum] voluntatis et intellectus, seu externum et internum spiritus, quod idem est cum externo et interno homine, patet cuivis qui ad alterius cogitationes et intentiones ex loquelis aut factis ejus attendit; et quoque ad suas cum in consortiis est, et cum absque illis. Potest enim quis amice loqui cum altero ex cogitatione externa, et tamen inimicus esse in cogitatione interna: potest quis de amore erga proximum et de amore in Deum ex cogitatione externa et simul ex affectione ejus loqui, cum tamen in cogitatione sua interna nihili facit proximum, et non timet Deum: potest etiam quis de justitia legum civilium, de virtutibus vitae moralis, et de illis quae sunt doctrinae et vitae spiritualis, ex cogitatione et simul affectione externa loqui, et tamen cum solus est secum, ex cogita-

tione et ejus affectione interna loqui contra leges civiles, contra virtutes morales, et contra illa quae sunt doctrinae et vitae spiritualis; ita faciunt illi qui in concupiscentiis mali sunt, et usque volunt apparere coram mundo quod in illis non sint. [**2.**] Plerique etiam, dum audiunt alios loquentes, secum cogitant, [1]num interius in se cogitent, sicut cogitant in loquela, num credendi sint vel non, quid intendunt. Quod assentatoribus et hypocritis duplex cogitatio sit, notum est; possunt enim continere se et cavere ne aperiatur cogitatio interior, ac quidam interius et interius celare illam, et quasi obstruere fores ne appareat. Quod homini cogitatio exterior et cogitatio interior detur, patet manifeste ex eo, quod possit ex interiore sua cogitatione videre cogitationem exteriorem, et quoque reflectere super illam, ac judicare de illa num mala sit vel non mala. Quod hominis mens talis sit, acceptum fertur binis facultatibus, quae illi a Domino sunt, quae vocantur libertas et rationalitas; ex quibus nisi externum et internum cogitationis illi foret, non potuisset percipere et videre aliquod malum apud se, et reformari; immo nec potuisset loqui, sed solum sonare sicut bestia.

105. Internum cogitationis est ex amore vitae et ejus affectionibus et inde perceptionibus; externum cogitationis est ex illis quae in memoria sunt, et quae inserviunt amori vitae pro confirmationibus, et pro mediis ad finem. Homo ab infantia usque ad aetatem juvenilem est in externo cogitationis ex affectione sciendi, quae tunc facit internum ejus; transpirat etiam aliquid concupiscentiae et inde inclinationis ex amore vitae connato ex parentibus. Sed postea sicut vivit, fit amor vitae ejus, cujus affectiones et inde perceptiones faciunt internum cogitationis ejus, et ex amore vitae fit amor mediorum, quorum jucunda et inde excitatae scientiae e memoria, faciunt externum cogitationis ejus.

106. (ii.) *Quod externum cogitationis hominis in se sit quale ejus internum.*—Quod homo a capite ad calcem sit qualis est amor vitae ejus, prius ostensum est. Hic itaque primum aliquid de amore vitae hominis dicetur, quoniam non prius aliquid dici potest de affectionibus quae una cum perceptionibus faciunt internum hominis, ac de affec-

tionum jucundis una cum cogitationibus quae faciunt externum ejus. Amores sunt multiplices, sed bini sunt illorum sicut domini et reges, amor caelestis et amor infernalis. Amor caelestis est amor in Dominum et erga proximum, et amor infernalis est amor sui et mundi. Hi et illi amores sunt sibi oppositi sicut sunt caelum et infernum; nam qui in amore sui et mundi est, non vult alicui bonum quam sibi; at qui in amore in Dominum et in amore erga proximum est, ille vult omnibus bonum. Hi bini amores sunt amores vitae hominis, sed cum multa varietate. Amor caelestis est amor vitae illorum quos Dominus ducit, et amor infernalis est amor vitae illorum, quos diabolus ducit. [**2.**] Sed amor vitae cujusvis non potest dari absque derivationibus, quae vocantur affectiones. Derivationes amoris infernalis sunt affectiones mali et falsi, proprie concupiscentiae; et derivationes amoris caelestis sunt affectiones boni et veri, proprie dilectiones. Affectiones amoris infernalis, quae proprie sunt concupiscentiae, sunt totidem quot mala, et affectiones amoris caelestis, quae proprie sunt dilectiones, sunt totidem quot bona. Amor in suis affectionibus habitat sicut dominus in suo dominio, aut sicut rex in suo regno: dominium et regnum eorum est super illa quae sunt mentis, hoc est, quae sunt voluntatis et intellectus hominis, et inde corporis. Amor vitae hominis per suas affectiones et inde perceptiones, ac per sua jucunda et inde cogitationes regit totum hominem; internum mentis ejus per affectiones et inde perceptiones, et externum mentis per jucunda affectionum et inde cogitationes.

107. Forma hujus regiminis potest aliquatenus per comparationes videri. Amor caelestis cum affectionibus boni et veri, et inde perceptionibus, et simul cum jucundis affectionum illarum et inde cogitationibus, comparari potest arbori insigni ramis, foliis et fructibus: amor vitae est arbor illa, rami cum foliis sunt affectiones boni et veri cum illarum perceptionibus, ac fructus sunt jucunda affectionum cum illorum cogitationibus. At amor infernalis cum ejus affectionibus mali et falsi, quae sunt concupiscentiae, et simul cum jucundis concupiscentiarum illarum et inde cogitationibus, comparari potest araneae et ejus telae circumtextae: ipse amor est aranea, concupiscentiae

mali et falsi cum illarum interioribus astutiis, sunt fila retiformia araneae sedi proxima ; ac jucunda concupiscentiarum illarum cum machinationibus dolosis sunt fila remotiora, ubi volantes muscae captantur, circumvelantur et comeduntur.

108. Ex his comparationibus videri quidem potest conjunctio omnium voluntatis ac intellectus seu mentis hominis cum amore vitae ejus, sed usque non rationaliter. Illa conjunctio potest rationaliter ita videri : sunt ubivis tria simul quae unum faciunt, quae vocantur finis, causa et effectus ; amor vitae ibi est finis, affectiones cum illarum perceptionibus sunt causa, ac jucunda affectionum cum illorum cogitationibus sunt effectus ; nam similiter ut finis per causam venit in effectum, ita etiam amor per suas affectiones venit ad sua jucunda ; et per suas perceptiones ad suas cogitationes. Ipsi effectus sunt in mentis jucundis et illorum cogitationibus, quando jucunda sunt voluntatis ac cogitationes sunt intellectus inde, ita quando plenus consensus ibi est ; sunt tunc effectus spiritus ejus, qui si non in actum corporis veniunt, usque sicut in actu sunt, quando est consensus : sunt etiam tunc simul in corpore, et habitant cum amore vitae ejus ibi, ac spirant actum, qui fit dum nihil obstat. Tales sunt concupiscentiae mali, et ipsa mala, apud illos, qui mala in spiritu suo licita faciunt. [**2.**] Nunc sicut finis conjungit se cum causa, et per causam cum effectu, ita amor vitae cum interno cogitationis, et per hoc cum externo ejus. Inde patet, quod externum cogitationis hominis in se sit quale ejus internum est, nam finis indit omne suum causae, et per causam effectui ; nihil enim essentiale datur in effectu, quam quod est in causa, et per causam in fine, et quia sic finis est ipsum essentiale quod ingreditur causam et effectum, ideo causa et effectus vocantur finis medius et finis ultimus.

109. Apparet quandoque sicut externum cogitationis hominis non in se sit quale est internum ; sed hoc fit, quia amor vitae cum suis internis circum se, ponit vicarium infra se, qui vocatur amor mediorum, et ei injungit, ut caveat et custodiat ne aliquid ex suis concupiscentiis appareat. Quare ille vicarius ex astutia principis sui, qui est amor vitae, loquitur et agit secundum civilia regni, se-

cundum moralia rationis, et secundum spiritualia ecclesiae; et quidam tam astute et ingeniose, ut nemo videat quin tales sint, quales loquuntur et agunt, et tandem ex circumvelatione ut vix ipsi sciant aliter. Tales sunt omnes hypocritae; et tales sunt sacerdotes qui corde nihili faciunt proximum et non timent Deum, et tamen praedicant de amore proximi et de amore Dei: tales sunt judices, qui judicant secundum dona et amicitias, cum simulant zelum pro justitia, et ex ratione de judicio loquuntur; tales sunt negotiatores corde insinceri ac fraudulenti, cum sincere agunt lucri causa: et tales sunt adulteri, cum ex rationalitate, quae cuivis homini est, de castitate conjugii loquuntur; et sic porro. [**2.**] At iidem si amorem mediorum, vicarium amoris vitae eorum, exuunt vestibus purpureis et byssinis, quas circumposuerunt, ac induunt illum toga sua domestica, tunc cogitant, et quandoque ex cogitatione sua cum amicissimis, qui in simili amore vitae sunt, loquuntur prorsus contrarium. Credi potest, quod quando illi ex amore mediorum tam juste, sincere et pie locuti sunt, tunc non quale interni cogitationis fuerit in externo cogitationis eorum; at usque fuit; est hypocrisis in illis, est amor sui et mundi in illis, cujus astutia est captare famam honoris aut lucri causa usque ad ultimam apparentiam. Hoc quale interni est in externo cogitationis illorum, quando ita loquuntur et agunt.

110. Apud illos autem qui in amore caelesti sunt, internum et externum cogitationis, seu internus et externus homo, unum agunt, cum loquuntur, nec sciunt discrimen. Amor vitae illorum cum ejus affectionibus boni et harum perceptionibus veri, est sicut anima in illis quae cogitant, et inde loquuntur et agunt. Si sacerdotes sunt, ex amore erga proximum et ex amore in Dominum praedicant; si judices sunt ex ipsa justitia judicant; si negotiatores sunt, ex ipsa sinceritate agunt; si uxorati, ex ipsa castitate amant conjugem; et sic porro. Amor vitae illorum etiam amorem mediorum ut vicarium habet, quem docet et ducit ut ex prudentia agat, et amicit illum vestibus zeli pro veris doctrinae et simul pro bonis vitae.

111. (iii.) *Quod internum non possit purificari a concupiscentiis mali, quamdiu mala in externo homine non remota sunt, quia obstipant*, sequitur ex supradictis, quod exter-

num cogitationis hominis in se sit quale internum cogitationis ejus ; et quod cohaereant sicut illud quod non solum intus in altero est, sed etiam ex altero ; quare non separari potest unum nisi simul alterum. Ita est cum omni externo quod ab interno est, et cum omni posteriori quod a priori est, et cum omni effectu qui a causa est. [**2.**] Nunc quia concupiscentiae una cum astutiis faciunt internum cogitationis apud malos, et jucunda concupiscentiarum una cum machinationibus faciunt externum cogitationis apud illos, et haec cum illis conjuncta sunt in unum, sequitur quod internum non possit purificari a concupiscentiis, quamdiu mala in externo homine non remota sunt. Sciendum est, quod voluntas interna hominis sit quae in concupiscentiis est, et quod intellectus internus ejus sit qui in astutiis, ac quod voluntas externa sit quae in jucundis concupiscentiarum est, ac intellectus externus sit qui in machinationibus ex astutiis. Quisque potest videre quod concupiscentiae et earum jucunda unum faciant, tam quod astutiae et machinationes unum faciant, et quod quatuor illa in una serie sint, et faciant simul sicut unum manipulum ; ex quibus iterum patet, quod internum, quod consistit a concupiscentiis, non possit ejici nisi quam per remotionem externi, quod consistit ex malis. Concupiscentiae per jucunda sua producunt mala, sed cum mala creduntur licita, quod fit ex consensu voluntatis ac intellectus, tunc jucunda et mala unum faciunt. Quod consensus sit factum, notum est ; quod etiam est quod Dominus dicit,

> "Si quis aspexerit mulierem alienam, ita ut concupiscat eam, jam adulterium committit cum illa in corde suo" (*Matth.* v. 28).

Simile est cum reliquis malis.

112. Ex his nunc constare potest, quod ut homo purificetur a concupiscentiis mali, omnino removenda sint mala ab externo homine, non enim prius datur concupiscentiis exitus ; et si non datur exitus, manent concupiscentiae intus, et exspirant jucunda a se, et sic adigunt hominem ad consensum, ita ad factum. Concupiscentiae per externum cogitationis intrant corpus ; quare cum consensus est in externo cogitationis, sunt illico in corpore ; jucundum quod sentitur, ibi est. Quod qualis est

mens tale sit corpus, ita totus homo, videatur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 362–370). Hoc potest per comparationes illustrari, et quoque per exempla. [**2.**] *Per comparationes:* Concupiscentiae cum earum jucundis comparari possunt igni, qui quo plus fomentatur, eo plus flagrat; et quo liberior excursus ei est, eo latius se spargit, usque ut in urbe consumat domos ejus, et in silva arbores ejus. Concupiscentiae mali etiam in Verbo comparantur igni, ac mala inde incendio. Concupiscentiae mali cum jucundis illarum in mundo spirituli etiam apparent sicut ignes; ignis infernalis non aliud est. Comparari etiam possunt diluviis et inundatioribus ab aquis, remotis aggeribus seu vallis. Comparari etiam possunt gangraenis et apostematibus, quae letum inducunt corpori, sicut excurrunt, aut sicut non sanantur. [**3.**] *Per exempla* patet clare, quod si non mala in externo homine removentur, concupiscentiae cum illarum jucundis crescant et exuberent. Fur quantum furatur tantum concupiscit furari, usque tandem ut non possit desistere: defraudatur similiter quantum defraudat: cum odio et vindicta, cum luxurie et intemperantia, cum scortatione, blasphematione, est similiter. Quod amor dominandi ex amore sui in tantum crescat quantum ei laxantur frena, notum est; pariter amor possidendi bona ex amore mundi; apparet sicut illis non sit terminus aut finis. Ex quibus patet, quod quantum mala in externo homine non removentur, tantum concupiscentiae illorum exuberent; tum quo gradu malis relaxantur frena, eo gradu concupiscentiae crescant.

113. Homo non potest percipere concupiscentias sui mali; percipit quidem jucunda illarum, sed etiam parum reflectit super illa, jucunda enim oblectant cogitationes, et auferunt reflexiones. Quare si non aliunde sciret, quod sint mala, vocaret illa bona, et ex libero secundum rationem cogitationis suae patraret illa; quod cum facit, appropriat illa sibi. Quantum confirmat illa ut licita, tantum amplificat aulam amoris regnantis, qui est amor vitae ejus. Aulam ejus faciunt concupiscentiae, nam illae sunt sicut ejus ministeria et satellitia, per quae exteriora, quae faciunt regnum ejus, gubernat. Sed sicut rex est, tales sunt ministri et satellites, et tale est regnum. Si rex est dia-

bolus, tunc ejus ministri et satellites sunt insaniae, ac populus regni ejus sunt falsa omnis generis; quae ministri, quos vocant sapientes, tametsi sunt insani, per ratiocinationes ex fallaciis et per phantasias faciunt ut appareant sicut vera, ac pro veris agnoscantur. Num talis status hominis mutari potest aliter quam per quod mala in externo homine removeantur? sic etiam concupiscentiae, quae cohaerent malis, removentur. Alioqui non patet concupiscentiis exitus, sunt etiam inclusae, sicut urbs obsessa, et sicut ulcus obturatum.

114. (iv.) *Quod mala in externo homine a Domino non possint removeri nisi medio homine.*—In omnibus ecclesiis Christianis receptum est hoc doctrinae, quod homo antequam ad sanctam Communionem accedit, semet exploraturus sit, visurus et agniturus sua peccata, et acturus paenitentiam, desistendo ab illis, et rejiciendo illa, quia a diabolo sunt; et quod alioqui peccata ei non remittantur, et quod sit damnatus. Angli, tametsi in doctrina de sola fide sunt, usque in oratione ad Sanctam Communionem, aperte docent explorationem, agnitionem, confessionem peccatorum, paenitentiam, et renovationem vitae, ac minantur illos qui illa non faciunt, his verbis, quod alioqui diabolus intraturus in illos sicut in Judam, ac impleturus illos omni iniquitate, et destructurus et corpus et animam. Germani, Sueci, Dani, qui etiam in doctrina de sola fide sunt, in oratione ad sanctam Communionem docent similia; minando etiam, quod alioqui se reos paenarum infernalium [1]facturi essent, ac damnationis aeternae, propter commixtionem sancti et profani. Haec a sacerdote alta voce praeleguntur coram illis qui Sanctam Cenam obituri sunt, et auscultantur ab illis cum omni agnitione quod ita sit. [**2.**] Attamen iidem, cum eodem die audiunt praedicationem de sola fide, et tunc quod lex illos non damnet, quia Dominus illam pro illis impleverat, et quod a se non possint aliquod bonum nisi meritorium facere, et sic opera nihil salutis in se habeant, sed sola fides, redeunt domum cum plena oblivione confessionis prioris, et cum rejectione ejus, quantum ex praedicatione de sola fide cogitant. Quid nunc verum est, sive hoc sive illud? non possunt duo sibi contraria esse vera; ut quod absque exploratione, cognitione, agnitione, confessione et rejectione peccatorum,

ita absque paenitentia, non detur remissio illorum, ita non salvatio, sed damnatio aeterna: aut quod talia nihil faciant ad salutem, quia satisfactio plenaria pro omnibus peccatis hominum a Domino per passionem crucis facta est pro illis qui in fide sunt, et quod illi qui in sola fide cum fiducia quod ita sit, et in confidentia de imputatione meriti Domini, absque peccatis sint, et quod appareant coram Deo sicut qui lavati facie nitent. Ex his patet, quod communis religio omnium ecclesiarum in Christiano orbe sit, quod homo se exploraturus sit, visurus et agniturus sua peccata, et postea destiturus ab illis, et quod alioqui non salvatio, sed damnatio. Quod etiam sit ipsa Divina veritas, patet a locis in Verbo, ubi mandatur quod homo paenitentiam acturus sit, ut ab his:

[1]Jesus dixit, "Facite..fructus dignos paenitentia;....jam jam..securis ad radicem arboris jacet; omnis..arbor non faciens fructum bonum, exscindetur et in ignem conjicietur" (*Luc.* iii. 8, 9).

Jesus dixit, "Nisi paenitentiam egeritis, omnes..peribitis" (*Luc.* xiii. 3, 5).

Jesus praedicavit "Evangelium Regni Dei;...paenitentiam agite, et credite Evangelio" (*Marc.* i. 14, 15).

Jesus emisit discipulos, qui exeuntes praedicarent "ut paenitentiam agerent" (*Marc.* vi. 12).

Jesus dixit ad apostolos, quod illos oporteat praedicare "paenitentiam et remissionem peccatorum, in omnibus gentibus" (*Luc.* xxiv. 47).

Johannes praedicavit "baptisma paenitentiae in remissionem peccatorum" (*Marc.* i. 4; *Luc.* iii. 3).

Cogita de hoc etiam ex aliquo intellectu; et si tibi religio est, videbis, quod paenitentia a peccatis sit via ad caelum, et quod fides separata a paenitentia non sit fides; et qui in non fide sunt ex non paenitentia, in via ad infernum sint.

115. Illi qui in fide separata a charitate sunt, et confirmaverunt se ex dicto Pauli ad *Romanos*,

Quod fide justificetur homo sine operibus legis (iii. 28),

adorant hoc dictum sicut qui adorant solem; et fiunt sicut qui oculos obnixe figunt in sole, ex quo acies obtusa facta non videt aliquid in media luce: non enim vident quid ibi intelligitur per "opera legis," quod sint ritualia quae a Mose descripta sunt in libris ejus, quae ubivis ibi vocantur Lex; et quod non praecepta decalogi. Quare ne intelligantur praecepta decalogi, explicat illud dicendo,

"Ergone legem arbrogamus per fidem? absit, sed legem stabilimus" (verse 31 ejusdem capitis).

Qui ex illo dicto se in fide separata confirmaverunt, illi ex intuitione illius loci sicut in sole, nec vident ubi enumerat leges fidei, quod sint ipsa opera charitatis; quid itaque fides absque suis legibus? Nec vident ubi enumerat mala opera, dicendo, quod qui illa faciunt, non possint intrare in caelum. Ex quo patet, qualis caecitas inducta est ex unico hoc loco male intellecto.

116. Quod mala in externo homine non removeri possint nisi quam medio homine, est quia ex Divina Domini Providentia est, quod quicquid homo audit, videt, cogitat, vult, loquitur et facit, appareat prorsus sicut ejus. Quod absque illa apparentia non foret homini aliqua receptio Divini veri, nulla determinatio ad faciendum bonum, nulla appropriatio amoris et sapientiae, tum charitatis et fidei, et inde nulla conjunctio cum Domino, proinde nulla reformatio et regeneratio, et sic salvatio, supra (n. 71–95 et seq.) ostensum est. Quod absque illa apparentia non dabilis sit paenitentia a peccatis, immo nec fides, evidens est; tum quod homo absque illa apparentia non sit homo, sed expers vitae rationalis, similis bestiae. Consulat qui vult suam rationem, num apparet aliter, quam quod homo de bono et vero, tam spirituali, quam morali et civili, cogitet ex se; et tunc recipe id doctrinale, quod omne bonum et verum sit a Domino, et nihil ab homine; annon agnosces hoc consequens, quod homo bonum faciet et verum cogitabit sicut ex se, sed usque agnoscet, quod illa a Domino? proinde etiam, quod homo removebit mala sicut a se, sed usque agnoscet quod id faciat ex Domino?

117. Plures sunt qui non sciunt quod in malis sint, quia non in externis faciunt illa; timent enim leges civiles, et quoque jacturam famae, et sic ex assuetudine et habitu imbuunt fugere mala ut damna sui honoris et sui lucri. Sed si mala non fugiunt ex principio religionis, quia peccata sunt, et contra Deum, tunc apud illos concupiscentiae mali cum jucundis illarum remanent, sicut aquae impurae obturatae aut stagnatae. Explorent cogitationes ac intentiones suas, et invenient illas, modo sciunt quid peccata. [2.] Sunt tales multi, qui se in fide separata a charitate confirmaverunt, qui quia credunt, quod lex non damnet, ne quidem attendunt ad peccata; et quidam dubitant num sint, et si sunt, non coram Deo sint, quia

condonata. Tales etiam sunt naturales moralistae, qui credunt civilem et moralem vitam cum ejus prudentia producere omnia, et Divinam Providentiam non aliquid. Tales etiam sunt, qui honestatis et sinceritatis famam et nomen propter honorem aut propter lucrum multo studio affectant. Sed illi qui tales sunt, et simul aspernati religionem, post mortem fiunt spiritus concupiscentiarum, qui apparent sibi sicut forent ipsi homines, sed aliis e longinquo sicut priapi ; ac vident in tenebris, et nihil in luce, sicut noctuae.

118. Ex his nunc sequitur v. articulus confirmatus, qui est, *Quod ideo homo mala ab externo homine removere debeat sicut a se ;* quae etiam explicata videantur in tribus articulis in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma :* in uno, Quod non aliquis possit fugere mala ut peccata, usque ut interius aversetur illa, nisi quam per pugnas contra illa (n. 92–100) : in altero, Quod homo debeat fugere mala ut peccata, et pugnare contra illa, sicut a se (n. 101–107) : in tertio, Quod si quis fugit mala ex quacunque alia causa, quam quia peccata sunt, non fugiat illa, sed modo faciat ut non appareant coram mundo (n. 108–113).

119. (vi.) *Quod Dominus tunc purificet hominem a concupiscentiis in interno homine, et ab ipsis malis in externo.*— Quod Dominus tunc purificet hominem a concupiscentiis mali, quando homo sicut a se removet mala, est causa, quia Dominus non prius purificare potest ; sunt enim mala in externo homine, et concupiscentiae mali in interno, ac cohaerent sicut radices cum trunco : quare nisi mala removentur, non datur apertura ; obstipant enim, et claudunt portam, quae a Domino non aperiri potest nisi medio homine, ut mox supra ostensum est. Quando ita homo sicut a se aperit portam, tunc Dominus concupiscentias una exstirpat. Causa etiam est, quia Dominus agit in intimum hominis, et ab intimo in consequentia usque ad ultima, et in ultimis est homo simul. Quamdiu itaque ultima ab ipso homine tenentur clausa, non potest aliqua purificatio, sed modo talis operatio fieri a Domino in interioribus, qualis est Domini in inferno, cujus forma est homo qui in concupiscentiis et simul malis est, quae operatio est solum dispositio ne unum perdat alterum, et ne violetur bonum et verum. Quod Dominus continue urgeat

ac instet, ut homo sibi aperiat portam, patet a Domini verbis in *Apocalypsi :*

> "Ecce sto ad januam et pulso ; si quis audiverit vocem meam, et aperuerit januam, ingrediar ad illum, et cenabo cum illo, et ille Mecum" (iii. 20).

120. Homo ne hilum scit de statu interiori mentis suae, seu interno suo homine ; sunt tamen ibi infinita, quorum ne unum ad ejus cognitionem venit. Internum enim cogitationis hominis seu internus ejus homo, est ipse ejus spiritus, et in illo tam infinita seu tot innumerabilia sunt, quot in hominis corpore ; immo adhuc innumerabiliora ; nam spiritus hominis est in sua forma homo, et omnia ejus correspondent omnibus hominis in ejus corpore. Nunc sicut homo nihil scit ex aliqua sensatione, quomodo mens ejus seu anima in omnia sui corporis conjunctim et singillatim operatur, ita nec scit homo quomodo Dominus in omnia mentis seu animae, hoc est, in omnia spiritus ejus, operatur. Operatio est continua ; in hoc homo nullam partem habet ; at usque non potest Dominus purificare hominem ab ulla concupiscentia mali in ejus spiritu seu interno homine, quamdiu homo tenet externum clausum. Sunt mala, per quae homo tenet externum suum clausum ; quorum unumquodvis ei apparet sicut unum, tametsi infinita sunt in unoquovis ; cum homo hoc sicut unum removet, tunc Dominus infinita in illo removet. Hoc est quod intelligitur per quod Dominus tunc purificet hominem a concupiscentiis mali in interno homine, et ab ipsis malis in externo.

121. Creditur a multis, quod solum credere id quod Ecclesia docet, purificet hominem a malis ; et creditur a quibusdam quod facere bonum purificet ; a quibusdam quod scire, loqui et docere talia quae ecclesiae sunt ; a quibusdam quod legere Verbum ac libros pietatis ; a quibusdam frequentare templa, auscultare praedicationes, et imprimis obire Sanctam Cenam ; a quibusdam abdicare mundum, ac studere pietati ; a quibusdam confiteri se reum omnium peccatorum ; et sic porro. At usque omnia haec nihil purificant hominem, nisi ille exploret se, videat sua peccata, agnoscat illa, condemnet se propter illa, ac paenitentiam agat desistendo ab illis, et haec omnia faciet sicut a se, sed usque ex cordis agnitione quod a Domino.

[2.] Antequam haec fiunt, supradicta nihil juvant, sunt enim vel meritoria vel hypocritica ; ac illi apparent in caelo coram angelis aut sicut meretrices pulchrae ex tabe sua male olentes ; aut sicut mulieres deformes ex inducto fuco apparentes formosae : aut sicut personati harioli et mimi super theatris ; aut sicut simiae in vestibus humanis. Sed quando mala remota sunt, tunc supramemorata fiunt amoris eorum, et illi apparent in caelo coram angelis ut homines pulchri, ac ut consortes et consocii eorum.

122. At probe sciendum est, quod homo paenitentiam acturus ad solum Dominum spectare debeat ; si ad solum Deum Patrem non potest purificari ; nec si ad Patrem propter Filium ; nec si ad Filium ut solum hominem : est enim unus Deus, et Dominus est Ille ; nam Divinum et Humanum Ipsius est una Persona, ut in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, ostensum est. Ut quisque paenitentiam acturus spectet ad Dominum solum, instituta est Sancta Cena ab Ipso, quae confirmat remissionem peccatorum apud illos qui paenitentiam agunt ; confirmat, quia in illa Cena seu Communione quisque tenetur spectare ad solum Dominum.

123. (vii.) *Quod continuum Divinae Providentiae Domini sit, ut conjungat hominem Sibi ac Se illi, ut dare possit ei felicia vitae aeternae ; quod non fieri potest, nisi quantum mala cum illorum concupiscentiis remota sunt.* Quod continuum Divinae Providentiae Domini sit conjungere hominem Sibi et Se illi, et quod illa conjunctio sit quae vocatur reformatio et regeneratio, et quod inde homini sit salvatio, supra (n. 27–45,) ostensum est. Quis non videt, quod conjunctio cum Deo sit vita aeterna et salvatio? Hoc videt omnis qui credit, quod homines a creatione sint imagines et similitudines Dei (*Gen.* i. 26, 27), et qui novit quid imago et similitudo Dei. [2.] Quis cui sana ratio est, dum ex rationalitate sua cogitat, et ex libertate sua vult cogitare, potest credere, quod tres Dii sint, aequales essentia, ac quod Divinum Esse seu Divina Essentia possit dividi? Quod Trinum sit in uno Deo, hoc potest cogitari et comprehendi, sicut comprehenditur anima et corpus in angelo ac in homine, ac procedens vitae ab illis. Et quia hoc Trinum in Uno datur solum in Domino, sequitur quod conjunctio erit cum Ipso. Utere rationali-

tate tua ac simul libertate cogitandi, et hanc veritatem in sua luce videbis; sed admitte prius, quod sit Deus, quodque sit caelum, et quod sit vita aeterna. [**3.**] Nunc quia Deus est unus, ac homo ex creatione factus est imago et similitudo Ipsius, et quia per amorem infernalem, ac per ejus concupiscentias, et harum jucunda, in amorem omnium malorum venit, ac inde imaginem et similitudinem Dei apud se destruxit, sequitur quod continuum Divinae Providentiae Domini sit, ut conjungat hominem Sibi et Se homini, et sic facere ut sit imago Ipsius. Quod hoc sit ob finem, ut Dominus homini dare queat felicia vitae aeternae, etiam sequitur, nam Divinus Amor talis est. [**4.**] Quod autem illa non possit dare, nec facere illum imaginem Sui, nisi homo sicut a se removeat peccata in externo homine, est quia Dominus non modo est Divinus Amor, sed etiam Divina Sapientia, ac Divinus Amor nihil facit nisi ex Divina sua Sapientia, et secundum illam. Quod homo non possit Ipsi conjungi, et sic reformari, regenerari et salvari, nisi ei liceat ex libero secundum rationem agere, per id enim homo est homo, est secundum Divinam Ipsius Sapientiam; et quicquid est secundum Divinam Domini Sapientiam, hoc quoque est Ipsius Divinae Providentiae.

124. His adjiciam duo arcana sapientiae angelicae, ex quibus videri potest qualis est Divina Proidventia: unum, quod Dominus nusquam agat in aliquod particulare apud hominem singillatim, nisi in omnia simul; alterum, quod Dominus agat ab intimis et ab ultimis simul. *Quod Dominus nusquam agat in aliquod particulare apud hominem singillatim, nisi in omnia ejus simul*, est quia omnia hominis in tali nexu sunt, et per nexum in tali forma, ut non sicut plura sed sicut unum agant. Quod in tali nexu et per nexum in tali forma sit homo quoad corpus, notum est. In simili forma ex connexu omnium est quoque mens humana, nam mens humana est spiritualis homo, et quoque est actualiter homo. Inde est quod spiritus hominis, qui est mens ejus in corpore, sit in omni forma homo; quare homo post mortem est aeque homo ut in mundo, modo cum discrimine, quod exuvias, quae fecerunt corpus ejus in mundo, rejecerit. [**2.**] Nunc quia forma humana talis est, ut omnes partes faciant com-

mune, quod sicut unum agit, sequitur quod unum non possit emoveri loco, ac mutari quoad statum, nisi in consensu reliquorum; nam si unum emoveretur loco et mutaretur quoad statum, pateretur forma, quae ut unum aget. Ex his patet, quod Dominus nusquam agat in aliquod particulare, nisi simul in omnia. Ita Dominus agit in universum caelum angelicum, quoniam universum caelum angelicum est in aspectu Domini ut unus Homo. Ita quoque agit Dominus in unumquemvis angelum, quia unusquisque angelus, est in minima forma caelum. Ita etiam agit in unumquemvis hominem, proxime in omnia mentis ejus, et per haec in omnia corporis ejus; nam mens hominis est ejus spiritus, et secundum conjunctionem cum Domino est angelus, ac corpus est obedientia. [**3.**] Sed probe observandum est, quod Dominus singillatim immo singularissime in omne particulare hominis etiam agat, sed simul per omnia formae ejus; at usque non mutat statum alicujus partis, seu alicujus rei in particulari, nisi toti formae convenienter. Sed de his plura in sequentibus dicentur, ubi demonstrabitur quod Divina Divini Providentia sit universalis quia in singularibus, et quod sit singularis quia est universalis. [**4.**] *Quod Dominus agat ab intimis et ab ultimis simul*, est quia sic et non aliter omnia et singula continentur in nexu, pendent enim intermedia successive ab intimis usque ad ultima, et in ultimis sunt illa simul; nam in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Tertia, ostensum est, quod in ultimo sit simultaneum omnium a primo. Ex eo etiam est, quod Dominus ab aeterno seu Jehovah in mundum venerit, ac ibi induerit et susceperit Humanum in ultimis, ut potuisset a primis et simul in ultimis esse, et sic a primis per ultima regere universum mundum, et sic salvare homines, quos secundum leges Divinae suae Providentiae, quae etiam sunt leges Divinae suae Sapientiae, salvare potest. Hoc itaque est, quod in Christiano orbe notum est, quod nullus mortalium salvari potuerit, nisi Dominus in mundum venerit, de quo videatur *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide* (n. 35). Inde est quod Dominus dicatur Primus et Ultimus.

125. Haec arcana angelica praemissa sunt, ut comprehendi possit, quomodo Divina Providentia Domini

operatur, ut conjungat hominem Sibi et Se homini; hoc non fit in aliquod particulare ejus singillatim, nisi in omnia ejus simul, et hoc fit ab intimo hominis et ab ultimis ejus simul. Intimum hominis est amor vitae ejus; ultima sunt illa quae in externo cogitationis sunt; intermedia sunt quae in interno cogitationis ejus sunt: quae qualia sunt apud hominem malum, in antecedentibus ostensum est; ex quibus iterum patet, quod Dominus ab intimis et ultimis simul non possit agere, nisi una cum homine, homo enim una cum Domino in ultimis est; quare sicut homo in ultimis, quae ejus arbitrii sunt, quia in ejus libero, agit, ita Dominus ab intimis ejus, et in successivis ad ultima agit. Illa quae in intimis hominis, et in successivis ab intimis ad ultima sunt, homini prorsus ignota sunt; et ideo homo prorsus nescit, quomodo et quid Dominus ibi operatur; sed quia illa cohaerent ut unam cum ultimis, ideo non homini necessarium est scire plus quam ut fugiat mala ut peccata, et spectet ad Dominum. Sic non aliter potest amor vitae ejus, qui a nativitate est infernalis, a Domino removeri, et loco ejus implantari amor vitae caelestis.

126. Quando amor vitae caelestis loco amoris vitae infernalis a Domino implantatus est, tunc loco concupiscentiarum mali et falsi implantantur affectiones boni et veri, ac loco jucundorum concupiscentiarum mali et falsi implantantur jucunda affectionem boni, et loco malorum amoris infernalis implantantur bona amoris caelestis. Tunc pro astutia implantatur prudentia, et pro cogitationibus malitiae implantantur cogitationes sapientiae. Ita homo generatur denuo, et fit novus. Quaenam bona loco malorum succedunt, videatur in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 67–73, n. 74–79, n. 80–86, n. 87–91): tum quod quantum homo fugit et aversatur mala ut peccata, tantum vera sapientiae amet (n. 32–41): et quod tantum fidem habeat, et spiritualis sit (n. 42–52).

127. Quod communis religio in universo Christiano orbe sit, ut homo exploret se, videat sua peccata, agnoscat illa, confiteatur illa coram Deo, et desistat ab illis, et quod hoc sit paenitentia, remissio peccatorum, et inde salvatio supra ex orationibus ante Sanctam Communionem praelectis in omnibus ecclesiis Christianis, ostensum est.

Idem etiam constare potest ex Fide, quae ab Athanasio nomen habet, quae etiam in universo Christiano orbe recepta est, ubi in fine haec verba sunt:

"Venturus est Dominus ad judicandum vivos et mortuos; in cujus adventu illi qui bona fecerunt, intrabunt in vitam aeternam, et qui mala fecerunt in ignem aeternum."

128. Quis non scit ex Verbo, quod quisque secundum facta sua sortiatur vitam post mortem? Aperi Verbum, lege illud, et clare videbis, sed remove tunc cogitationes a fide et a justificatione per illam solam. Quod Dominus in suo Verbo ubivis id doceat, sint haec pauca in testimonium:

"Omnis arbor quae non facit fructum bonum, exscindetur et in ignem conjicietur; quare ex fructibus eorum cognoscetis illos" (*Matth.* vii. 19, 20).

"Multi dicent Mihi in die illo, Domine, .. nonne per nomen tuum prophetavimus, ... et in nomine tuo multas virtutes fecimus? Sed tunc confitebor illis, Non novi vos, discedite a Me, operantes iniquitatem" (*Matth.* vii. 22, 23).

"Omnis .. qui audit verba mea et facit illa, comparabo [eum] viro prudenti, qui aedificavit domum super petra: .... at omnis audiens verba mea et non faciens illa, comparabitur viro stulto, qui aedificavit domum suam super" "humo absque fundamento" (*Matth.* vii. 24, 26; *Luc.* vi. 46–49).

[2.] "Venturus .. est Filius hominis in gloria Patris sui, ... et tunc reddet unicuique secundum facta ejus" (*Matth.* xvi. 27).

"Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus" (*Matth.* xxi. [1]43).

Jesus dixit, "Mater mea et fratres mei hi sunt, qui audiunt Verbum Dei et faciunt illud" (*Luc.* viii. 21).

"Tunc incipietis .. stare et pulsare januam, dicentes, Domine, .. aperi nobis: sed respondens, dicet" illis, "Non novi vos unde sitis, ... discedite a Me, omnes operarii iniquitatis" (*Luc.* xiii. 25–27).

"Exibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero mala fecerunt, in resurrectionem judicii" (*Joh.* v. 29).

[3.] "Scimus .. quod peccatores Deus non audiat, sed si quis Deum colit, et voluntatem Ipsius facit, hunc audit" ([*Joh.*] ix. 31).

"Si haec scitis, beati estis si feceritis illa" (*Joh.* xiii. 17).

"Qui habet praecepta mea, et facit illa, ille est qui amat Me, ... et Ego amabo illum, ... et ad illum veniam, et mansionem apud illum faciam" (*Joh.* xiv. 15, 21–24).

"Vos amici mei estis, si feceritis quaecunque mando vobis. .... Ego vos elegi ... ut ... fructus feratis, et fructus vester maneat" (*Joh.* xv. 14, 16).

[4.] Dominus dixit Johanni, "Scribe angelo Ephesinae Ecclesiae, Novi opera tua: .... habeo contra te, quod charitatem priorem reliqueris; .... age paenitentiam, et priora opera fac; si non, ... movebo candelabrum tuum e loco ejus" (*Apoc.* ii. 1, 2, 4, 5).

"Angelo Ecclesiae Smyrnaeorum scribe, Novi opera tua" (*Apoc.* ii. 8[, 9]).

"Angelo Ecclesiae in Pergamo scribe, ... Novi opera tua, paenitentiam age" (*Apoc.* ii. [12,] 13, 16).

"Angelo Ecclesiae in Thyatiris scribe, ... Novi opera tua, et charitatem, ... et opera tua posteriora plura primis" (*Apoc.* ii. [1]18, 19).
"Angelo Ecclesiae in Sardibus scribe, ... Novi opera tua, quod nomen habeas, quod vivas, sed mortuus es; .... non inveni opera tua perfecta coram Deo; ... paenitentiam age" (*Apoc.* iii. 1–3).
"Angelo Ecclesiae quae in Philadelphia scribe, Novi opera tua" (*Apoc.* iii. 7, 8).
"Angelo Ecclesiae Laodicensium scribe, Novi opera tua; .... age paenitentiam" (*Apoc.* iii. 14, 15, 19).
"¡Audivi vocem e caelo dicentem, Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur a nunc; .... opera illorum sequuntur illos" (*Apoc.* [2]xiv. 13).
"Liber apertus est, qui est vitae, et judicati sunt mortui, ... omnes secundum opera illorum" (*Apoc.* xx. 12, 13).
"Ecce venio cito, et merces mea Mecum, ut dem unicuique secundum opus ejus" (*Apoc.* xxii. 12).

Haec in Novo Testamento; [**5.**] plura adhuc sunt in Veteri, ex quo hoc unicum adducam:

"Sta in porta .. Jehovae, et proclama ibi verbum hoc: Sic dixit Jehovah Zebaoth Deus Israelis, Bonas reddite vias vestras, et opera vestra; .... ne confidite vobis super verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovae, Templum Jehovae, Templum Jehovae illi; .... num furando, occidendo, et adulterando, et jurando per mendacium; .... deinde venietis, et stabitis coram Me in domo hac, super qua nominatur nomen Meum, et dicetis, Erepti sumus, dum facitis .... abominationes illas; num spelunca latronum facta est Domus haec: etiam Ego, ecce vidi, dictum Jehovae" (*Jer.* vii. [3]2, 3, 4, 9–11).

Quod lex Divinae Providentiae sit, ut homo non per media externa cogatur ad cogitandum et volendum, ita ad credendum et amandum illa quae religionis sunt; sed ut homo semetipsum adducat, et quandoque cogat.

129. Haec lex Divinae Providentiae sequitur ex binis praecedentibus, quae sunt; Quod homo ex libero secundum rationem agat (de qua n. 71–99); et Quod hoc ex se, tametsi a Domino, ita sicut ex se (de qua n. 100–128). Et quia cogi, non est ex libero secundum rationem, et non est ex se, sed est ex non libero, et ex alio, quare haec lex Divinae Providentiae sequitur in ordine post binas priores. Quisque etiam novit, quod nemo cogi possit ad cogitandum quod non vult cogitare, et ad volen-

dum quod cogitat non velle, ita nec ad credendum quod non credit, et prorsus non quod non vult credere; ac ad amandum quod non amat, et prorsus non quod non vult amare. Spiritus enim hominis seu mens ejus in plena libertate est cogitandi, volendi, credendi et amandi; in qua libertate est ex influxu e mundo spirituali, qui non cogit, spiritus enim aut mens hominis in illo mundo est; non autem ex influxu e mundo naturali, qui non recipitur, nisi unum agant. [**2.**] Potest homo adigi ad dicendum, quod haec cogitet et velit, et quod haec credat et amet; sed si illa non affectionis et inde rationis ejus sunt aut fiunt, usque non cogitat, vult, credit et amat illa. Potest etiam homo cogi ad loquendem pro religione, et ad faciendum secundum illam, sed non potest cogi ad cogitandum pro illa ex aliqua fide, et ad volendum [pro] illa ex aliquo amore. Quisque etiam in regnis, in quibus justitia et judicium custodiuntur, cogitur ad non loquendum contra religionem, nec ad faciendum contra illam; sed usque nemo potest cogi ad cogitandum et volendum pro illa; nam in cujusvis libertate est cogitare cum inferno, et velle pro illo, tum etiam cogitare pro caelo, et velle pro illo; sed ratio docet qualis unus et qualis alter est, et qualis sors unum manet et qualis sors alterum, ac voluntati ex ratione est optio et electio. [**3.**] Ex his constare potest, quod externum non possit cogere internum: fit tamen quandoque, sed quod id damnosum sit, demonstrabitur in hoc ordine:

(i.) *Quod nemo reformetur per miracula et signa, quia cogunt.*
(ii.) *Quod nemo reformetur per visiones, et per loquelas cum defunctis, quia cogunt.*
(iii.) *Quod nemo reformetur per minas et poenas, quia cogunt.*
(iv.) *Quod nemo reformetur in statibus non rationalitatis et non libertatis.*
(v.) *Quod contra rationalitatem et libertatem non sit semetipsum cogere.*
(vi.) *Quod externus homo reformandus sit per internum, et non vicissim.*

130. (i.) *Quod nemo reformetur per miracula et signa, quia cogunt.*—Quod homini sit internum et externum cogitationis, et quod Dominus influat per internum cogitationis in externum ejus apud hominem, et sic doceat et

ducat illum, supra ostensum est; tum quod ex Divina Domini Providentia sit, ut homo ex libero secundum rationem agat. Utrumque hoc apud hominem periret, si miracula fierent, et homo per illa adigeretur ad credendum. Quod ita sit, rationaliter sic videri potest: Non negari potest, quin miracula inducant fidem ac fortiter persuadeant quod id sit verum, quod ille, qui miracula facit, dicit et docet; et quod hoc in initio ita occupet externum cogitationis hominis, ut id quasi vinciat et fascinet. Sed homo per id deprivatur binis suis facultatibus, quae vocantur rationalitas et libertas, ita quod [non] possit ex libero secundum rationem agere; et tunc non potest Dominus influere per internum in externum cogitationis ejus, nisi solum relinquere homini ex rationalitate sua confirmare illam rem, quae per miraculum fidei ejus facta est. [**2.**] Status cogitationis hominis talis est, ut ab interno cogitationis videat rem in externo cogitationis suae sicut in quodam speculo; nam, ut supra dictum est, homo potest videre suam cogitationem, quod non dari potest nisi a cogitatione interiore. Et cum videt rem sicut in speculo, potest etiam illam versare huc illuc, et formare illam, usque ut sibi appareat pulchra: quae res, si veritas est, comparari potest virgini aut juveni pulchris et vivis; at si homo rem illam non potest versare huc illuc, et formare illam, sed modo illam credere ex persuasione inducta per miraculum, si tunc veritas est, comparari potest virgini aut juveni sculptis ex lapide aut ligno, in quibus non vivum est: et quoque comparari potest objecto, quod jugiter coram visu est, quod solum spectatur et abscondit omne id quod utrinque a latere, et quod post illud est; tum comparari potest sono in aure continuo, qui aufert perceptionem harmoniae ex pluribus. Talis caecitas et surditas inducitur menti humanae per miracula. Simile est cum omni confirmato, quod non spectatur ex aliqua rationalitate antequam confirmatur.

131. Ex his constare potest, quod fides inducta per miracula, non sit fides, sed persuasio; non enim aliquod rationale est in illa, minus aliquod spirituale; est enim modo externum absque interno. Simile est cum omni quod homo ex fide illa persuasiva facit, sive agnoscat Deum, sive colat Ipsum domi aut in templis, sive benefa-

ciat. Cum solum miraculum inducit hominem ad agnitionem, cultum et pietatem, agit ille ex naturali homine, et non ex spirituali : nam miraculum infundit fidem per viam externam, et non per viam internam ; ita ex mundo, et non ex caelo ; et Dominus non per aliam viam intrat apud hominem quam per viam internam, quae est per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo ; et quia miracula claudunt hanc viam, ideo hodie nulla miracula fiunt.

132. Quod miracula talia sint, manifeste constare potest ex miraculis factis coram populo Judaico et Israelitico. Hi tametsi viderunt tot miracula in terra Aegypti, et postea ad mare Suph, ac in deserto alia, ac imprimis super monte Sinai, cum promulgata est Lex, et tamen post mensem dierum, cum Moses moratus est super illo monte, fecerunt sibi vitulum aureum, et agnoverunt illum pro Jehovah qui eduxit illos e terra Aegypti (*Exod.* xxxii. 4–6) : tum etiam ex miraculis postea in terra Canaane factis ; et tamen toties a cultu mandato recesserunt : pariter ex miraculis, quae Dominus, cum fuit in mundo, coram illis fecit ; et tamen crucifixerunt Ipsum. [**2.**] Quod miracula apud illos facta fuerint, erat causa, quia Judaei et Israelitae erant prorsus externi homines, ac in terram Canaanem introducti sunt, ut solum repraesentarent ecclesiam ac interna ejus per externa cultus, et repraesentare potest aeque malus homo quam bonus ; nam externa sunt ritualia, quae omnia apud illos significabant spiritualia et caelestia : immo Aharon, tametsi fecit vitulum aureum, ac mandavit cultum ejus (*Exod.* xxxii. 2–5, 35), usque potuit repraesentare Dominum et opus salvationis Ipsius. Et quia per interna cultus non potuerunt adduci ad illa repraesentanda, ideo per miracula ad id adducebantur, immo adigebantur et cogebantur. [**3.**] Quod non potuerint adduci per interna cultus, erat causa, quia non agnoscebant Dominum, tametsi totum Verbum, quod apud illos erat, de Ipso solo agit ; et qui non agnoscit Dominum, ille non potest recipere aliquod internum cultus. At postquam Dominus Se manifestavit, ac receptus et agnitus est pro Deo aeterno in ecclesiis, cessaverunt miracula.

133. Sed alius effectus miraculorum est apud bonos quam apud malos. Boni non volunt miracula, sed credunt miracula quae in Verbo sunt. Et si audiunt aliquid de

miraculo, non attendunt aliter ad illud quam sicut ad leve argumentum quod confirmat fidem eorum; nam illi a Verbo, ita a Domino cogitant, et non ex miraculo. Aliter vero mali: illi quidem per miracula possunt adigi et cogi ad fidem, immo ad cultum et ad pietatem, sed solum ad paucum tempus; nam mala eorum inclusa sunt, quorum concupiscentiae et inde jucunda continue agunt in externum cultus et pietatis eorum, ac ut exeant e claustro suo et erumpant, [1]cogitant de miraculo, et tandem vocant illud ludibrium vel artificium, vel opus naturae, et sic redeunt in sua mala: et qui redit in sua mala post cultum, ille profanat vera et bona cultus, ac profanatorum sors post mortem est omnium pessima. Hi sunt qui intelliguntur per Domini verba apud *Matthaeum* (xii. 43–45), quorum status posterior fit pejor priori. Praeterea si miracula apud illos, qui non credunt ex miraculis in Verbo, fierent, continue fierent, et coram visu apud omnes tales. Ex his constare potest, unde est quod miracula hodie non fiant.

134[*a*]. (ii.) *Quod nemo reformetur per visiones et per loquelas cum defunctis, quia cogunt.*—Visiones sunt duplicis generis, Divinae et diabolicae. Visiones Divinae fiunt per repraesentativa in caelo; ac visiones diabolicae fiunt per magica in inferno. Sunt etiam visiones phantasticae, quae sunt ludificationes mentis abstractae. Visiones Divinae, quae, ut dictum est, fiunt per repraesentativa in caelo, sunt quales fuerunt prophetis; qui, cum in illis erant, non erant in corpore, sed in spiritu; nam visiones non possunt apparere alicui homini in vigilia corporis sui. Quare cum apparuerunt prophetis, dicitur etiam quod tunc fuerint in spiritu; ut patet a sequentibus his. Ezechiel dicit,

> "Spiritus sustulit me, et reduxit me in Chaldaeam ad captivitatem in visione Dei, in spiritu Dei; ita ascendit super me Visio quam vidi" ([*Ezech.*] xi. 1, 24);
> Tum quod sustulerit illum Spiritus inter terram et caelum, et abduxerit in Hierosolymam in visionibus Dei (viii. 3, seq.);
> Similiter fuit in visione Dei seu spiritu, cum vidit quatuor animalia, quae erant cherubi (i. et x.);
> Ut et, cum vidit novum templum et novam terram, et angelum metientem illa (xl.–xlviii.);

quod tunc fuerit in visionibus Dei, dicit, cap. xl. 2, 26; et

quod in spiritu, cap. xliii. 5. [**2.**] In simili statu fuit Sacharias,

Cum vidit virum equitantem inter myrtos ([*Sach.*] i. 8, seq.);
Cum vidit quatuor cornua [(i. 18)], et virum in cujus manu funiculus mensurae (ii. 1–3, seq.);
Cum vidit candelabrum et duas oleas (iv. 1, seq.);
Cum vidit volumen volans, et epham (v. 1, 6).
Cum vidit quatuor currus exeuntes inter [1]duos montes, et equos (vi. 1, seq.).

In simili statu fuit Daniel,

Cum vidit quatuor bestias ascendentes e mari ([*Dan.*] [2]vii. 1, seq.);
Et cum vidit pugnas arietis et hirci (viii. 1, seq.);

quod viderit illa in visione spiritus sui dicitur cap. vii. 1, 2, 7, 13; viii. 2; x. 1, 7, 8: et quod Angelus Gabriel ei visus sit in visione, cap. ix. 21. [**3.**] In visione spiritus etiam fuit Johannes cum vidit illa quae descripsit in *Apocalypsi:*

Ut cum vidit septem candelabra, et in medio illorum Filium hominis (i. 12–16).
Cum vidit Thronum in caelo, et Sedentem super Throno, et quatuor animalia, quae erant cherubi, circum illum (iv.).
Cum vidit librum vitae acceptum ab Agno (v.).
Cum vidit equos exeuntes e libro (vi.).
Cum vidit septem angelos cum tubis (viii.).
Cum vidit puteum abyssi apertum, et locustas inde exeuntes (ix.).
Cum vidit draconem, et pugnam ejus cum Michaele (xii.).
Cum vidit binas bestias, unam e mari, alteram e terra, ascendentes (xiii.).
Cum vidit mulierem sedentem super bestia coccinea (xvii.).
Et Babylonem destructam (xviii.).
Cum vidit Equum album, et Sedentem super illo ([3]xix.).
Cum vidit caelum novum et terram novam, et sanctam Hierosolymam descendentem e caelo (xxi.).
Et cum vidit fluvium aquae vitae (xxii.).

Quod viderit illa in visione spiritus, dicitur cap. i. [4]10; iv. 2; v. 1; vi. 1; xxi. [5]1, 2. Tales fuerunt visiones, quae apparuerunt e caelo, coram visu spiritus illorum, et non coram visu corporis eorum. Tales non exstant hodie, nam si exstarent, non intelligerentur, quia fiunt per repraesentativa, quorum singula significant interna ecclesiae, et arcana caeli. Quod etiam cessaturae sint cum Dominus in mundum venit, praedicitur a Daniele, cap. [6]ix. 24. *Visiones* autem *diabolicae* quandoque exstiterunt, inductae per spiritus enthusiasticos, et visionarios, qui ex delirio, in quo sunt, vocaverunt se Spiritum Sanctum. Sed illi spiritus nunc a Domino collecti sunt, et

dejecti in infernum separatum ab infernis aliorum. Ex his patet, quod non aliquis per visiones alias quam quae in Verbo sunt, reformari possit. Sunt quoque *visiones phantasticae*, sed illae sunt merae ludificationes mentis abstractae.

134[*b*]. Quod nec aliquis per loquelas cum defunctis reformetur, constat ex Domini verbis de divite in inferno, et de Lazaro in sinu Abrahami; dixit enim dives,

> "Rogo te, pater" Abraham, "ut mittas" Lazarum "in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut contestetur illis, ne etiam illi veniant in locum hunc cruciatus. Dixit illi Abraham, Habent Mosen et Prophetas, audiunto illos. Is vero dixit, Non patre Abraham, sed si quis ex mortuis venit ad illos, paenitentiam agerent. Respondit . . illi, Si Mosen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, persuadebuntur" (*Luc.* xvi. 27–31).

Loquela cum mortuis similem effectum ederet, quem miracula, de quibus mox supra; quod nempe homo persuaderetur ac adigeretur ad cultum per paucum tempus; sed quia hoc orbat hominem rationalitate, et simul includit mala, ut supra dictum est, solvitur hoc fascinum seu vinculum internum, ac erumpunt mala inclusa, cum blasphemia et profanatione: sed hoc fit solum quando spiritus inducunt aliquod dogmaticum religionis; quod nusquam fit ab aliquo spiritu bono, minus ab aliquo angelo caeli.

135. At usque datur loquela cum spiritibus, sed raro cum angelis caeli, ac data est multis a saeculis retro; at cum datur, loquuntur cum homine in ejus vernacula, sed solum paucas voces: sed illi qui loquuntur ex permissione Domini, nusquam loquuntur aliquid quod tollit liberum rationis, nec docent; solus enim Dominus docet hominem, sed mediate per Verbum in illustratione, de qua in sequentibus. Quod ita sit, ex propria experientia datum est scire. Loquela mihi fuit cum spiritibus et cum angelis nunc per plures annos; nec ausus est aliquis spiritus, nec voluit aliquis angelus, mihi quicquam dicere, minus instruere de aliquibus in Verbo, aut de aliquo doctrinali ex Verbo; sed docuit me solus Dominus, qui mihi revelatus est, et postea ut Sol in quo Ipse, ante oculos meos continue apparuit et apparet, quemadmodum apparet angelis, et illustravit.

136. (iii.) *Quod nemo reformetur per minas et poenas, quia cogunt.*—Notum est, quod externum non possit cogere internum, sed quod internum possit cogere externum: tum notum est, quod internum ita renuat coactum ab externo, ut avertat se. Et quoque notum est, quod jucunda externa allectent internum ad consensum et ad amorem: notum etiam esse potest, quod detur internum coactum ac internum liberum. Sed haec omnia, tametsi nota sunt, usque illustranda sunt; sunt enim plura, quae dum audiuntur, statim percipiuntur quod ita sit, quia sunt vera, et inde affirmantur; sed si non simul per rationes confirmantur, possunt per argumentationes ex fallaciis infirmari, et tandem negari. Quare illa, quae nunc dicta sunt ut nota, reassumenda sunt, et rationaliter confirmanda. [**2.**] Primo, *Quod externum non possit cogere internum, sed quod internum possit cogere externum.*—Quis potest cogi ad credendum et ad amandum? Ad credendum non aliquis plus potest cogi, quam ad cogitandum quod ita sit, cum non ita cogitat; et ad amandum non aliquis plus potest cogi quam ad volendum quod non vult: fides etiam est cogitationis, et amor est voluntatis. Sed internum per externum cogi potest, ne loquatur male contra leges regni, mores vitae, et sanctitates ecclesiae; internum ad hoc per minas et poenas potest cogi, et quoque cogitur et cogendum est. Sed hoc internum non est internum proprie humanum; sed est internum quod homo commune habet cum bestiis, quae etiam possunt cogi. Internum humanum residet supra hoc internum animale. Internum humanum hic intelligitur, quod non cogi potest. [**3.**] Secundo, *Quod internum ita renuat coactum ab externo, at avertat se.*—Causa est, quia internum vult in libero esse, et amat liberum; liberum enim est amoris seu vitae hominis, ut supra ostensum est; quare dum liberum sentit se cogi, retrahit se quasi in se, et avertit se, et spectat coactum sicut suum inimicum; amor enim qui facit vitam hominis, exacerbatur, ac facit ut homo cogitet quod sic non suus sit, consequenter quod non vivat sibi. Quod internum hominis tale sit, est ex lege Divinae Providentiae Domini ut homo ex libero secundum rationem agat. [**4.**] Ex his patet, quod damnosum sit, homines ad cultum Divinum per minas et poenas

cogere. Sed sunt qui patiuntur se ad religionem cogi, et sunt qui non patiuntur. Qui patiuntur se ad religionem cogi, sunt multi ex gente Pontificia; sed hoc fit apud illos, apud quos nihil interni est in cultu, sed omne externum. Qui non patiuntur se cogi, sunt multi ex gente Anglica; ex hoc fit quod internum sit in cultu eorum, et quod in externo est, sit ab interno. Interiora horum quoad religionem in luce spirituali apparent sicut candidae nubes; at interiora priorum quoad religionem in luce caeli apparent sicut furvae nubes. Utrumque hoc datur videri in mundo spirituali, et qui vult visurus est, dum in illum mundum post mortem venit. Praeterea, cultus coactus includit mala, quae tunc latent sicut ignes in lignis sub cinere, qui se continue fomentant et dilatant, usque dum erumpunt in incendium: at cultus non coactus sed spontaneus non includit mala; quare sunt sicut ignes, qui statim efflagrant et dissipantur. Ex his patet, quod internum ita renuat coactum, ut avertat se. Quod internum cogere possit externum, est quia internum est sicut dominus, ac externum sicut famulus. [**5.**] Tertio, *Quod jucunda externa allectent internum ad consensum, et quoque ad amorem.*—Jucunda sunt duplicis generis, jucunda intellectus et jucunda voluntatis; jucunda intellectus sunt etiam jucunda sapientiae, et jucunda voluntatis sunt etiam jucunda amoris; nam sapientia est intellectus, et amor est voluntatis. Nunc quia jucunda corporis et ejus sensuum, quae sunt jucunda externa, unum agunt cum jucundis internis, quae sunt intellectus et voluntatis, sequitur quod sicut internum renuit coactum ab externo, usque ut avertat se, ita internum grate aspiciat jucundum in externo, usque ut vertat se ad illud; sic fit consensus a parte intellectus, et amor a parte voluntatis. [**6.**] Omnes infantes in mundo spirituali in sapientiam angelicam, et per illam in amorem caelestem, per jucunda et amoena a Domino introducuntur; primum per pulchra in domibus, et per amoena in hortis: deinde per repraesentativa spiritualium, quae interiora mentis eorum voluptate afficiunt; et demum per vera sapientiae, et sic per bona amoris: ita continue per jucunda in suo ordine; primum per jucunda amoris intellectus et ejus sapientiae, et demum per jucunda amoris voluntatis, qui

fit amor vitae eorum, sub quo reliqua, quae per jucunda intraverunt, subordinata tenentur. [**7.**] Hoc fit, quia omne intellectus et voluntatis formandum est per externum, antequam formatur per internum ; omne enim intellectus et voluntatis formatur primum per illa quae intrant per sensus corporis, imprimis per visum et auditum : at cum primus intellectus et prima voluntas formata sunt, tunc internum cogitationis spectat illa ut externa cogitationis suae, et vel conjungit se cum illis, vel separat se ab illis ; conjungit se cum illis si jucunda sunt, et separat se ab illis si non sunt. [**8.**] At probe sciendum est, quod internum intellectus non conjungat se cum interno voluntatis, sed quod internum voluntatis se conjungat cum interno intellectus, ac faciat ut conjunctio reciproca sit ; sed hoc fit ab interno voluntatis, et ne hilum ab interno intellectus. Inde est, quod homo non per solam fidem possit reformari, sed per amorem voluntatis, qui facit sibi fidem. [**9.**] Quarto, *Quod detur internum coactum ac internum liberum.* —Internum coactum datur apud illos, qui in solo cultu externo et nullo interno sunt ; internum eorum enim est id cogitare et velle, ad quod externum cogitur. Hi sunt qui in cultu hominum vivorum et mortuorum sunt, et inde in cultu idolorum, inque fide miraculorum ; apud hos non datur aliud internum, quam quod simul externum est. Apud illos autem qui in interno cultus sunt, datur internum coactum ; unum ex timore, et alterum ex amore : internum coactum ex timore, est apud illos, qui in cultu sunt ex timore cruciatus inferni et ejus ignis ; sed hoc internum non est internum cogitationis, de quo prius actum est, sed externum cogitationis, quod hic vocatur internum quia est cogitationis : internum cogitationis, de quo prius actum est, non potest cogi ab aliquo timore ; sed potest cogi ab amore et a timore jacturae ejus. Timor Dei in genuino sensu non aliud est. Cogi ab amore et a timore jacturae ejus, est semetipsum cogere ; quod semetipsum cogere non sit contra libertatem et rationalitatem, videbitur infra.

137. Ex his constare potest, qualis est cultus coactus, et cultus non coactus. Cultus coactus est cultus corporeus, inanimatus, obscurus, et tristis : corporeus quia est corporis et non mentis ; inanimatus quia non vita est in

illo; obscurus quia non est intellectus in illo; et tristis quia non est jucundum caeli in illo. At cultus non coactus, dum genuinus est, est cultus spiritualis, vivus, lucidus, et laetus; spiritualis quia est spiritus a Domino in illo; vivus quia est vita a Domino in illo; lucidus quia est sapientia a Domino in illo; et laetus quia est caelum a Domino in illo.

138. (iv.) *Quod nemo reformetur in statibus non rationalitatis et non libertatis.*—Supra ostensum est, quod nihil approprietur homini, nisi quod ille ex libero secundum rationem agit. Causa est, quia liberum est voluntatis, et ratio est intellectus; et cum homo ex libero secundum rationem agit, tunc ex voluntate per suum intellectum agit, et quod fit in conjunctione utriusque, hoc appropriatur. Nunc quia Dominus vult, ut homo reformetur et regeneretur, ut ei vita aeterna seu vita caeli sit, et nemo reformari ac regenerari potest nisi bonum approprietur ejus voluntati ut sit sicut ejus, ac verum ejus intellectui ut quoque sit sicut ejus, et quia nihil appropriari potest alicui nisi quod ex libero voluntatis secundum rationem intellectus fit, sequitur quod nemo reformetur in statibus non libertatis et non rationalitatis. Status non libertatis et non rationalitatis sunt plures; sed referri possunt in genere ad hos: ad *status timoris*, *infortunii*, *aegritudinis animi*, *morbi corporis*, *ignorantiae*, *et occaecationis intellectus*. Sed de unoquovis statu aliquid in specie dicetur.

139. Quod nemo reformetur in *statu timoris*, est quia timor aufert liberum et rationem, seu libertatem et rationalitatem; amor enim aperit interiora mentis, sed timor claudit illa; et cum clausa sunt, homo pauca cogitat, et non nisi quam quae tunc animo aut sensibus se offerunt. Omnes timores qui invadunt animum, tales sunt. [**2.**] Quod homini sit internum cogitationis ac externum cogitationis, supra ostensum est: timor nusquam potest invadere internum cogitationis; hoc semper in libero est, quia in amore suae vitae; sed potest invadere externum cogitationis, et cum hoc invadit, clauditur internum cogitationis, quo clauso homo non amplius ex libero secundum rationem suam potest agere; ita non reformari. [**3.**] Timor qui invadit externum cogitationis et claudit internum, est praecipue timor jacturae honoris aut lucri; timor

autem pro poenis civilibus et pro poenis ecclesiasticis externis, non claudit, quia illae leges solum poenas dictant pro illis qui loquuntur et faciunt contra civilia regni et spiritualia ecclesiae, non autem pro illis qui cogitant contra illa. [**4.**] Timor pro poenis infernalibus quidem invadit externum cogitationis, sed modo per aliquot momenta, aut horas, aut dies; sed mox remittitur illud in suum liberum ex interno cogitationis, quod est proprie ejus spiritus et amoris vitae, et vocatur cogitatio cordis. [**5.**] At timor pro jactura honoris et lucri invadit externum cogitationis hominis; et cum invadit, tunc claudit internum cogitationis a superiori pro influxu e caelo, et facit ut homo non reformari possit. Causa est, quia amor vitae cujusvis hominis a nativitate est amor sui et mundi; ac amor sui unum facit cum amore honoris, amor mundi unum facit cum amore lucri: quare cum homo in honore aut in lucro est, ex timore pro jactura illorum, confirmat apud se media, quae inserviunt illi pro honore et lucro, quae sunt tam civilia quam ecclesiastica, utraque imperii. Similiter facit, qui nondum in honore aut lucro est, si ad illa aspirat, sed ex timore pro jactura famae propter illa. [**6.**] Dicitur, quod timor ille invadat cogitationis externum, et claudat internum a superiori pro influxu e caelo: hoc clausum dicitur quando prorsus unum facit cum externo, nam tunc non est in se, sed in externo. At quia amores sui et mundi sunt amores infernales, et scaturigines omnium malorum, patet quale est internum cogitationis in se, apud quos illi amores sunt amores vitae seu regnant; quod nempe sit plenum concupiscentiis malorum omnis generis. Hoc non sciunt illi, qui ex timore jacturae dignitatis et opulentiae in forti persuasione sunt de religioso in quo sunt, maxime in religioso quod involvit ut colantur sicut numina, et simul sicut Plutones in inferno; hi possunt sicut zelo flagrare pro salute animarum, et hoc tamen ex igne infernali. Quia hic timor imprimis tollit ipsam rationalitatem et ipsam libertatem, quae caelestes ex origine sunt, patet quod ille obstet, quin homo reformari possit.

140. Quod nemo reformetur in *statu infortunii*, si tunc modo cogitat de Deo, et implorat opem, est quia status coactus est; quare dum in statum liberum venit, in sta-

tum priorem, in quo parum si quicquam cogitaverat de Deo, redit. Aliter illi qui in statu libero prius timuerunt Deum. Per timere Deum intelligitur timere Ipsum offendere, ac Ipsum offendere est peccare; et hoc non est timoris sed est amoris; quisnam qui aliquem amat, non timet ei malefacere? et quo plus amat eo plus hoc timet? Absque hoc timore est amor insulsus et cutaneus; solius cogitationis et nullius voluntatis. Per status infortunii intelliguntur status desperationis ex periculis, ut in praeliis, duelliis, naufragiis, lapsibus, incendiis, imminente aut inopinata jactura opum, tum muneris et inde honoris, et in similibus aliis. In his solis de Deo cogitare, non est ex Deo, sed ex semet: est enim tunc mens in corpore quasi incarcerata, ita non in libertate, et inde nec in rationalitate, sine quibus non datur reformatio.

141. Quod nemo reformetur in *statu aegritudinis animi*, est quia aegritudo animi tollit rationalitatem, et inde liberum agendi secundum rationem; est enim mens aegra et non sana, et mens sana est rationalis, non autem mens aegra. Tales aegritudines sunt melancholiae, conscientiae spuriae et falsae, phantasiae varii generis, dolores animi ex infortuniis, anxietates et angores mentis ex vitio corporis, quae quandoque reputantur pro tentationibus, sed non sunt; quia genuinae tentationes pro objectis habent spiritualia, et in his mens sapit, at illae pro objectis habent naturalia, et in his mens insanit.

142. Quod nemo reformetur in *statu morbi corporis*, est quia ratio tunc non est in statu libero, pendet enim status mentis a statu corporis. Cum corpus aegrotat, etiam mens aegrotat, si non aliter, usque ex remotione a mundo; nam mens remota a mundo cogitat quidem de Deo, sed non a Deo, non enim est in libero rationis. Liberum rationis est homini ex eo, quod sit in medio inter caelum et mundum, et quod possit ex caelo cogitare et ex mundo; tum ex caelo de mundo, et ex mundo de caelo. Quando itaque homo in morbo est, et cogitat de morte, ac de statu suae animae post mortem, tunc non in mundo est, et est abstractus spiritu, in quo statu solo nemo reformari potest; sed potest confirmari, si prius quam in morbum incidit, reformatus est. [**2.**] Simile est cum illis qui abdicant mundum et omne negotium ibi, et se dant

solum cogitationibus de Deo, caelo et salute, sed de hac re alibi plura. Quare iidem, si non ante morbum reformati sunt, post illum, si moriuntur, fiunt quales fuerunt ante morbum: quare vanum est cogitare, quod aliqui possint paenitentiam agere, aut aliquam fidem recipere in morbis; nam nihil actionis est in illa paenitentia, et nihil charitatis in illa fide; quare est omne oris et nihil cordis in utraque.

143. Quod nemo reformetur in *statu ignorantiae*, est quia omnis reformatio fit per vera et per vitam secundum illa, quare illi qui non sciunt vera, non possunt reformari: sed si desiderant illa ex affectione illorum, reformantur in mundo spirituali post mortem.

144. Quod nec aliquis reformari queat in *statu occaecationis intellectus*. Hi quoque non sciunt vera, et inde nec vitam, nam intellectus docebit illa, ac voluntas faciet illa; et cum voluntas facit quod intellectus docit, tunc fit ei vita secundum vera. Cum autem intellectus occaecatus est, etiam voluntas obturata est, et non agit ex libero secundum rationem suam aliud quam malum confirmatum in intellectu, quod est falsum. Praeter ignorantiam, etiam intellectum occaecat religio quae docet fidem caecam: tum doctrina falsi; nam sicut vera aperiunt intellectum, sic falsa occludunt illum: occludunt superius, sed aperiunt illum inferius; et intellectus solum infra apertus, non potest videre vera, sed modo confirmare quicquid vult, imprimis falsum. Intellectus etiam occaecatur per cupiditates mali; quamdiu voluntas in illis est, agit intellectum ad confirmandum illas; et quantum confirmantur cupiditates mali, tantum voluntas non potest esse in affectionibus boni, et ex illis videre vera, et sic reformari. [**2.**] Ut pro exemplo: qui in cupiditate adulterii est, ejus voluntas, quae est, in jucundo amoris ejus, agit intellectum suum ad confirmandum illud, dicendo, Quid adulterium? Num in illo aliquod malum? Estne simile inter maritum et ejus uxorem? Potestne ex adulterio aeque nasci proles? Potestne mulier admittere plures absque damno? Quid commune habet spirituale cum hoc? Ita intellectus, qui tunc est scortum voluntatis, cogitat, ac tam stupidus factus ex stupro cum voluntate, ut non videre possit, quod amor conjugialis sit ipse spiritualis caelestis amor,

qui est imago amoris Domini et ecclesiae, a quo etiam derivatur; et sic quod in se sanctus sit, ipsa castitas, puritas et innocentia; et quod faciat homines amores in forma, nam conjuges amare se mutuo possunt ab intimis, et sic formare se in amores: et quod adulterium destruat hanc formam, et cum illa imaginem Domini; et quod horrendum est, quod adulter commisceat vitam suam cum vita mariti in ejus uxore: in semine est vita hominis. [**3.**] Et quia hoc profanum est, ideo infernum vocatur adulterium, et vicissim caelum vocatur conjugium. Etiam amor adulterii communicat cum infimo inferno, at amor vere conjugialis cum intimo caelo; membra generationis utriusque sexus etiam correspondent societatibus intimi caeli. Haec allata sunt, ut sciatur, quam occaecatus est intellectus quando voluntas est in cupiditate mali; et quod in statu occaecationis intellectus nemo reformari possit.

145. (v.) *Quod contra rationalitatem et libertatem non sit semetipsum cogere.*—Prius ostensum est, quod homini sit internum cogitationis et externum cogitationis, et quod illa distincta sint sicut prius et posterius, seu sicut superius et inferius; et quia ita distincta sunt, quod possint separatim agere, et possint conjunctim agere; separatim agunt quando homo ab externo cogitationis suae loquitur et facit aliter quam interius cogitat et vult; et conjunctim agunt, quando loquitur et facit quod interius cogitat et vult; hoc commune est apud sinceros, illud autem apud insinceros. [**2.**] Nunc quia internum et externum mentis ita distincta sunt, potest etiam internum pugnare cum externo, et hoc per pugnam adigere ad consensum. Pugna existit, quando homo cogitat mala esse peccata et ideo vult desistere ab illis; nam quando desistit, aperitur porta; qua aperta a Domino ejiciuntur concupiscentiae mali, quae internum cogitationis [1]obsederunt, et loco illarum implantantur affectiones boni. Hoc in interno cogitationis. Sed quia jucunda concupiscentiarum mali, quae externum cogitationis obsident, non simul ejici possunt, ideo pugna existit inter internum et externum cogitationis; internum vult ejicere jucunda illa, quia sunt jucunda mali, et non concordant cum affectionibus boni, in quibus nunc internum est, et loco jucundorum

mali inferre jucunda boni, quae corcordant; jucunda boni sunt quae vocantur bona charitatis. Ex hac contrarietate oritur pugna, quae si ingravescit, vocatur tentatio. [**3.**] Nunc quia homo est homo ex interno cogitationis suae, hoc enim est ipse spiritus hominis, constat quod homo se ipsum cogat, cum cogit externum suae cogitationis ad consensum, seu ad recipiendum affectionum suarum jucunda, quae sunt bona charitatis. Quod hoc non sit contra rationalitatem, et libertatem, sed secundum illas, patet; nam rationalitas facit illam pugnam, libertas exsequitur illam: ipsa etiam libertas cum rationalitate residet in interno homine, et ab hoc in externo. [**4.**] Quando itaque internum vincit, quod fit cum internum ad consensum et obsequium redegerat externum, tunc a Domino datur homini ipsa libertas et ipsa rationalitas; nam tunc homo a Domino aufertur a libero infernali, quod in se est servum, ac infertur in liberum caeleste, quod in se est ipsum liberum, et datur ei consociatio cum angelis. Quod servi sint, qui in peccatis, et quod Dominus liberos faciat, qui per Verbum veritatem recipiunt ap Ipso, docet Ipse apud *Johannem* (viii. 31–36).

146. Sit exemplum illustrationi: Homo qui jucundum in defraudationibus et clandestinis furtis perceperat, ac videt et interius agnoscit quod peccata sint, et propterea vult desistere ab illis; cum desistit, tunc oritur pugna interni hominis cum externo. Internus homo in affectione sinceritatis est, sed externus adhuc in jucundo defraudationis; quod jucundum, quia est prorsus oppositum jucundo sinceritatis, non recedit, nisi cogatur, nec cogi potest nisi per pugnam; et tunc cum vincit, externus homo in jucundum amoris sinceri, qui est charitas, venit; postea successive jucundum defraudationis fit ei injucundum. Simile est cum reliquis peccatis, ut cum adulteriis et scortationibus, vindictis et odiis, blasphemationibus et mendaciis. Sed omnium difficillima pugna est cum amore dominandi ex amore sui: qui hunc subjugat, facile subjugat reliquos amores malos, quia ille est eorum caput.

147. Paucis etiam tradetur, quomodo Dominus ejicit concupiscentias mali, quae internum hominem a nativitate obsident, et loco illarum indit affectiones boni, quando

homo sicut a se removet mala ut peccata. Ostensum prius est, quod homini sit mens naturalis, mens spiritualis, et mens caelestis; et quod homo in sola mente naturali sit, quamdiu in concupiscentiis mali et illarum jucundis est, et quod tamdiu mens spiritualis clausa sit. Ut primum vero homo post explorationem agnoscit mala ut peccata contra Deum, quia contra leges Divinas, ac ideo vult desistere ab illis, tunc Dominus aperit spiritualem mentem, ac intrat in naturalem per affectiones veri et boni, ac intrat in rationale, et ex illo disponit in ordinem illa, quae inferius in naturali contra ordinem sunt. Hoc est quod apparet homini sicut pugna, et apud illos qui multum indulserunt jucundis mali, ut tentatio, fit enim dolor animo, cum invertitur ordo cogitationum ejus. Nunc quia est pugna contra illa quae in ipso homine sunt, et quae homo sentit sicut sua, et nemo potest contra se pugnare nisi ex interiori se, et nisi ex libero ibi, sequitur quod internus homo tunc pugnet contra externum, et quod ex libero, et quod cogat externum ad obedientiam; hoc itaque est cogere se ipsum. Quod hoc non sit contra libertatem et rationalitatem, sed secundum lilas, patet.

148. Praeterea omnis homo vult liber esse, ac non liberum seu servum a se removere. Omnis puer qui sub magistro est, vult sui juris esse et sic liber; omnis famulus sub suo domino, et ancilla sub sua domina, similiter; omnis virgo vult exire domo patris et nubere, ut libere in suamet domo agat; omnis adolescens qui vult operari, vel negotiari, vel fungi aliquo officio, dum in servitute sub aliis est, vult emancipari, ut sui arbitrii sit. Omnes illi qui sponte serviunt propter libertatem, cogunt se ipsos; et cum se ipsos cogunt, ex libero secundum rationem agunt, sed ex interiori libero, a quo spectatur exterius liberum sicut servum. Hoc adductum est, ad confirmandum quod semetipsum cogere non sit contra rationalitatem et libertatem.

149. Quod homo non similiter velit venire e servitute spirituali in libertatem spiritualem, est una causa, quod non sciat quid servum spirituale, et quid liberum spirituale; non ei sunt vera quae docent; et absque veris creditur quod servum spirituale sit liberum, et liberum spirituale sit servum. Altera causa est, [1]quia religio

Christiani orbis occlusit intellectum, et sola fides obsignavit illum ; nam utraque sicut murum ferreum circum se posuit id dogma, quod theologica transcendant, et quod ideo non ex aliqua rationalitate adeunda sint, et quod sint [1]pro caecis et non pro videntibus ; per id abscondita sunt vera, quae docerent quid libertas spiritualis. Tertia causa est, quia pauci explorant se, et vident sua peccata ; et qui non videt illa, et desistit ab illis, in libero illorum est, quod est liberum infernale, in se servum ; et ex hoc videre liberum caeleste, quod est ipsum liberum, est sicut videre in caligine diem, et sub atra nube id quod a sole supra est. Inde est, quod nesciatur quid liberum caeleste, et quod discrimen inter illud et inter liberum infernale sit sicut discrimen inter vivum et mortuum.

150. (vi.) *Quod externus homo reformandus sit per internum, et non vicissim.*—Per internum et externum hominem idem intelligitur quod per internum et externum cogitationis, de quo saepius prius. Quod externum reformetur per internum, est quod internum influat in externum, et non vicissim. Quod detur influxus spiritualis in naturalem, et non vicissim, in erudito orbe notum est : et quod internus homo primum purificandus et innovandus sit, et sic externus, in ecclesia notum est ; quod notum sit, est quia Dominus [docet], et ratio dictat. Dominus hoc docet his verbis :

> "Vae vobis...., hypocritae, quia purgatis exterius poculi et patinae, interiora vero sunt plena rapina et intemperantia. Pharisaee caece, purga prius interius poculi et patinae, ut fiat etiam exterius mundum" (*Matth.* xxiii. 25, 26).

[**2.**] Quod ratio dictet, multis in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, ostensum est. Quod enim Dominus docet, dat etiam homini ratione percipere ; et hoc binis modis ; uno quod videat in se, quod ita sit ut primum id audit ; altero, quod per rationes id intelligat. Videre in se est in interno suo homine, ac intelligere per rationes est in externo homine. Quis non videt in se cum audit, quod internus homo primum purificandus sit, et per illum externus? Sed qui non communem ideam de hac re ex influxu e caelo recipit, potest hallucinari cum consulit externum cogitationis suae ; ex hoc solo nemo videt aliud quam quod externa opera, quae sunt

charitatis et pietatis, absque internis salvent. Similiter in aliis rebus, sicut quod visus et auditus influant in cogitationem, et quod odor et gustus in perceptionem: ita externum in internum, cum tamen contrarium est. Quod appareant visa et audita influere in cogitationem, est fallacia, nam intellectus videt in oculo et audit in aure, et non vicissim: similiter in reliquis.

151. Sed hic aliquid dicetur, quomodo reformatur internus homo, et per illum externus. Internus homo non reformatur per solum scire, intelligere et sapere; consequenter non per solum cogitare; sed per velle id quod scientia, intelligentia et sapientia docet. Quando homo scit, intelligit et sapit, quod caelum ac infernum sint, et quod omne malum sit ex inferno, et omne bonum e caelo, si tunc non vult malum quia ab inferno est, sed vult bonum quia e caelo est, tunc in primo gradu reformationis est, et in limine ex inferno ad caelum. Cum homo ulterius progreditur, et vult desistere a malis, in secundo gradu reformationis est, et tunc extra infernum est, sed nondum in caelo; hoc videt supra se. Hoc internum erit, ut homo reformetur; sed nisi utrumque tam externum quam internum reformatur, homo non reformatus est. Externum reformatur per internum, cum externum desistit a malis, quae internum non vult quia infernalia sunt, et magis cum ideo fugit illa, et pugnat contra illa. Sic internum est velle, et externum est facere; nam nisi quis facit quod vult, intus est quod non velit, et tandem fit non velle. [**2.**] Ex his paucis videri potest, quomodo externus homo reformatur per internum. Hoc quoque est, quod intelligitur per verba Domini ad Petrum

> "Jesus..dixit, Si non lavero te, non habes partem Mecum. Dixit Ipsi Petrus, Domine, non pedes meos tantum, sed etiam manus et caput. Dixit illi Jesus, Qui lotus est, non opus habet, nisi ut quoad pedes lavetur, et mundus est totus" (*Joh.* xiii. 8–10):

per "lavationem" intelligitur lavatio spiritualis, quae est purificatio a malis; per "lavare caput et manus" intelligitur purificare internum hominem, et per "lavare pedes" intelligitur purificare externum. Quod cum internus homo purificatus est, externus purificandus sit, intelligitur per hoc, "Qui lotus est, non opus habet nisi quoad pedes lavetur." Quod omnis purificatio a malis sit a Do-

mino, intelligitur per hoc, "Si non lavero te, non habes partem Mecum." Quod lavatio apud Judaeos repraesentaverit purificationem a malis, et quod haec per "lavationem" in Verbo significetur, et quod per "lavationem pedum" significetur purificatio naturalis seu externi hominis, multis ostensum est in *Arcanis Caelestibus*.

152. Quoniam homini internum et externum est, ac utrumque reformandum est ut homo reformatus sit, et quoniam nemo reformari potest, nisi exploret se, videat et agnoscat sua mala, et postea desistat ab illis, sequitur quod non solum externum explorandum sit, sed etiam internum. Si externum solum exploratur, homo non videt aliud quam quod actualiter commiserat, ut quod non occiderit, non adulteratus sit, non furatus sit, et non false testatus sit, et sic porro: ita explorat mala sui corporis, et non mala sui spiritus; et tamen mala spiritus exploranda sunt, ut quis reformari possit; nam homo vivit spiritus post mortem, et omnia mala, quae in illo sunt, remanent; et spiritus non aliter exploratur, quam ut homo attendat ad cogitationes suas, imprimis ad intentiones, nam intentiones sunt cogitationes ex voluntate; ibi sunt mala in origine sua et in radice sua, hoc est, in concupiscentiis suis et in jucundis suis; quae nisi videntur et agnoscuntur, homo usque in malis est, utcunque in externis non commiserat illa. Quod cogitare ex intentione sit velle et facere, patet a Domini verbis,

> "Si quis aspexerit mulierem alienam, ita ut concupiscat eam, jam adulterium cum illa [1]commisit in corde" (*Matth.* v. 28).

Talis exploratio est interni hominis, ex qua essentialiter exploratur externus homo.

153. Saepius miratus sum, quod tametsi universus orbis Christianus novit, quod fugienda sint mala ut peccata, et quod alioqui non remittantur, et si peccata non remittuntur, nulla sit salvatio, usque tamen inter millenos vix unus hoc sciat; inquisitum est hoc in mundo spirituali, ac ita inventum est. Quisque enim in orbe Christiano novit id ex orationibus praelectis coram illis qui Sanctam Cenam obeunt, nam id in illis aperte dicitur; et tamen cum quaeruntur num sciant hoc, respondent quod non sciant, et quod non sciverint. Causa est quia

non cogitaverunt de eo, et plerique quod modo cogitaverint de fide, et de salvatione per illam solam. Et quoque miratus sum, quod sola fides ita occluserit oculos, ut qui in illa se confirmaverunt, dum legunt Verbum, nihil videant quae ibi de amore, charitate et operibus dicuntur; est sicut illiverint fidem super omnia Verbi, quemadmodum qui minio illinit scripturam, ex quo non patet aliquid quod subter est; et si aliquid patet, absorbetur a fide, et dicitur quod illa sit.

Quod Lex Divinae Providentiae sit, ut homo a Domino e Caelo ducatur et doceatur, per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo, et hoc in omni apparentia sicut a semet.

154. Ex apparentia est, quod homo ducatur et doceatur a semet, et ex veritate est, quod homo ducatur et doceatur a solo Domino. Illi qui apparentiam apud se confirmant, et non simul veritatem, non possunt mala ut peccata a se removere; at illi qui apparentiam et simul veritatem apud se confirmant, illi possunt; nam mala ut peccata removentur in apparentia ab homine, et in veritate a Domino. Hi possunt reformari; illi autem non possunt. [**2.**] Qui apparentiam et non simul veritatem apud se confirmant, illi sunt omnes idololatrae interiores, sunt enim cultores sui et mundi; si illis non religio est, fiunt cultores naturae et sic athei; at si illis religio est, fiunt cultores hominum et simul simulacrorum. Hi sunt qui nunc intelliguntur in primo praecepto decalogi, qui alios deos colunt. At qui apud se confirmant apparentiam et simul veritatem, illi fiunt cultores Domini; nam Dominus illos elevat a proprio illorum, quod in apparentia est, et adducit illos in lucem, in qua veritas, et quae veritas est; et dat illis interius percipere, quod non ducantur et doceantur a se, sed a Domino. [**3.**] Rationale horum et illorum potest apparere multis sicut simile;

sed est dissimile. Rationale illorum, qui in apparentia sunt et simul in veritate, est rationale spirituale; at rationale illorum, qui in apparentia sunt et non simul in veritate, est rationale naturale; sed hoc rationale comparari potest horto qualis est in luce hyemali, at rationale spirituale comparari potest horto qualis est in luce vernali. Verum de his plura in sequentibus, in hoc ordine:

(i.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur.*
(ii.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur per caelum angelicum et ex illo.*
(iii.) *Quod homo a Domino ducatur per influxum, et doceatur per illustrationem.*
(iv.) *Quod homo a Domino doceatur per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo, sic immediate ab Ipso solo.*
(v.) *Quod homo a Domino in externis ducatur et doceatur in omni apparentia sicut a semet.*

155. (i.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur.*—Hoc ut universale consequens fluit ex omnibus illis, quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, ostensa sunt; tam ex illis, quae de Divino Amore Domini et de Divina Sapientia Ipsius in Parte Prima; quam quae de Sole mundi spiritualis et de sole mundi naturalis in Parte Secunda; tum quae de Gradibus in Parte Tertia; et quae de Creatione universi in Parte Quarta; ut et, quae de Creatione hominis in Parte Quinta, ibi demonstrata sunt.

156. Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur, est quod a solo Domino vivat; nam vitae ejus voluntas ducitur, et vitae ejus intellectus docetur. Sed hoc contra apparentiam est; apparet enim homini sicut vivat ex se, et tamen veritas est quod vivat a Domino, et non a semet. Nunc quia non dari potest homini, quamdiu in mundo est, perceptio sensationis quod vivat a solo Domino, (quoniam apparentia quod vivat ex se non ei aufertur, nam absque illa homo non est homo,) ideo hoc per rationes evincendum est, quae postea confirmandae sunt per experientiam, et demum per Verbum.

157. Quod homo vivat a solo Domino, et non a se, per has rationes evincetur: Quod unica sit essentia, unica substantia, et unica forma, ex quibus omnes essentiae, substantiae et formae sunt, quae creatae sunt. Quod unica

illa essentia, substantia et forma, sit Divinus Amor et Divina Sapientia, ex quibus sunt omnia, quae ad amorem et sapientiam apud hominem se referunt. Quod etiam sit ipsum Bonum et ipsum Verum, ad quae omnia se referunt. Et quod illa sint vita, ex qua omnium vita, et omnia vitae sunt. Tum quod Unicum et Ipsum sit omnipraesens, omnisciens et omnipotens. Et quod hoc unicum et ipsum sit Dominus ab aeterno seu Jehovah. [**2.**] Primo: *Quod unica essentia, unica substantia et unica forma sit, ex quibus omnes essentiae, substantiae et formae, quae creatae, sunt*, ostensum est in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 44–46), et in Parte Secunda ibi, quod Sol caeli angelici, qui est a Domino, et in quo Dominus, sit illa unica substantia et forma, ex qua omnia sunt quae creata, et quod nihil detur ac dari possit, quod non ex illo sit. Quod ex illo sint omnia per derivationes secundum gradus, in Parte Tertia ibi demonstratum est. [**3.**] Quis non ex ratione percipit et agnoscit, quod unica essentia sit, ex qua omnis essentia, seu unicum Esse a quo omne esse? Quid potest existere absque esse, et quid esse ex quo omne esse, nisi sit ipsum Esse? Et quod est ipsum Esse, est quoque unicum Esse, et in se Esse. Cum ita est, (et quisque hoc ex ratione percipit et agnoscit, et si non, potest percipere et agnoscere,) quid tunc aliud sequitur, quam quod hoc Esse, quod est ipsum Divinum, quod Jehovah, sit omne omnium quae sunt et existunt. [**4.**] Simile est, si dicitur quod unica substantia sit, ex qua omnia; et quia substantia absque forma non est aliquid, sequitur etiam quod unica forma sit, ex qua omnia. Quod Sol caeli angelici sit unica illa substantia et forma, tum quomodo [1]variatur illa essentia, substantia et forma in creatis, in supradicta transactione demonstratum est. [**5.**] Secundo: *Quod unica illa essentia, substantia et forma sit Divinus Amor et Divina Sapientia; ex quibus omnia sunt, quae ad amorem et sapientiam apud hominem se referunt*, etiam in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, ad plenum ostensum est. Quaecunque apud hominem apparent vivere, [2]ad voluntatem et intellectum apud illum se referunt, et quod haec duo faciant vitam ejus, quisque ex ratione percipit et agnoscit. Quid aliud est quam Hoc volo, aut Hoc intelligo, seu Hoc amo, aut Hoc cogito? Et quia homo

vult quod amat, et cogitat quod intelligit, ideo omnia voluntatis se referunt ad amorem, et omnia intellectus ad sapientiam: et quia haec duo non dari possunt apud aliquem a se, nisi ab Ipso qui est ipse Amor et ipsa Sapientia, sequitur quod a Domino ab aeterno seu Jehovah id sit; si non inde foret, esset homo ipse Amor et ipsa Sapientia, ita Deus ab aeterno, ad quod ipsa humana ratio horret. Num aliquid dari potest, nisi a priori se? et num hoc prius dari potest nisi ab adhuc priori se? et sic demum nisi a Primo, quod in Se est? [**6.**] Tertio: *Similiter, quod sit ipsum Bonum et ipsum Verum, ad quae omnia se referunt.* Ab omni, cui est ratio, recipitur et agnoscitur, quod Deus sit ipsum Bonum et ipsum Verum, tum quod omne bonum et verum sit ab Ipso; proinde etiam quod omne bonum et verum non aliunde venire possit, quam ab ipso Bono et Vero; haec agnoscuntur ab omni homine rationali, ut primum audiuntur. Cum dein dicitur, quod omne voluntatis et intellectus, seu omne amoris et sapientiae, seu omne affectionis et cogitationis, apud hominem, qui a Domino ducitur, se referat ad bonum et verum, sequitur quod omnia quae homo ille vult et intelligit, seu quod amat et sapit, seu quo afficitur et quod cogitat, [1]sint a Domino. Inde est, quod quisque in ecclesia sciat, quod omne bonum et omne verum ab homine in se non bonum et verum sit, sed solum id quod a Domino. Quoniam haec veritas sunt, sequitur quod omne id quod talis homo vult et cogitat, sit a Domino. Quod omnis homo malus nec ex alia origine possit velle et cogitare, in sequentibus videbitur. [**7.**] Quarto: *Quod illa sint vita, ex qua omnium vita et omnia vitae sunt*, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, multis ostensum est. Ratio humana ad primum auditum etiam recipit et agnoscit, quod omnis vita hominis sit voluntatis et intellectus ejus, nam si aufertur voluntas et intellectus, non vivit; seu quod idem est, quod omnis vita hominis sit amoris et cogitationis ejus, nam si aufertur amor et cogitatio, non vivit. Nunc quia omne voluntatis et intellectus, seu omne amoris et cogitationis apud hominem est a Domino, ut nunc supra dictum est, sequitur quod omne vitae ab Ipso sit. [**8.**] Quinto: *Quod hoc Unicum et Ipsum sit omnipraesens, omnisciens et omnipotens*, hoc quoque quisque Christianus ex sua

doctrina, et quisque Gentilis ex sua religione, agnoscit. Inde etiam quisque, ubicunque est, cogitat quod Deus sit ubi ille, et quod oret ad Deum praesentem; et cum quisque ita cogitat ac ita orat, sequitur quod non aliter possint cogitare, quam quod Deus ubivis sit, ita omnipraesens: similiter quod sit omnisciens et omnipotens; quare omnis orans ad Deum corde suo supplicat, ut ducat illum, quia Ipse potest: ita quisque agnoscit tunc Divinam omnipraesentiam, omniscientiam et omnipotentiam: agnoscit, quia tunc vertit faciem ad Dominum, et tunc ab Ipso influit illa veritas. [**9.**] Sexto: *Quod hoc Unicum et Ipsum sit Dominus ab aeterno seu Jehovah.* In *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, ostensum est, quod Deus unus sit essentia et persona, et quod ille Deus sit Dominus; et quod ipsum Divinum, quod Jehovah Pater vocatur, sit Dominus ab aeterno, quod Divinum Humanum sit Filius a Divino suo ab aeterno conceptus, et natus in mundo; et quod Divinum procedens sit Spiritus Sanctus. Dicitur Ipsum et Unicum, quia prius dictum est, quod Dominus ab aeterno seu Jehovah sit ipsa Vita, quia est ipse Amor et ipsa Sapientia, seu ipsum Bonum et ipsum Verum, ex quibus omnia. Quod Dominus ex Se Ipso creaverit omnia, et non ex nihilo, videatur in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 282–284, n. 349–357). Ex his illa veritas, quod homo a solo Domino ducatur et doceatur, per rationes confirmata est.

158. Eadem haec veritas non modo per rationes, sed etiam per vivas perceptiones confirmatur apud angelos, imprimis apud angelos tertii caeli. Hi percipiunt influxum Divini Amoris et Divinae Sapientiae a Domino. Et quia id percipiunt, et ex sapientia sua norunt quod illa sint vita, ideo dicunt quod vivant ex Domino, et non a semet, et hoc non modo dicunt, sed etiam amant et volunt quod ita sit. Et tamen usque in omni apparentia sunt, sicut illi viverent ex se, immo in apparentia fortiori quam alii angeli; nam, ut supra (n. 42–45) ostensum est, *Quod quo propius aliquis conjungitur Domino, eo distinctius appareat sibi sicut sit suus, ac evidentius animadvertat quod sit Domini.* In simili perceptione, et simul apparentia esse, datum quoque est mihi nunc per plures annos, ex qua plene convictus sum, quod nihil ex me velim et cogitem, sed quod

appareat sicut ex me; et quoque datum est velle et amare id. Idem hoc potest per plura alia e mundo spirituali confirmari, sed duo illa pro tempore sufficiunt.

159. Quod soli Domino vita sit, patet ex his locis in Verbo:

"Ego sum resurrectio et vita; qui credit in Me, etsi moriatur, vivet" (*Joh.* xi. 25).
"Ego sum via, et veritas et vita" (*Joh.* xiv. 6).
"Deus erat Verbum;....in Ipso vita erat, et vita erat lux hominum" (*Joh.* i. 1, 4).

Verbum ibi est Dominus,

"Quemadmodum..Pater habet vitam in Se Ipso, ita..dedit Filio habere vitam in Se Ipso" (*Joh.* v. 26).

Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur, patet ex his:

"Sine Me non potestis facere quicquam" (*Joh.* xv. 5).
"Non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e caelo" (*Joh.* iii. 27).
Non potest homo "unum pilum album aut nigrum facere" (*Matth.* v. 36);

per "pilum" in Verbo significatur omnium minimum.

160. Quod vita malorum etiam sit ex eadem origine, in suo articulo in sequentibus demonstrabitur; hic modo id per comparationem illustrabitur. A sole mundi influit et calor et lux; ac influit similiter in arbores quae ferunt malos fructus, ut in arbores quae ferunt bonos fructus; ac similiter vegetantur et crescunt; formae, in quas calor influit, faciunt diversitatem illam, non autem calor in se. Simile est cum luce; haec variegatur in colores secundum formas, in quas influit; sunt colores pulchri et laeti, et sunt colores impulchri et tristes, et usque eadem est lux. Simile est cum influxu caloris spiritualis, qui in se est amor, et lucis spiritualis qui in se est sapientia, e Sole mundi spiritualis. Formae, in quas influunt, faciunt diversitatem, non autem calor ille qui est amor, et lux illa quae est sapientia, in se. Formae in quas influunt sunt mentes humanae. Ex his nunc patet, quod homo a solo Domino ducatur et doceatur.

161. Quid autem vita animalium, supra ostensum est, quod nempe sit vita affectionis mere naturalis cum compare sua scientia; et quod sit vita mediata correspondens vitae illorum qui in mundo spirituali sunt.

162. (ii.) *Quod homo a solo Domino ducatur et doceatur per caelum angelicum et ex illo.*—Dicitur quod homo a Domino ducatur per caelum angelicum, et ex illo; sed quod per caelum angelicum, est ex apparentia, at quod ex caelo illo, est ex veritate. Quod apparentia sit quod per caelum angelicum, est quia Dominus apparet supra illud caelum ut Sol: quod veritas sit, quod ex caelo, est quia Dominus in illo caelo est sicut anima in homine. Dominus enim est omnipraesens, et non est in spatio, ut prius ostensum est; quare distantia est apparentia secundum conjunctionem cum Ipso; et conjunctio est secundum receptionem amoris et sapientiae ab Ipso. Et quia nemo potest conjungi Domino, quemadmodum Ipse est in Se, ideo Ipse apparet angelis ad distantiam sicut Sol: sed usque est in universo caelo angelico sicut anima in homine; et similiter in unaquavis societate caeli, et similiter in unoquovis angelo ibi; anima enim hominis non modo est anima totius, sed etiam cujusvis partis. [**2.**] Sed quia ex apparentia est quod Dominus regat universum caelum, et per hoc mundum, a Sole qui ab Ipso, et ubi Ipse (de quo Sole videatur transactio *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Secunda), et quia licet cuivis homini loqui ex apparentia, nec potest aliter, ideo etiam licet cuivis, qui non in ipsa sapientia est, cogitare, quod Dominus regat omnia et singula ex Sole suo, et quoque quod regat mundum per caelum angelicum: ex tali apparentia etiam cogitant angeli inferiorum caelorum; at angeli superiorum caelorum loquuntur quidem ex apparentia, sed cogitant ex veritate, quae est quod Dominus regat universum ex caelo angelico, quod est ex Se Ipso. [**3.**] Quod simplices et sapientes similiter loquantur, sed non similiter cogitent, illustrari potest ex sole mundi; de illo omnes loquuntur ex apparentia, ut quod oriatur et occidat; at sapientes, tametsi loquuntur similiter, usque cogitant quod immotus stet; hoc quoque est veritas, et illud apparentia. Idem etiam illustrari potest ex apparentiis in mundo spirituali; apparent enim ibi spatia et distantiae sicut in mundo naturali, sed usque illa sunt apparentiae secundum dissimilitudinem affectionum et inde cogitationum. Simile est cum apparentia Domini in Sole suo.

163. Quomodo autem Dominus ducit et docet unumquemvis hominem e caelo angelico, paucis dicetur. In transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, ac supra in hac transactione *De Divina Providentia;* tum in opere *De Caelo et Inferno*, Londini, anno 1758, edito, ex visis et auditis notum factum est, quod universum caelum angelicum appareat coram Domino tanquam unus Homo, et quod similiter unaquaevis societas caeli, et quod inde sit quod unusquisque angelus et spiritus in perfecta forma sit homo. Et quoque in supradictis transactionibus ostensum est, quod caelum non sit caelum ex proprio angelorum, sed ex receptione Divini Amoris et Divinae Sapientiae a Domino ab angelis. Exinde constare potest, quod Dominus regat universum caelum angelicum sicut unum Hominem; et quod caelum illud, quia in se est Homo, sit ipsa imago et ipsa similitudo Domini; et quod Ipse Dominus regat caelum illud, sicut anima regit suum corpus: et quia universum genus humanum regitur a Domino, quod non regatur per caelum, sed e caelo a Domino, consequenter ex Se, quia Ipse est caelum, ut dictum est.

164. Sed quia hoc est arcanum sapientiae angelicae, non potest comprehendi ab homine, nisi cui mens spiritualis aperta est, hic enim ex conjunctione cum Domino est angelus; ab illo homine ex praemissis possunt sequentia comprehendi:—(1.) Quod omnes tam homines quam angeli sint in Domino et Dominus in illis, secundum conjunctionem cum Ipso, seu quod idem, secundum receptionem amoris et sapientiae ab Ipso. (2.) [**2.**] Quod quisque ex his sortiatur locum in Domino, ita in caelo, secundum quale conjunctionis, seu receptionis Ipsius. (3.) [**3.**] Quod quisque in suo loco habeat suum statum a statu aliorum distinctum; et quod ex communi trahat suum pensum secundum suum situm, suam functionem, et suam necessitatem, prorsus sicut quodlibet in humano corpore. (4.) [**4.**] Quod unusquisque homo initietur in suum locum a Domino secundum suam vitam. (5.) [**5.**] Quod unusquisque homo ab infantia immittatur in Divinum illum Hominem, cujus anima et vita est Dominus; et quod ducatur et doceatur ex Divino Ipsius Amore secundum Divinam Ipsius Sapientiam, in Ipso et non extra

Ipsum : sed quia liberum homini non aufertur, quod homo non aliter possit duci et doceri, quam secundum receptionem sicut a se. (6.) [**6.**] Quod illi qui recipiunt, per infinitas ambages sicut per maeandros ferantur ad sua loca, paene sicut chylus per mesenterium et vasa lactea ibi in cisternam, et ab hac per ductum thoracicum in sanguinem, et sic in suam sedem. (7.) [**7.**] Quod illi qui non recipiunt, secernantur ab illis qui intra Divinum Hominem sunt, sicut ab homine secernitur stercus et urina. Haec sunt arcana sapientiae angelicae, quae ab homine aliquantum comprehendi possunt ; sed perplura sunt, quae non possunt.

165. (iii.) *Quod homo a Domino ducatur per influxum, et doceatur per illustrationem.*—Quod homo a Domino ducatur per influxum, est quia duci et quoque influere dicuntur de amore et voluntate ; et quod homo a Domino doceatur per illustrationem, est quia doceri et illustrari proprie dicuntur de sapientia et intellectu. Quod omnis homo ducatur ex suo amore a se, et secundum illum ab aliis, et non ab intellectu, notum est ; ducitur ab intellectu et secundum illum, modo cum amor seu voluntas illum facit, quod cum fit, etiam dici potest de intellectu quod ducatur ; sed usque tunc non ducitur intellectus, sed voluntas ex qua est. Influxus dicitur, quia usu receptum est dicere, quod anima influat in corpus, et quod influxus spiritualis et non physicus sit, et anima seu vita hominis est ejus amor seu voluntas, ut prius ostensum est : tum quia influxus est comparative sicut est influxus sanguinis in cor, et e corde in pulmonem. Quod correspondentia sit cordis cum voluntate, ac pulmonis cum intellectu, et quod conjunctio voluntatis cum intellectu sit sicut influxus sanguinis e corde in pulmonem, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 371–432), ostensum est.

166. Quod autem homo doceatur per illustrationem, est quia doceri et quoque illustrari dicuntur de intellectu ; nam intellectus, qui est visus hominis internus, non aliter illustratur a luce spirituali, quam sicut oculus seu visus hominis externus a luce naturali. Similiter etiam uterque docetur ; sed visus internus, qui est intellectus, ab objectis spiritualibus ; et visus externus, qui est oculi, ab objectis naturalibus. Est lux spiritualis et lux naturalis, utraque

quoad externam apparentiam similis, sed quoad internam dissimilis; lux enim naturalis est a sole mundi naturalis, et inde in se mortua; sed lux spiritualis, est a Sole mundi spiritualis, et inde in se viva. Haec lux illustrat intellectum humanum, et non lux naturalis. Lumen naturale et rationale non est ex hac luce, sed ex illa. Vocatur lumen naturale et rationale, quia est spirituale naturale; [**2.**] sunt enim tres gradus lucis in mundo spirituali; lux caelestis, lux spiritualis et lux spiritualis naturalis. Lux caelestis est lux flammea rutilans; haec lux est illis qui in tertio caelo sunt; lux spiritualis est lux candida splendens; haec lux est illis qui in medio caelo sunt; et lux spiritualis naturalis est qualis est lux diurna in nostro mundo; haec lux est illis qui in ultimo caelo sunt; et quoque illis qui in mundo spirituum, qui est medius inter caelum et infernum; sed haec lux in hoc mundo est apud bonos sicut lux aestiva, et apud malos sicut lux hiemalis in terris. [**3.**] At sciendum est, quod omnis lux mundi spiritualis nihil commune habeat cum luce mundi naturalis; differunt sicut vivum et mortuum. Ex quibus patet, quod lux naturalis, qualis est coram oculis nostris, non illustret intellectum, sed lux spiritualis. Hoc nescit homo, quia de luce spirituali hactenus nihil sciverat. Quod lux spiritualis sit in origine sua Divina Sapientia seu Divinum Verum, in opere *De Caelo et Inferno* (n. 126–140), ostensum est.

167. Quoniam de luce caeli nunc dictum est, etiam aliquid de luce inferni dicendum est. Lux in inferno etiam est trium graduum. Lux in infimo inferno est sicut lux ex ignitis carbonibus; lux in medio inferno est sicut lux ex flamma focali; et lux in supremo inferno est sicut lux ex candelis, et quibusdam sicut lux nocturna a luna. Hae luces nec sunt naturales, sed sunt spirituales; nam omnis lux naturalis est mortua, et exstinguit intellectum; ac illis qui in inferno sunt, est facultas intelligendi, quae vocatur rationalitas, ut prius ostensum est, et ipsa rationalitas est ex luce spirituali, et nehilum ex luce naturali: et lux spiritualis, quae illis est ex rationalitate, vertitur in lucem infernalem, sicut lux diei in tenebras noctis. At usque omnes qui in mundo spirituali sunt, tam qui in caelis quam qui in infernis,

vident in sua luce tam clare, sicut homo interdiu in sua; causa est, quia visus oculi omnium formatus est ad receptionem lucis in qua est; ita visus oculi angelorum caeli ad receptionem lucis in qua est; et visus oculi spirituum inferni ad receptionem suae lucis, est comparative sicut cum noctuis et vespertilionibus, quae noctu [et] vespere vident tam clare objecta, tanquam diu vident illa reliquae aves: oculi enim illarum ad receptionem suae lucis formati sunt. Sed discrimen inter luces illas apparet perspicue illis, qui ab una luce in alteram spectant; ut dum angelus caeli spectat in infernum, non videt nisi quam meram caliginem ibi; et cum spiritus inferni spectat in caelum, non videt nisi quam caliginem ibi. Causa est, quia sapientia caelestis est illis qui in inferno sunt ut caligo, ac vicissim insania infernalis est illis qui in caelo sunt, ut caligo. Ex his constare potest quod qualis homini intellectus est, talis ei lux sit; et quod quisque in suam lucem veniat post mortem, non enim videt in alia; et in mundo spirituali, ubi omnes spirituales sunt etiam quoad corpora, oculi omnium formati sunt ad videndum ex sua luce. Amor vitae cujusvis facit sibi intellectum, et sic quoque lucem; amor enim est sicut ignis vitae, ex quo lux vitae.

168. Quoniam pauci sciunt aliquid de illustratione, in qua intellectus hominis est qui docetur a Domino, ideo de illa aliquid dicetur. Est illustratio a Domino interior et exterior, et est illustratio ab homine etiam interior et exterior. Illustratio interior a Domino est, quod homo ex prima auditione percipiat num verum sit vel non verum quod dicitur; illustratio exterior est inde in cogitatione. Illustratio interior ab homine, est ex sola confirmatione; et illustratio exterior ab homine est ex sola scientia: sed de singulis aliquid. [**2.**] *Homo rationalis ex interiori illustratione a Domino* illico percipit, cum audit, plura num vera sunt vel non vera. Sint pro exemplo haec, Quod amor sit vita fidei, seu quod fides vivat ex amore. Homo ex interiore illustratione etiam percipit hoc, quod quicquid homo amat, id velit, et quod vult id faciat, et inde quod amare sit facere: tum etiam hoc, quod quicquid homo ex amore credit, hoc quoque velit et faciat, et inde quod fidem habere etiam sit facere: ut et, quod impius non possit amorem Dei, ita nec fidem Dei habere. Homo rationalis

ex illustratione interiore etiam illico cum audit, percipit haec; Quod Deus unus sit; quod Ille sit omnipraesens; quod omne bonum ab Ipso sit; tum, quod omnia se referant ad bonum et verum; et quod omne bonum sit ab ipso Bono, et omne verum sit ab ipso Vero. Haec et similia alia percipit homo interius in se, cum audit; quod percipiat, est quia ei rationalitas est, et haec in luce caeli quae illustrat. [**3.**] *Illustratio exterior* est illustratio cogitationis ex illustratione illa interiore; et cogitatio tantum in illa illustratione est, quantum manet in perceptione quae illi est ex illustratione interiore, et simul quantum ei sunt cognitiones veri et boni; ex his enim sumit rationes, per quas confirmat. Cogitatio ex illustratione hac exteriore videt rem ab utraque parte; ab una videt rationes quae confimant, ab altera videt apparentias quae infirmant; has discutit, illas colligit. [**4.**] *Illustratio autem interior ab homine* est prorsus alia. Homo ab hac videt rem ab una parte et non ab altera; et cum illam confirmavit, videt illam in luce simili quoad apparentiam luci, de qua supra; sed est lux hiemalis. Sit pro exemplo hoc: Judex qui ex donis et propter lucrum injuste judicat, postquam confirmavit judicium per leges et per rationes, non videt aliter quam justum in suo judicio. Quidam vident injustum, sed quia id non volunt videre, obscurant et occaecant se, et sic non vident. Simile est cum judice qui ex amicitia, ex captanda gratia, exque conjunctione per affinitates, judicia fert. [**5.**] Simile est talibus cum omni re quam ex ore viri auctoritatis, aut ex ore viri famae hauriunt, aut ex propria intelligentia excluserunt: sunt rationales caeci, nam ex falsis, quae confirmant, est illis visus; ac falsum occludit, et verum aperit illum. Tales non vident ullum verum ex luce veri, nec ullum justum ex amore justi, sed ex luce confirmationis, quae est lux fatua. Apparent in mundo spirituali sicut facies absque capite, aut sicut facies similes faciebus humanis post quas sunt capita lignea, et vocantur pecudes rationales, quia eis rationalitas est in potentia. *Illustratio autem exterior ab homine*, est apud illos qui ex sola scientia impressa memoriae cogitant et loquuntur; hi ex se parum possunt aliquam rem confirmare.

169. Haec sunt discrimina illustrationis, et inde per-

ceptionis et cogitationis. Est actualis illustratio a luce spirituali, sed ipsa illustratio ab illa luce non apparet alicui in mundo naturali, quia lux naturalis non commune habet cum luce spirituali ; sed illustratio illa mihi aliquoties apparuit in mundo spirituali, visa apud illos qui in illustratione a Domino fuerunt, sicut luminosum circum caput, rutilans colore faciei humanae. Apud illos autem qui in illustratione a semet fuerunt, apparuit tale luminosum non circum caput, sed circum os et supra mentum.

170. Praeter has illustrationes datur etiam alia illustratio, per quam revelatur homini, in qua fide, et in qua intelligentia et sapientia est ; quae revelatio talis est, ut ipse id in se percipiat. Mittitur ille in societatem ubi genuina fides est, et ubi vera intelligentia et sapientia, ac aperitur ibi interior ejus rationalitas, ex qua videt suam fidem, ac suam intelligentiam et sapientiam, quales sunt, usque ad agnitionem. Vidi quosdam inde redeuntes ; et audivi fatentes quod illis nihil fidei fuerit, tametsi in mundo crediderunt se multam et prae aliis insignem habuisse ; similiter de sua intelligentia et sapientia. Fuerunt qui in fide separata, et in nulla charitate, et qui in propria intelligentia.

171. (iv.) *Quod homo a Domino doceatur per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo, et sic immediate ex Ipso solo.*—Supra dictum et ostensum est, quod homo a solo Domino ducatur et doceatur, et quod e caelo et non per caelum, aut per aliquem angelum ibi : et quia a solo Domino dicitur, sequitur quod immediate et non mediate. Sed quomodo hoc fit, nunc dicetur.

172. In *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* ostensum est, quod Dominus sit Verbum, et quod omnis doctrina ecclesiae ex Verbo haurienda sit. Nunc quia Dominus est Verbum, sequitur, quod homo qui docetur ex Verbo, doceatur a solo Domino. Sed quia hoc aegre comprehenditur, illustrabitur in hoc ordine. (1.) Quod Dominus sit Verbum, quia Verbum est ab Ipso et de Ipso. (2.) Et quia est Divinum Verum Divini Boni. (3.) Quod sic ex Verbo doceri, sit ex Ipso. (4.) Et quod fiat mediate per praedicationes, quod non tollat immediatum. [**2.**] Primo : *Quod Dominus sit Verbum, quia est ab Ipso et de Ipso.* Quod Verbum sit a Domino, a nemine negatur in

ecclesia; quod autem Verbum sit de solo Domino, hoc quidem non negatum est, sed nescitum, at ostensum in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* (n. 1–7, et n. 37–44); et in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 62–69, n. 80–90, n. 98–100). Nunc quia Verbum est ex solo Domino, et de solo Domino, sequitur, quod cum homo docetur ex Verbo, doceatur ex Domino, est enim Verbum Divinum. Quis potest communicare Divinum, ac illud indere cordibus, nisi quam ipsum Divinum, a quo est et de quo agit? Quare dicit Dominus, ubi loquitur de conjunctione Ipsius cum discipulis,

> Quod manerent in Ipso, et verba Ipsius in illis (*Joh.* xv. 7).
> Quod Verba Ipsius essent spiritus et vita (*Joh.* vi. 63).
> Et quod mansionem habeat apud illos, qui verba Ipsius servant (xiv. 20–24).

Quare cogitare ex Domino, est ex Verbo, sicut per Verbum. Quod omnia Verbi communicationem cum caelo habeant, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra*, a principio ad finem, ostensum est; et quia Dominus est caelum, intelligitur quod omnia Verbi communicationem habeant cum Ipso Domino: Angeli caeli quidem communicationem habent, sed hoc quoque a Domino. [**3.**] Secundo: *Quod Dominus sit Verbum, quia est Divinum Verum Divini Boni.* Quod Dominus sit Verbum, docet apud *Johannem* his verbis:

> "In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;....et Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis" (i. 1, 14);

hoc quia hactenus non aliter intellectum est, quam quod Deus doceret hominem per Verbum, ideo explicatum est per vocem elevationis, quae involvit quod Dominus non sit ipsum Verbum. Causa est, quia non sciverunt, quod per Verbum intelligatur Divinum Verum Divini Boni, seu quod idem, Divina Sapientia Divini Amoris. Quod haec sint Ipse Dominus, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Prima, ostensum est; et quod haec sint Verbum, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 1–86). [**4.**] Quomodo Dominus est Divinum Verum Divini Boni, hic paucis etiam dicetur. Omnis homo non est homo ex facie et corpore, sed ex bono amoris sui et ex veris sapientiae suae; et quia homo

ex his est homo, est quoque omnis homo suum verum et suum bonum, seu suus amor et sua sapientia; absque his non est homo. Dominus autem est ipsum Bonum et ipsum Verum, seu quod idem, ipse Amor et ipsa Sapientia; et haec sunt Verbum, quod in principio fuit apud Deum, et quod fuit Deus, et quod Caro factum est. [**5.**] Tertio: *Quod sic ex Verbo doceri sit ab Ipso Domino*, quia est ex ipso Bono et ex ipso Vero, seu ex ipso Amore et ex ipsa Sapientia, quae sunt Verbum, ut dictum est: sed quisque docetur secundum sui amoris intellectum; quod supra est, non manet. Omnes illi qui docentur a Domino in Verbo, in paucis veris docentur in mundo, sed in multis cum fiunt angeli; interiora enim Verbi, quae sunt Divina spiritualia et Divina caelestia, implantantur simul: sed haec non apud hominem aperiuntur quam post obitum ejus, in caelo, ubi est in sapientia angelica, quae respective ad humanam, ita ad priorem suam, est ineffabilis. Quod Divina spiritualia et Divina caelestia, quae faciunt sapientiam angelicam, insint omnibus et singulis Verbi, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 5–26) videatur. [**6.**] Quarto: *Quod hoc fiat mediate per praedicationes, non tollit immediatum.* Verbum non potest aliter quam mediate per parentes, magistros, praedicatores, libros, et imprimis per lectionem ejus, doceri. Sed usque non docetur ab illis, sed per illos a Domino. Hoc quoque est ex scientia praedicatorum, qui dicunt, quod non ipsi ex se, sed ex spiritu Dei loquantur; et quod omne verum sicut omne bonum sit a Deo. Loqui quidem id possunt, ac inferre multorum intellectui, sed non alicujus cordi; et quod non est in corde, hoc perit in intellectu: per "cor" intelligitur amor hominis. Ex his videri potest, quod homo a solo Domino ducatur et doceatur; et quod immediate ab Ipso, cum ex Verbo. Hoc est arcanum arcanorum sapientiae angelicae.

173. Quod per Verbum etiam sit lux illis qui extra ecclesiam sunt, et non habent Verbum, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 104–113) ostensum est: et quia per Verbum est lux homini, et ex luce illi intellectus, et hic tam malis quam bonis est, sequitur quod ex luce in sua origine, sit lux in suis derivationibus, quae sunt perceptiones et cogitationes de quacunque re-

Dicit Dominus

Quod sine Ipso nihil possint facere (*Joh.* xv. 5);
Quod homo non sumere possit quicquam, nisi sit datum illi e caelo (*Joh.* iii. 27);
Et quod Pater in caelis solem suum exoriri faciat super malos et bonos; et pluviam mittat super justos et injustos (*Matth.* v. 45);

per "solem" intelligitur hic ut alibi in Verbo in sensu ejus spirituali Divinum Bonum Divini Amoris, et per "pluviam" Divinum Verum Divinae Sapientiae; haec dantur malis et bonis ac justis et injustis, nam si non darentur, non foret alicui perceptio et cogitatio. Quod modo unica vita sit, ex qua vita omnibus est, supra ostensum est; ac perceptio et cogitatio est vitae; quare ex eodem fonte, ex quo vita, est quoque perceptio et cogitatio. Quod omnis lux, quae facit intellectum, sit ex Sole mundi spiritualis, qui est Dominus, multis prius demonstratum est.

174. (v.) *Quod homo a Domino in externis ducatur et doceatur in omni apparentia sicut a semet.*—Hoc fit in externis ejus, non autem in internis. Non aliquis scit quomodo Dominus ducit et docet hominem in internis ejus, sicut non scit quomodo anima operatur ut oculus videat, auris audiat, lingua et os loquatur, cor agat sanguinem, pulmo respiret, ventriculus digerat, hepar et pancreas disponant, renes secernant, et innumera alia. Haec non ad perceptionem et sensationem hominis veniunt. Similiter illa quae a Domino fiunt in substantiis et formis interioribus mentis, haec infinite plura sunt. Operationes Domini in illis non apparent homini; at ipsi effectus apparent, qui sunt multi, et quoque aliquae causae effectuum. Hi sunt externa, in quibus homo una cum Domino est; et quia externa unum faciunt cum internis, nam cohaerent in una serie, ideo non potest aliter disponi in internis a Domino, quam secundum id quod in externis disponitur medio homine. [**2.**] Quod homo cogitet, velit, loquatur et faciat in omni apparentia sicut a se, quisque novit, et quod absque ea apparentia nulla homini voluntas et intellectus, ita nulla affectio et cogitatio foret, et quoque nulla receptio alicujus boni et veri a Domino, quisque potest videre. Quoniam ita est, sequitur quod absque illa apparentia nulla foret cognitio Dei, nulla charitas et fides, et inde nulla reformatio et regeneratio,

ita nulla salvatio; ex quibus patet, quod illa apparentia data sit homini a Domino propter omnes illos usus; ac praecipue ut ei receptivum et reciprocum esset, per quae Dominus possit conjungi homini, et homo Domino, ac ut homo per conjunctionem illam vivat in aeternum. Haec apparentia est, quae hic intelligitur.

Quod Lex Divinae Providentiae sit, ut homo non percipiat et sentiat aliquid de Divinae Providentiae operatione, sed ut usque sciat et agnoscat illam.

175. Homo naturalis qui non credit Divinam Providentiam cogitat secum, "Quid Divina Providentia, cum mali evehuntur ad honores, et lucrantur opes prae bonis, et multa similia succedunt illis, qui non Divinam Providentiam credunt prae illis qui credunt?" Immo, quod infideles ac impii inferre possint injurias, damna et infortunia, et quandoque neces fidelibus et piis, et hoc per astutias et malitias. Et sic cogitat, "Annon ab ipsa experientia sicut in clara die video, quod dolosae machinationes, modo homo ex ingeniosa calliditate possit facere, ut appareant sicut fidae et justae, fidelitati et justitiae praevaleant? Quid reliqua nisi quam necessitates, consequentiae, et fortuita, in quibus nihil ex Divina Providentia apparet. Annon necessitates sunt naturae, consequentiae sunt causae fluentes ex ordine naturali aut civili, et fortuita vel ex causis quae ignorantur, vel ex nullis causis?" Talia secum cogitat naturalis homo, qui non aliquid Deo, sed omnia naturae, addicat; nam qui non aliquid Deo, nec aliquid Providentiae Divinae, attribuit, Deus enim et Divina Providentia, unum faciunt. [**2.**] Aliter vero secum dicit aut cogitat homo spiritualis. Hic tametsi non cogitatione percipit, nec visu oculi sentit, Divinam Providentiam in sua progressione, usque scit et agnoscit illam. Nunc quia apparentiae et inde fallaciae supramemoratae occaecarunt intellectum, et hic

non aliquem visum potest recipere, nisi discutiantur fallaciae quae caecitatem, et falsa quae caliginem, induxerunt; et hoc non fieri potest, nisi quam per veritates, quibus potentia discutiendi falsa inest, ideo hae aperiendae sunt, sed ut distincte, erit in hoc ordine:—

(i.) *Quod si homo perciperet et sentiret Divinae Providentiae operationem, non ex libero secundum rationem ageret, nec aliquid ei appareret sicut ex se. Similiter si praesciret eventus.*

(ii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, inferret se ordini et tenori progressionis ejus, ac perverteret et destrueret illum.*

(iii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, vel negaret Deum, vel faceret se Deum.*

(iv.) *Quod detur homini videre Divinam Providentiam a tergo et non a facie; tum in statu spirituali et non in statu naturali.*

176. (i.) *Quod si homo perciperet et sentiret Divinae Providentiae operationem, non ex libero secundum rationem ageret, nec aliquid appareret ei sicut ejus. Similiter si homo praesciret eventus.*—Quod lex Divinae Providentiae sit, ut homo ex libero secundum rationem agat; tum ut omne quod homo vult, cogitat, loquitur et facit, appareat ei sicut a se; et quod absque illa apparentia non foret alicui homini suum, aut homo suus, ita non ei proprium; et sic nulla ei imputatio, sine qua indifferens foret, sive malum sive bonum faceret, et sive fidem Dei, sive persuasionem inferni, haberet; verbo non foret homo,—supra in suis articulis ad evidentiam intellectus ostensum est. **[2.]** Hic nunc ostendetur, quod homini nulla libertas agendi secundum rationem, ac nulla ei apparentia sicut ex se, foret, si perciperet et sentiret Divinae Providentiae operationem; quoniam si perciperet et sentiret illam, etiam duceretur ab illa, nam Dominus per Divinam suam Providentiam ducit omnes, et homo non se ipsum nisi apparenter, ut quoque supra ostensum est. Quare si ad vivam perceptionem et sensationem duceretur, foret non conscius vitae, et tunc vix aliter ad sonandum et agendum quam sicut sculptile, ageretur. Si usque conscius vitae foret, tunc non aliter duceretur, quam sicut vinctus manicis et pedicis, aut sicut jumentum ante plaustrum. Quis non videt, quod tunc non aliquod liberum homini foret? Et si non liberum, nec aliqua ratio foret,

nam quisque ex libero et in libero cogitat, et quicquid non ex libero et in libero cogitat, non apparet ei a se, sed ab alio; immo si interius hoc expendis, percipies, quod nec foret ei cogitatio, minus ratio, et inde non foret homo.

177. Operatio Divinae Providentiae Domini continua est, quod abducat hominem a malis. Si quis operationem hanc continuam perciperet et sentiret, et usque non ut vinctus duceretur, annon continue reniteretur, et tunc vel rixaretur cum Deo, vel immisceret se Divinae Providentiae? Si hoc, faceret se etiam Deum; si illud, exsolveret se vinculo, et negaret Deum. Hoc patet manifeste, quod forent duae vires contra se continue agentes, vis mali ab homine, et vis boni a Domino; et cum duo opposita contra se agunt, tunc vel unum vincit, vel utrumque perit; hic autem si unum vincit, perit utrumque, malum enim quod hominis est non recipit bonum a Domino momento, nec bonum a Domino ejicit malum ab homine momento; si momento fieret unum aut alterum, vita non maneret homini. Haec et plura damnosa alia existerent, si homo Divinae Providentiae operationem manifeste perciperet aut sentiret. Sed hoc per exempla in sequentibus clare demonstrabitur.

178. Quod non detur homini praescire eventus, est quoque causa, ut possit ex libero secundum rationem agere: nam notum est, quod quicquid homo amat, ejus effectum velit, et ad hunc per rationem se ducat; tum quod nihil sit quod homo ratione volvit, quod non est ex amore ut per cogitationem veniat ad effectum; quare si effectum seu eventum ex Divina praedictione sciret, acquiesceret ratio, et cum ratione amor; amor enim cum ratione desinit in effectu, et ex illo tunc incipit novus. Ipsum jucundum rationis est, quod ex amore in cogitatione videat effectum, non in eo, sed ante eum, seu non in praesenti, sed in futuro. Inde est homini id quod vocatur Spes, quae in ratione crescit et decrescit, sicut videt aut exspectat eventum. Hoc jucundum completur in eventu, sed dein oblitteratur cum cogitatione de eo. [2.] Similiter foret cum eventu praescito. Mens hominis continue est in tribus his, quae vocantur finis, causa, et

effectus. Si unum ex his deest, non est mens humana in sua vita. Voluntatis affectio est finis a quo; intellectus cogitatio est causa per quam; et actio corporis, loquela oris, aut sensatio externa, sunt effectus finis per cogitationem. Quod mens humana non sit in sua vita, dum solum est in voluntatis affectione, et non praeterea, similiter dum modo in effectu, cuivis patet. Quare menti non est aliqua vita ex uno illorum separatim, sed ex tribus illis conjunctim. Haec vita mentis diminueretur et recederet in eventu praedicto.

179. Quoniam praescientia futurorum tollit ipsum humanum, quod est ex libero secundum rationem agere, ideo nemini datur futura scire; sed licet cuivis de futuris ex ratione concludere; inde ratio cum omnibus ejus est in sua vita. Ex eo est, quod homo non sciat sortem suam post mortem, aut sciat aliquem eventum antequam in eo est; nam si sciret, non amplius cogitaret ex interiore se, quomodo facturus aut victurus est, ut ad illum veniat; sed solum ab exteriore se, quod veniat; et hic status claudit interiora mentis ejus, in quibus binae facultates vitae ejus, quae sunt libertas et rationalitas, praecipue resident. Desiderium praesciendi futura plerisque connatum est; sed hoc desiderium trahit originem ex amore mali; quare aufertur illis, qui credunt Divinam Providentiam, ac datur illis fiducia, quod Dominus disponat sortem illorum; et inde non volunt praescire illam, ne se aliquo modo Divinae Providentiae inferant. Hoc docet Dominus per plura apud *Lucam* (xii. 14–48). [**2.**] Quod haec sit Divinae Providentiae lex, confirmari potest multis ex mundo spirituali. Plerique dum in illum post obitum veniunt, volunt scire sortem suam; sed respondetur illis, quod si bene vixerint, sors illis sit in caelo, si male vixerint in inferno. Sed quia omnes timent infernum, etiam mali, quaerunt quid acturi et quid crediturus sint, ut in caelum veniant; sed respondetur illis, ut agant et credant sicut volunt, at sciant, quod in inferno non bonum faciant, nec verum credant, sed in caelo. "Inquire quid bonum et quid verum, ac cogita hoc et fac illud, si potes." Ita cuivis relinquitur ex libero secundum rationem agere in mundo spirituali sicut in mundo naturali; sed sicut in hoc mundo egerunt, ita in illo agunt,

nam vita sua quemlibet manet, et inde sors; quia sors est vitae.

180. (ii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, inferret se ordini et tenori progressionis ejus, ac perverteret et destrueret illum.*—Ut haec in perceptionem rationalis et quoque naturalis hominis distincte veniant, illustranda sunt per exempla, in hoc ordine:—(1.) Quod externa talem nexum cum internis habeant, ut in omni operatione unum faciant. (2.) Quod homo sit modo in quibusdam externis cum Domino, et si simul in internis esset, perverteret et destrueret omnem ordinem et tenorem progressionis Divinae Providentiae: sed, ut dictum est, haec per exempla illustrentur. [**2.**] Primum: *Quod externa talem nexum cum internis habeant, ut in omni operatione unum faciant.* Illustratio per exempla fiat hic per aliqua quae in corpore humano sunt. In toto et in omni parte sunt externa et interna; externa ibi vocantur cutes, membranae, et involucra; interna sunt formae varie compositae et contextae ex fibris nerveis et vasis sanguineis. Involucrum quod ambit per exsertiones a se intrat in omnia interiora usque ad intima; ita externum, quod est involucrum, cum omnibus internis, quae sunt formae organicae ex fibris et vasis, se conjungit. Ex quo sequitur, quod sicut externum agit seu agitur, etiam interna agant seu agantur; [**3.**] est enim omnium confasciculatio perpetua. Sume modo in corpore aliquod involucrum commune ut pro exemplo pleuram, quae est commune involucrum pectoris, seu cordis et pulmonis, et lustra illam oculo anatomico; et si hoc non tui studii est, consule anatomicos; et audies quod commune hoc involucrum, per varias circumvolutiones et dein per exsertiones a se, tenuiores et tenuiores, intret in intima pulmonum, usque in minimos ramos bronchiales, et in ipsos folliculos, qui sunt pulmonum initia: ut non memorem ejus progressionem postea per tracheam in laryngem versus linguam. Ex quibus patet, quod connexio perpetua sit extimi cum intimis; quare sicut extimum agit aut agitur, ita quoque interiora ab intimis agant aut agantur: quae causa est, quod cum extimum illud involucrum, quod est pleura, vel inundatur vel inflammatur, vel ulceribus oppletur, pulmo ab intimis laboret; et

si labes ingravescit, remittatur omnis actio pulmonis, et moriatur homo. [**4.**] Simile est ubivis alibi in toto corpore: ut cum peritonaeo communi involucro omnium viscerum abdominis; tum etiam cum involucris circum unumquodvis, ut cum ventriculo, hepate, pancreate, liene, intestinis, mesenterio, renibus, cumque organis generationis in utroque sexu. Sume ex his aliquod et lustra vel ipse, et videbis; vel consule peritos illius scientiae, et audies: ut sume hepar, et deprehendes quod connexio peritonaei sit cum involucro illius visceris, et per involucrum cum intimis ejus; sunt enim perpetuae exsertiones inde et insertiones versus interiora, et sic continuationes ad intima, et inde confasciatio omnium; quae talis est, ut dum involucrum agit vel agitur, tota forma similiter agat vel agatur. Simile est cum reliquis. Causa est, quia in omni forma commune et particulare, seu universale et singulare, per mirabilem conjunctionem unum agunt. [**5.**] Quod similiter in formis spiritualibus ac in illarum status mutationibus, et variationibus, quae se ad operationes voluntatis et intellectus referunt, sicut in formis naturalibus et illarum operationibus, quae se ad motus et actiones referunt, fiat, infra videbitur. Nunc quia homo in quibusdam externis operationibus una cum Domino est, et non aufertur alicui libertas agendi secundum rationem, sequitur quod Dominus non aliter possit agere in internis, quam sicut una cum homine in externis. Quare si homo non fugit et aversatur mala ut peccata, vitiaretur et labefactaretur externum cogitationis et voluntatis, et simul tunc internum earum, comparative sicut pleura a morbo suo qui vocatur pleuritis, ex quo corpus emoritur. [**6.**] Alterum: *Quod si homo simul in internis esset, perverteret et destrueret omnem ordinem et tenorem Divinae Providentiae.* Hoc quoque illustretur per exempla ex humano corpore. Si homo sciret omnes operationes utriusque cerebri in fibras, fibrarum in musculos et musculorum in actiones, et ex scientia illorum disponeret omnia sicut disponit actiones, annon perverteret et destrueret omnia? [**7.**] Si homo sciret quomodo ventriculus digerit, viscera circum circa hauriunt suum pensum, sanguinem elaborant, et illum distribuunt ad omne opus vitae, et in illis disponendis esset sicut est in externis, ut quod

édat et bibat, annon perverteret et destrueret omnia? Cum non potest externum, quod sicut unum apparet, disponere, quin luxurie et intemperantia perdat illud, quid tunc si etiam disponeret interna, quae infinita sunt? Quare interna, ne homo aliqua voluntate intraret in illa, et sui juris faceret, prorsus a voluntate ejus exempta sunt, praeter musculos, qui faciunt indumentum, et quoque ignoratur quomodo hi agunt, et solum scitur quod agant. [**8.**] Simile est cum reliquis: ut si homo disponeret interiora oculi ad videndum, interiora auris ad audiendum, interiora linguae ad gustandum, interiora cutis ad sentiendum, interiora cordis ad systolice agendum, interiora pulmonis ad respirandum, interiora mesenterii ad distribuendum chylum, interiora renum ad secernendum, interiora organorum generationis ad prolificandum, interiora uteri ad perficiendum embryonem, et sic porro, annon infinitis modis perverteret et destrueret in his ordinem progressionis Divinae Providentiae? Quod homo in externis sit, notum est; ut quod oculo videat, aure audiat, lingua gustet, cute sentiat, pulmone respiret, uxorem impraegnet, et sic porro. Satisne est, ut sciat externa, et disponat illa ad sanitatem corporis et mentis? Cum hoc non potest, quid fieret si quoque interna disponeret? Ex his nunc constare potest, quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, inferret se ordini et tenori progressionis ejus, ac perverteret et destrueret illum.

181. Quod simile sit in spiritualibus mentis, sicut est in naturalibus corporis, est quia omnia mentis correspondent omnibus corporis; quare etiam mens agit corpus in externis, et in communi ad omnem nutum. Agit oculos ad videndum, aures ad audiendum, os et linguam ad edendum et bibendum, et quoque ad loquendum, manus ad faciendum, pedes ad ambulandum, organa generationis ad prolificandum. Mens ad haec non solum agit externa, sed etiam interna in omni serie, ex intimis ultima et ex ultimis intima. Sic dum agit os ad loquendum, agit pulmonem, laryngem, glottidem, linguam, labra, et unumquodvis distincte ad suam functionem simul, et quoque faciem ad convenientiam. [**2.**] Inde patet, quod simile, quod dictum est de formis naturalibus corporis, dicendum sit de formis spiritualibus mentis; et quod dictum est de

naturalibus operationibus corporis, dicendum sit de spiritualibus operationibus mentis; proinde sicut homo disponit externa, Dominus disponat interna, ita aliter si homo disponit externa a se, et aliter si disponit externa a Domino et simul illa sicut a se. Mens hominis etiam est in omni forma homo; est enim spiritus ejus, qui post mortem apparet homo prorsus sicut in mundo; et inde similia sunt in utroque: et sic quod quae dicta sunt de conjunctione externorum cum internis in corpore, etiam intelligenda sint de conjunctione externorum cum internis in mente: cum sola differentia, quod unum sit naturale, et alterum spirituale.

182. (iii.) *Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam, vel negaret Deum, vel faceret se Deum.*—Homo mere naturalis secum dicit, "Quid Divina Providentia? Num aliud aut plus quam vox apud vulgus ex sacerdote? Quis vidit aliquid ejus? Suntne prudentia, sapientia, astutia et malitia, ex quibus omnia in mundo fiunt. Reliqua inde nonne sunt necessitates et consequentiae? et quoque plura contingentia? Num Divina Providentia in his latet abdita? Quomodo potest in dolis et astibus? Et tamen dicitur, quod Divina Providentia operetur omnia: fac itaque mihi videre illam, et credam illam; num quisquam potest credere illam prius?" [**2.**] Ita loquitur homo mere naturalis; aliter vero loquitur homo spiritualis; hic quia agnoscit Deum, etiam agnoscit Divinam Providentiam, et quoque illam videt. Sed is non potest manifestare eam alicui qui non cogitat nisi in natura ex natura; hic enim non potest supra illam elevare mentem, ac videre in apparentiis ejus aliquid Divinae Providentiae, aut de illa ex legibus ejus, quae etiam sunt leges Divinae Sapientiae, concludere: quare si illam manifeste videret, infunderet illam naturae, et sic illam non modo fallaciis obvelaret, sed etiam profanaret; et loco quod agnosceret illam, negaret illam, et qui Divinam Providentiam corde negat, etiam Deum negat. [**3.**] Sive cogitabitur, quod Deus regat omnia, sive quod natura; qui cogitat quod Deus regat omnia, cogitat quod ipse Amor et ipsa Sapientia, ita ipsa Vita; qui vero cogitat quod natura regat omnia, cogitat quod naturalis calor et naturalis lux, quae tamen in se mortua sunt, quia a sole mortuo. Annon ipsum vivum regit mortuum? Num

mortuum potest regere aliquid? Si cogitas quod mortuum possit dare sibi vitam, insanis: vita erit a Vita.

183. Quod si homo manifeste videret Divinam Providentiam et ejus operationem, negaret Deum, apparet sicut non verosimile; quia videtur, quod si quis manifeste videret illam, non potuisset aliter quam agnoscere illam, et sic Deum, sed usque contrarium est. Divina Providentia nusquam agit una cum amore voluntatis hominis, sed continue contra illum: nam homo ex malo suo hereditario anhelat semper versus infimum infernum, Dominus autem per suam Providentiam continue abducit illum, et extrahit illum inde, primum ad infernum mitius, dein ab inferno, et demum ad Se in caelum. Haec operatio Divinae Providentiae est perpetua. Quare si homo manifeste videret vel sentiret hanc detractionem aut abductionem, irasceretur, et Deum pro inimico haberet, et ex malo sui proprii negaret Illum: quapropter ne homo sciat hoc, tenetur in libero, ex quo non scit aliter quam quod ipse semet ducat. [**2.**] Sed exempla inserviant illustrationi. Homo ex hereditario vult magnus fieri, et quoque vult dives fieri; et quantum amores illi non refrenantur, vult major et ditior, et tandem maximus et ditissimus fieri; et non sic acquiesceret, sed vellet Ipso Deo major fieri, et possidere ipsum caelum. Haec cupido latet intime in malo hereditario, et inde in hominis vita ac vitae natura. Divina Providentia non aufert hoc malum momento; nam si momento auferret, homo non viveret: sed aufert illud tacite et successive, praeter quod homo sciat aliquid de eo. Hoc fit per id quod liceat homini secundum cogitationem, quam rationis facit, agere; et tunc per varia media abducit, tam per rationalia, quam per civilia et moralia; et sic quantum in libero potest abduci, abducitur. Nec potest malum alicui auferri, nisi appareat, videatur et agnoscatur; est sicut vulnus, quod non sanatur nisi aperiatur. [**3.**] Si itaque homo sciret et videret quod Dominus per Divinam suam Providentiam ita operetur contra amorem vitae ejus, ex quo illi est summum jucundum, non potuisset aliter quam in contrarium ire, et excandescere, contestari, dura loqui, et tandem ex malo suo removere operationem Divinae Providentiae, negando illam, et sic Deum; imprimis si videret obstari successibus, se dejici a

dignitate, et deprivari opulentia. [4.] At sciendum est, quod Dominus nusquam abducat hominem ab ambiendis honoribus, et a comparandis opibus sed quod abducat a cupidine ambiendi honores propter solam eminentiam, seu propter se; similiter [1]a comparandis opibus propter solam opulentiam seu propter opes; sed cum ab his abducit, introducit illum in amorem usuum, ut spectet eminentiam non propter se sed propter usus, ita ut sit usuum, et inde sui, et non sui et inde usuum; similiter opulentia. Quod Dominus continue humiliet superbos, et exaltet humiles, docet Ipse multis in locis in Verbo; et quod ibi docet, id etiam est Divinae Providentiae Ipsius.

184. Similiter fit cum alio malo, in quo homo ex hereditario est, ut cum adulteriis, defraudationibus, vindictis, blasphemationibus, et similibus aliis; quae omnia non possunt removeri aliter, quam ut libertas cogitandi et volendi illa relicta sit, et quod sic homo sicut a se removeret illa, quod tamen non potest, nisi agnoscat Divinam Providentiam, et imploret ut per illam fiat. Absque libertate illa et simul Divina Providentia forent mala illa similia veneno incluso et non egesto, quod brevi se circumspargeret et morti daret omnia; et similia forent morbo ipsius cordis, ex quo totum corpus brevi emoritur.

185. Quod ita sit, non melius sciri potest quam ex hominibus post mortem in mundo spirituali. Ibi plerique qui in mundo naturali magni ac opulenti facti sunt, et in honoribus spectaverunt ad se solos, similiter in divitiis, illi in principio loquuntur de Deo, et de Divina Providentia, sicut corde agnovissent: sed quia tunc manifeste vident Divinam Providentiam, et ex illa ultimam suam sortem, quae est quod in infernum venturi sint, conjungunt se cum diabolis ibi, et tunc non modo Deum negant, sed etiam blasphemant; et deinde in id delirium veniunt, ut agnoscant potentiores ex diabolis pro suis diis, et nihil ardentius affectent, quam ut ipsi quoque dii fiant.

186. Quod homo in contrarium iret cum Deo, et quoque negaret illum, si manifeste videret Divinae Providentiae Ipsius operationes, est quia homo est in jucundo amoris sui; et id jucundum facit ipsam vitam ejus; quare cum homo in jucundo suae vitae tenetur, est in suo libero, liberum enim et id jucundum unum faciunt: si itaque per-

ciperet quod continue abducatur a jucundo suo, exacerbaretur sicut contra illum qui vellet necare vitam ejus, et pro hoste haberet. Quod ne fiat, Dominus in Divina sua Providentia non manifeste apparet, sed per illam ita tacite ducit hominem, sicut fiumen latens aut vena secunda navem : ex eo homo non aliter scit, quam quod jugiter in suo proprio sit, liberum enim cum proprio unum facit. Inde patet, quod liberum appropriet homini id quod Divina Providentia introducit, quod non fieret si haec se manifestaret. Appropriari est fieri vitae.

187. (iv.) *Quod detur homini videre Divinam Providentiam a tergo et non a facie, tum in statu spirituali, et non in statu suo naturali.*—Videre Divinam Providentiam a tergo et non a facie, est post illam et non ante illam ; et a statu spirituali et non a statu naturali, est e caelo et non e mundo. Omnes illi qui recipiunt influxum e caelo, et agnoscunt Divinam Providentiam, et imprimis qui per reformationem spirituales facti sunt, dum vident eventus in quadam serie mirabili, ex interiore agnitione quasi vident illam, et confitentur. Hi non volunt videre illam a facie, hoc est, antequam existit, nam timent ne voluntas illorum intret in aliquid ordinis et tenoris ejus. [**2.**] Aliter illi, qui non aliquem influxum admittunt e caelo, sed solum e mundo, imprimis qui ex confirmatione apparentiarum apud se naturales facti sunt. Hi non vident aliquid Divinae Providentiae a tergo seu post illam, sed volunt videre illam a facie, seu antequam existit ; et quia Divina Providentia operatur per media, et media fiunt per hominem aut per mundum, ideo sive videant illam a facie sive a tergo, attribuunt illam vel homini vel naturae, et sic se in negatione ejus confirmant. Causa quod ita attribuant, est quia intellectus eorum est clausus a superiore, et solum apertus ab inferiori, ita clausus versus caelum et apertus versus mundum ; et e mundo videre Divinam Providentiam non datur, sed e caelo datur. Quandoque cogitavi mecum, num illi, si aperiretur intellectus eorum a superiori, et viderent ut in clara die quod natura in se sit mortua, ac intelligentia humana in se sit nulla, sed quod utraque appareat esse, sit ex influxu, Divinam Providentiam agnoscerent ; et percepi quod illi qui se confirmaverunt pro natura et pro prudentia humana, non

agnoscerent, quia lux naturalis ab infra influens illico exstingueret lucem spiritualem desuper influentem.

189. Homo qui spiritualis factus est per agnitionem Dei, et sapiens per rejectionem proprii, in universo mundo ac in omnibus et singulis ejus videt Divinam Providentiam. Si spectat naturalia videt illam; si spectat civilia videt illam; si spectat spiritualia videt illam; et hoc tam in simultaneis quam in successivis rerum, in finibus, in causis, in effectibus, in usibus, in formis, in magnis et parvis, videt illam: imprimis in Salvatione hominum, ut quod Jehovah dederit Verbum, per id docuerit illos de Deo, de caelo et inferno, de vita aeterna, et quod Ipse in mundum venerit, ut homines redimeret et salvaret. Haec et plura, et Divinam Providentiam in illis, videt homo ex luce spirituali in luce naturali. At homo mere naturalis nihil ex his videt. [**2.**] Est sicut qui videt magnificum templum, et audit praedicatorem in Divinis illustratum, dicit domi, quod non viderit nisi quam domum saxeam, et non audiverit nisi quam sonum articulatum: aut sicut myops intrat hortum insignem fructibus omnis generis, et dein venit domum et narrat quod viderit solum silvam et arbores. Tales etiam post mortem facti spiritus, cum in caelum angelicum elevantur, ubi omnia in formis repraesentativis amoris et sapientiae sunt, non vident quicquam, ne quidem quod sint; ut factum vidi cum pluribus, qui Divinam Providentiam Domini negaverunt.

190. Sunt plura constantia, quae creata sunt, ut inconstantia possint existere. Constantia sunt statae vices ortus et occasus solis et lunae, et quoque stellarum; sunt obscurationes illorum ex interpositionibus, quae vocantur eclipses; sunt calores et luces ex illis; sunt tempora anni, quae vocantur ver, aestas, autumnus ac hiems; et tempora diei, quae sunt mane, meridies, vespera et nox; sunt quoque atmosphaerae, aquae, terrae in se spectatae; est facultas vegetativa in regno vegetabili, et est illa et quoque prolifica in regno animali; tum quae ex his constanter fiunt, dum secundum leges ordinis in actum mittuntur. Haec et plura alia a creatione sunt, provisa ut infinita varia existere possint: varia enim non possunt existere nisi in constantibus, statis et certis. [**2.**] Sed haec illustrent exempla. Vegetationis varia non dantur nisi ortus

et occasus solis et inde calores et luces essent constantes. Harmoniae sunt infinitae varietatis, sed non darentur nisi atmosphaerae in suis legibus, et aures in sua forma, essent constantes. Varietates visus, quae etiam sunt infinitae, non darentur, nisi aether in suis legibus, et oculus in sua forma, constantes essent; pariter colores, nisi lux esset constans. Simile est cum cogitationibus, loquelis et actionibus, quae etiam infinitae varietatis sunt, quae nec darentur nisi organica corporis essent constantia. Nonne domus erit constans, ut varia inibi ab homine fieri possint? Similiter templum, ut inibi varii cultus, sermones, instructiones, et pietatis meditationes, existere possint? Ita in reliquis. [**3.**] Quod ipsas varietates attinet, quae in constantibus, statis et certis fiunt, illae vadunt in infinitum, et non finem habent, et tamen nusquam datur una prorsus eadem cum altera in universi omnibus et singulis, nec dari potest in successivis in aeternum. Quis varietates illas in infinitum ac in aeternum progredientes disponit ut in ordine sint, nisi qui creavit constantia, ob finem ut in illis existerent? Et quis potest disponere infinitas varietates vitae apud homines, quam qui est ipsa Vita, hoc est, ipse Amor et ipsa Sapientia? Num absque Divina Ipsius Providentia, quae sit sicut continua creatio, infinitae affectiones et inde cogitationes hominum, et sic ipsi homines, possint disponi ut unum faciant?—affectiones et inde cogitationes malae unum diabolum qui est infernum, ac affectiones et inde cogitationes bonae unum Dominum in caelo? Quod universum caelum angelicum sit in conspectu Domini sicut unus Homo, qui imago et similitudo Ipsius, et quod universum infernum sit in opposito sicut unus homo monstrum, aliquoties prius dictum et ostensum est. Haec dicta sunt, quia aliqui naturales homines etiam ex constantibus et statis, quae sunt necessitates propter finem ut varia in illis existant, argumenta delirii sui pro natura et pro propria prudentia captant.

QUOD PROPRIA PRUDENTIA NULLA SIT, ET SOLUM APPAREAT QUOD SIT, ET QUOQUE APPARERE DEBEAT SICUT SIT; SED QUOD DIVINA PROVIDENTIA EX SINGULARISSIMIS UNIVERSALIS SIT.

191. Quod propria prudentia nulla sit, est prorsus contra apparentiam, et inde contra multorum fidem; et quia ita est, non potest aliquis, qui ex apparentia in fide est, quod humana prudentia faciat omnia, convinci nisi per rationes altioris indaginis, quae ex causis desumendae sunt; apparentia illa est effectus, et causae detegunt unde ille. In hoc prologo aliquid de communi fide hujus rei dicetur. Contra apparentiam est hoc quod ecclesia docet, quod amor et fides non sint ab homine sed a Deo, tum quod sapientia ac intelligentia, ita quoque prudentia, in genere omne bonum et verum. Cum haec recipiuntur, etiam recipiendum est, quod propria prudentia nulla sit, sed solum appareat quod sit. Prudentia non aliunde est quam ex intelligentia et sapientia, et hae duae non aliunde sunt quam ex intellectu et inde cogitatione veri et boni. Hoc quod nunc dictum est, recipitur et creditur ab illis qui Divinam Providentiam agnoscunt, et non ab illis qui solam humanam prudentiam. [**2.**] Sive nunc id erit verum quod ecclesia docet, quod omnis sapientia et prudentia sit a Deo, sive quod mundus docet, quod omnis sapientia et prudentia sit ab homine. Num aliter conciliari possunt, quam quod id quod ecclesia docet sit verum, et quod id quod mundus docet sit apparentia? Ecclesia enim ex Verbo id confirmat, at mundus ex proprio; et Verbum est a Deo, et proprium est ab homine. Quoniam prudentia a Deo est, et non ab homine, ideo homo Christianus, dum in devotione est, orat ut Deus ducat ejus cogitationes, consilia et facta; et quoque addit, quia ex se non potest. Is quoque cum vidit aliquem benefacientem, dicit quod ad id a Deo ductus sit, et plura similia. Num quis ita loqui potest, nisi tunc id interius credat? Ac interius id credere est e caelo. At cum cogitat secum, et colligit argumenta pro prudentia humana, potest contrarium credere, et hoc est e mundo. Sed fides interna vincit apud illos qui Deum corde agnos-

cunt, at fides externa apud illos, qui Deum non corde, utcunque ore, agnoscunt.

192. Dictum est, quod non possit aliquis, qui ex apparentia in fide est, quod humana prudentia faciat omnia, convinci nisi per rationes altioris indaginis, quae ex causis desumendae sunt. Quare ut rationes ex causis desumptae pateant coram intellectu, in suo ordine sistendae sunt, qui hic erit :—

(i.) *Quod omnes cogitationes hominis sint ex affectionibus amoris vitae ejus, et quod prorsus nullae cogitationes sint, nec dari possint, absque illis.*

(ii.) *Quod affectiones amoris vitae hominis sint soli Domino notae.*

(iii.) *Quod affectiones amoris vitae hominis a Domino per Divinam Ipsius Providentiam ducantur, et simul tunc cogitationes ex quibus prudentia humana.*

(iv.) *Quod Dominus per Divinam suam Providentiam componat affectiones totius generis humani in unam formam, quae est Humana.*

(v.) *Quod inde caelum et Infernum, quae sunt ex humano genere, in tali forma sint*

(vi.) *Quod illi qui solam naturam et solam prudentiam humanam agnoverunt, faciant infernum; et qui Deum et Divinam Ipsius Providentiam agnoverunt, faciant caelum.*

(vii.) *Quod omnia haec non fieri possint, nisi appareat homini quod ex se cogitet et ex se disponat.*

193. (i.) *Quod omnes cogitationes hominis sint ex affectionibus amoris vitae ejus, et quod nullae cogitationes sint, nec dari possint, absque illis.*—Quid amor vitae, et quid affectiones et inde cogitationes, et ex his sensationes et actiones, quae in corpore existunt, in sua essentia sunt, supra in hac transactione, et quoque in illa quae vocatur *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia*, in specie in Parte ejus Prima et Quinta, ostensum est. Nunc quia inde sunt causae, ex quibus prudentia humana ut effectus profluit, necessum est, ut aliqua de illis hic quoque adducantur : nam quae alibi scripta sunt, non possunt cum illis quae scribuntur post illa, ita continue necti, sicut si eadem revocantur et ponuntur in conspectu. [**2.**] In hac transactione antehac, et in supramemorata *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est, quod in Domino sit Divinus Amor et Divina Sapientia, et quod illa duo sint ipsa Vita, et quod ex illis duobus sint homini voluntas et intellectus, ex Divino

Amore voluntas et ex Divina Sapientia intellectus; et quod illis duobus in corpore correspondeant cor et pulmo; et quod inde constare possit, quod sicut pulsus cordis una cum respiratione pulmonis regit totum hominem quoad ejus corpus, ita voluntas una cum intellectu regat totum hominem quoad ejus mentem: et quod sic duo principia vitae sint apud unumquemvis hominem, unum naturale et alterum spirituale, et quod principium naturale vitae sit pulsus cordis, et spirituale vitae sit voluntas mentis; et quod utrumque adjungat sibi consortem, cum qua cohabitet, et cum qua vitae functiones agat, et quod cor sibi conjungat pulmonem, et quod voluntas sibi conjungat intellectum. [**3.**] Nunc quia anima voluntatis est amor, et anima intellectus est sapientia, utraque a Domino, sequitur, quod amor sit vita cujusvis, et quod amor talis vita sit, qualis conjuncta est sapientiae; seu quod idem, quod voluntas sit vita cujusvis, et quod haec talis vita sit, qualis conjuncta est intellectui. Sed de his plura in [hac] transactione supra, et imprimis in *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia*, in Parte Prima et Parte Quinta, videantur.

194. In supradictis transactionibus etiam demonstratum est, quod amor vitae producat ex se amores subalternos, qui vocantur affectiones, et quod hae sint exteriores et interiores; et quod hae simul sumptae faciant sicut unum dominium seu regnum, in quo amor vitae est dominus seu rex: tum etiam demonstratum est, quod amores illi subalterni seu affectiones adjungant sibi consortes, unaquaevis suam, affectiones interiores consortes quae vocantur perceptiones, et affectiones exteriores consortes quae vocantur cogitationes, et quod unaquaevis cum sua consorte cohabitet, et vitae suae munia obeat: et quod talis sit conjunctio utriusque, qualis est Esse vitae cum Existere vitae, quae talis est, ut unum non sit aliquid nisi simul cum altero; quid enim est Esse vitae nisi existat? et quid est Existere vitae nisi ab Esse vitae? Tum quod talis sit conjunctio vitae, qualis est soni et harmoniae, tum soni et loquelae, in genere qualis est pulsus cordis et respirationis pulmonis: quae conjunctio talis est, ut unum absque altero non sit aliquid, et quod unum per conjunctionem cum altero fiat aliquid. Conjunctiones erunt

vel in illis, vel fiunt per illa. Ut pro exemplo sonus: qui putat quod sonus sit aliquid, nisi in illo sit quod distinguit, fallitur; sonus etiam correspondet affectioni apud hominem; et quia in illo semper est aliquid quod distinguit, ideo ex sono hominis loquentis cognoscitur ejus amoris affectio; et ex variatione ejus, quae est loquela, ejus cogitatio. Inde est, quod angeli sapientiores solum ex sono loquentis percipiant amores vitae ejus, una cum quibusdam affectionibus, quae sunt derivationes. Haec dicta sunt, ut sciatur, quod non detur affectio absque sua cogitatione, nec cogitatio absque sua affectione. Sed plura de his supra in hac transactione, et in *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia*, videantur.

195. Nunc quia amor vitae suum jucundum habet, et sapientia ejus suum amoenum, similiter omnis affectio, quae in sua essentia est amor subalternus derivatus ab amore vitae, sicut rivus a suo fonte, aut sicut ramus a sua arbore, aut sicut arteria a suo corde; quare cuilibet affectioni est suum jucundum et inde perceptioni et cogitationi suum amoenum. Inde sequitur, quod jucunda et amoena illa faciant vitam hominis. Quid vita absque jucundo et amoeno? Non est aliquid animatum sed inanimatum: diminue illa et frigesces aut torpesces, et aufer illa et exspirabis et morieris: [**2.**] ex jucundis affectionum et ex amoenis perceptionum et cogitationum, est calor vitalis. Quoniam cuivis affectioni est suum jucundum, et inde cogitationi suum amoenum, constare potest, unde est bonum et verum, tum quid bonum et verum in sua essentia sunt. Bonum est cuivis quod ejus affectionis jucundum est, ac verum quod ejus cogitationis amoenum inde est: quisque enim vocat id bonum, quod ex amore voluntatis suae sentit jucundum, et vocat id verum, quod ex sapientia intellectus sui percipit amoenum inde. Utrumque effluit ex amore vitae sicut aqua ex fonte, aut sicut sanguis ex corde: utrumque simul sumptum est sicut unda aut atmosphaera, in qua tota mens humana est. [**3.**] Haec duo, jucundum et amoenum, in mente sunt spiritualia, in corpore autem sunt naturalia; utrinque faciunt vitam hominis. Ex his patet, quid apud hominem est quod vocatur bonum, et quid quod vocatur verum: tum etiam quid apud hominem est, quod vocatur malum et quod vocatur falsum; quod

nempe ei malum sit, quod destruit jucundum affectionis ejus, et id falsum quod destruit amoenum cogitationis ejus inde; et quod malum ex jucundo suo et falsum ex amoeno suo possint dici et credi bonum et verum. Sunt quidem bona et vera mutationes et variationes status formarum mentis, sed hae unice percipiuntur et vivunt per jucunda et amoena illorum. Haec allata sunt, ut sciatur quid affectio et cogitatio in sua vita.

196. Nunc quia mens hominis est, quae cogitat, (ac cogitat ex jucundo affectionis suae,) et non corpus, et quia mens hominis est ejus spiritus, qui vivit post mortem, sequitur quod spiritus hominis non sit nisi quam affectio et inde cogitatio. Quod non dari queat ulla cogitatio absque affectione, manifeste patet ex spiritibus et angelis in mundo spirituali, quod omnes ibi cogitent ex affectionibus amoris vitae illorum, et quod jucundum illarum circumstipet unumquemvis, sicut atmosphaera ejus; et quod secundum has sphaeras exhalatas ex affectionibus per cogitationes illorum, omnes ibi conjungantur: quisque etiam ex suae vitae sphaera cognoscitur qualis est. Ex his constare potest, quod omnis cogitatio sit ex affectione, et quod sit forma suae affectionis. Simile est cum voluntate et intellectu; et simile est cum bono et vero; et simile cum charitate et fide.

197. (ii.) *Quod affectiones amoris vitae hominis sint soli Domino notae.*—Homo suas cogitationes et inde intentiones novit, quia illas in se videt; et quia omnis prudentia est ex illis, etiam illam in se videt. Si tunc ejus vitae amor est amor sui, in fastum propriae intelligentiae venit, et sibi adscribit prudentiam; et colligit argumenta pro illa, et sic recedit ab agnitione Divinae Providentiae. Similiter fit, si amor mundi est amor vitae; sed usque hic non in tali gradu recedit. Ex quibus patet, quod illi bini amores adscribant homini et ejus prudentiae omnia; et si interius explorantur, nihil Deo et Ipsius Providentiae. Quare cum forte audiunt, quod veritas sit, quod humana prudentia sit nulla, sed quod Divina Providentia sit sola, quae regit omnia, si prorsus athei sunt, rident ad illud; at si aliquid ex religione retinent memoria, et illis dicitur, quod omnis sapientia sit a Deo, quidem ad primum auditum affirmant, sed usque intus in spiritu suo id negant.

Tales sunt imprimis sacerdotes, qui se prae Deo, et mundum prae caelo amant ; seu quod idem, qui propter honores et lucra colunt Deum, et usque praedicaverunt, quod charitas et fides, omne bonum et verum, tum omnis sapientia, immo prudentia, sint a Deo, et nihil ab homine. [2.] Quondam in mundo spirituali audivi binos sacerdotes cum quodam legato regni disceptantes de prudentia humana, num sit a Deo vel ab homine. Ardens erat disceptatio. Tres illi corde crediderunt similiter, nempe quod prudentia humana faciat omnia, et Divina Providentia nihil : sed sacerdotes, qui tunc erant in zelo theologico, dicebant quod nihil sapientiae et prudentiae sit ab homine ; et cum legatus regerebat, quod sic nec aliquid cogitationis, dicebant quod non aliquid. Et quia perceptum est ab angelis, quod tres illi in simili fide essent, dictum est legato regni, "Indue vestes sacerdotis, et crede te sacerdotem esse, et tunc loquere." Ille induit et credidit, et tunc alte locutus est quod nihil sapientiae et prudentiae usquam dari possit in homine, nisi a Deo ; ac sueto eloquio argumentis rationalibus pleno id defendit. Et postea binis illis sacerdotibus etiam dictum est, "Exuite vestes, ac induite vestes ministrorum politicorum, et credite quod illi sitis." Et fecerunt ita, et [1]simul tunc cogitaverunt ex interiori se, et locuti ex argumentis, quae prius intus foverant pro humana prudentia contra Divinam Providentiam. Postea tres illi, quia in simili fide fuerunt, amici cordis facti sunt, et viam propriae prudentiae, quae in infernum tendit, simul iniverunt.

198. Supra ostensum est, quod non aliqua cogitatio hominis detur, nisi ex affectione aliqua amoris vitae ejus ; et quod cogitatio non sit aliud quam forma affectionis. Cum itaque homo videt suam cogitationem, et non potest affectionem, hanc enim sentit, sequitur quod ex visu, qui est in apparentia, statuat quod propria prudentia faciat omnia ; et non ex affectione, quae non in visum venit, sed in sensum. Affectio enim se solum manifestat per quoddam jucundum cogitationis et volupe ratiocinationis de eo ; et tunc hoc volupe et jucundum facit unum cum cogitatione apud illos, qui in fide propriae prudentiae sunt ex amore sui aut ex amore mundi ; et cogitatio in jucundo suo fluit sicut navis in vena fluminis, ad quam nauclerus non advertit, sed solum ad vela quae expandit.

199. Homo quidem potest reflectere super externae affectionis suae jucundum, dum hoc sicut unum agit cum jucundo alicujus sensus corporis ; sed usque non reflectit super id, quod id jucundum sit ex jucundo affectionis ejus in cogitatione. Ut pro exemplo : scortator cum videt meretricem, visus oculi ejus rutilat ex igne lasciviae, et ex illo sentit jucundum in corpore ; sed tamen non sentit jucundum affectionis seu concupiscentiae ejus in cogitatione, nisi aliquod cupidum una cum corpore. Similiter latro in silva, dum videt peregrinantes ; et pirata in mari dum videt navigia ; similiter in reliquis. Quod illa jucunda regant cogitationes ejus, et quod cogitationes absque illis non sint aliquid, patet ; sed putat quod solum cogitationes sint, cum tamen cogitationes non sunt nisi quam affectiones in formas ab amore vitae ejus compositae, ut appareant in luce ; nam omnis affectio est in calore, et cogitatio in luce. [**2.**] Hae sunt affectiones externae cogitationis, quae quidem se manifestant in sensatione corporis, sed raro in cogitatione mentis. At affectiones internae cogitationis, ex quibus externae existunt, coram homine nusquam se manifestant ; de his homo non plus scit, quam dormiens in curru de via, et quam sentit telluris circumrotationem. Nunc cum homo nihil scit de illis quae peraguntur in interioribus mentis suae, quae tam infinita sunt, ut numeris definiri nequeant, et tamen pauca illa externa, quae ad visum cogitationis perveniunt, ex interioribus producuntur, ac interiora a solo Domino per Divinam Ipsius Providentiam reguntur, et pauca illa externa una cum homine, quomodo tunc aliquis dicere potest, quod propria ejus prudentia faciat omnia ? Si videres solum unam ideam cogitationis reclusam, videres stupenda plura, quam lingua potest effari. [**3.**] Quod in interioribus mentis hominis tam infinita sint, ut numeris definiri nequeant, patet ex infinitis in corpore, ex quibus nihil ad visum et ad sensum pervenit, quam sola actio in multa simplicitate ; ad quam tamen concurrunt millia fibrarum motricium seu muscularium, millia fibrarum nervearum, millia vasculorum sanguineorum, millia pulmonis, qui in omni actione cooperabitur, millia in cerebris et in spina dorsali ; et multo plura adhuc in spirituali homine, qui est mens humana, cujus omnia sunt affectionum, et inde perceptionum et cogitationum

formae. Annon anima, quae disponit interiora, disponit etiam actiones ex illis? Anima hominis non aliud est quam amor voluntatis ejus, et inde amor intellectus ejus. Qualis hic amor est, talis est totus homo; et fit talis secundum dispositionem in externis, in quibus homo simul cum Domino est. Quare si sibi et naturae tribuit omnia, fit anima amor sui; at si Domino tribuit omnia, fit anima amor Domini, et hic amor caelestis est, et ille amor infernalis.

200. Nunc quia jucunda affectionum hominis ab intimis per interiora ad exteriora, et tandem ad extrema quae sunt in corpore, ferunt hominem sicut unda et atmosphaera navem, et nihil eorum apparet homini, nisi quod in extremis mentis et in extremis corporis fit, quomodo tunc potest homo vindicare sibi Divinum ex eo solum, quod pauca illa extrema appareant illi sicut sua? Et adhuc minus debet sibi Divinum vindicare, dum scit ex *Verbo*, quod homo non possit sumere aliquid ex se, nisi id ei sit datum e caelo; et ex *Ratione*, quod apparentia illa ei data sit, ut vivat homo, videat quid bonum et malum, eligat unum aut alterum, appropriet sibi id quod eligit, ut possit reciproce conjungi Domino, reformari, regenerari, salvari, et vivere in aeternum. Quod apparentia illa data sit homini, ut ex libero secundum rationem agat, ita sicut ex se, et non remittere manum, et exspectare influxum, supra dictum et ostensum est. Ex his sequitur confirmatum id quod demonstrandum erat tertio, *Quod affectiones amoris vitae hominis a Domino per Divinam Ipsius Providentiam ducantur, et simul tunc cogitationes, ex quibus prudentia humana.*

201. (iv.) *Quod Dominus per Divinam suam Providentiam componat affectiones* [[1]*totius generis humani*] *in unam formam, quae est humana.*—Quod hoc sit universale Divinae Providentiae, in subsequenti paragrapho videbitur. Illi qui omnia naturae adscribunt, etiam omnia prudentiae humanae adscribunt; nam qui omnia naturae adscribunt negant corde Deum; et qui omnia prudentiae humanae, negant corde Divinam Providentiam; non separatur unum ab altero. Sed usque hi et illi propter nominis sui famam, et timorem jacturae ejus, ore ferunt, quod Divina Providentia sit universalis, et quod singularia ejus sint apud

hominem; et quod haec singularia in complexu intelligantur per humanam prudentiam. [**2.**] Sed cogita tecum, quid universalis Providentia, cum singularia separata sunt; num sit aliud quam sola vox? Universale enim dicitur id quod a singularibus simul fit, sicut commune quod a particularibus existit; si itaque singularia separas, quid tunc universale, nisi sicut quoddam quod intus vacuum est, ita sicut superficies intra quam nihil est, aut complexus in quo non aliquid? Si diceretur, quod Divina Providentia sit regimen universale, et non aliquid regitur, sed modo continetur in nexu, et illa quae regiminis sunt disponuntur ab aliis, num hoc potest vocari universale regimen? Tale regimen non est ulli regi; nam si rex quidam daret subditis regere omnia sui regni, is non amplius rex foret, sed modo vocaretur rex; ita solum dignitatem nominis, et non dignitatem alicujus rei haberet. Apud talem regem non potest praedicari regimen, minus universale regimen. [**3.**] Providentia apud Deum vocatur prudentia apud hominem. Sicut non dici potest universalis prudentia apud regem, qui sibi non plus reservavit quam nomen propterea ut regnum dicatur regnum, et sic contineatur, ita non potest dici universalis Providentia si homines ex propria prudentia providerent omnia. Simile est cum nomine universalis Providentiae ac universalis regiminis cum dicitur de natura, quando intelligitur quod Deus creaverit universum, ac indiderit naturae ut illa ex se produceret omnia. Quid tunc universalis Providentia, quam vox metaphysica, quae praeter vocem est non ens. Sunt quoque multi ex illis qui tribuunt naturae omne quod producitur, et prudentiae humanae omne quod fit, et tamen ore dicunt quod Deus creaverit naturam, qui nec aliter de Divina Providentia, quam sicut de voce inani, cogitant. Sed res in se talis est, quod Divina Providentia sit in singularissimis naturae, ac in singularissimis prudentiae humanae, et quod ex illis sit universalis.

202. Divina Domini Providentia universalis ex singularissimis est in eo, quod creaverit universum, ut in illo creatio infinita ac aeterna ab Ipso existat; et haec creatio existit, per quod Dominus ex hominibus formet caelum, quod coram Ipso sit sicut unus homo, qui imago et similitudo Ipsius. Quod caelum ex hominibus in conspectu

Domini tale sit, et quod illud fuerit finis creationis, ostensum est supra (n. 27–45); et quod Divinum spectet in omni quod facit infinitum ac aeternum (n. [1]46–69). Infinitum ac aeternum quod Dominus in formando suo caelo ex hominibus spectat, est quod illud amplietur in infinitum ac in aeternum; et sic quod in fine suae creationis constanter habitet. Haec creatio infinita ac aeterna est, quam Dominus providit per creationem universi, et in illa creatione est constanter per Divinam suam Providentiam. [**2.**] Quis potest tam expers rationis esse, qui ex doctrina ecclesiae scit et credit, quod Deus sit infinitus et aeternus, (*in Doctrina enim omnium Ecclesiarum in Christiano orbe est, quod Deus Pater, Deus Filius et Deus Spiritus Sanctus, sit infinitus, aeternus, increatus, omnipotens; videatur Symbolum Athanasianum;*) et non affirmat cum audit, quod non possit aliter quam spectare infinitum ac aeternum in magno opere suae creationis? Quid aliud potest dum ex Se? tum quod illud spectet in humano genere, ex quo format illud suum caelum. Quid nunc Divina Providentia potest aliud pro fine habere quam reformationem generis humani et ejus salvationem? Et nemo reformari potest a se per suam prudentiam, sed a Domino per Divinam Ipsius Providentiam. Inde sequitur, quod nisi Dominus ducit hominem unoquovis momento etiam minutissimo, homo recedat a via reformationis et pereat. [**3.**] Unaquaevis mutatio et variatio status mentis humanae aliquid mutat et variat in serie praesentium et inde consequentium: quid non progressive in aeternum? Est sicut telum ex arcu emissum, quod si ex collimatione minutissime declinaret a scopo, illud ad distantiam milliaris et plurium declinaret immensum. Ita foret si Dominus non unoquovis minutissimo momento duceret status mentium humanarum. Hoc facit Dominus secundum leges Divinae suae Providentiae; secundum quas etiam est, ut appareat homini sicut ipse se ducat; sed praevidet Dominus quomodo se ducit, et jugiter accommodat. Quod leges permissionis etiam sint leges Divinae Providentiae, et quod omnis homo reformari et regenerari possit, et quod non aliter praedestinatum detur, videbitur in sequentibus.

203. Cum itaque omnis homo post mortem vivit in aeternum, et secundum vitam suam sortitur locum velin

caelo vel in inferno, ac utrumque tam caelum quam infernum, erit in forma, quae ut unum aget, ut prius dictum est; et nemo in illa forma alium locum potest sortiri quam suum; sequitur quod genus humanum in toto terrarum orbe sit sub auspicio Domini; et unusquisque ab infantia usque ad vitae suae finem in singularissimis ab Ipso ducatur, ac praevideatur et simul provideatur locus ejus. [**2.**] Ex quibus patet, quod Divina Domini Providentia sit universalis quia est in singularissimis; et quod hoc sit infinita ac aeterna creatio, quam Dominus Sibi providit per creationem universi. De hac universali Providentia homo non videt aliquid; et si videret, illa non potest aliter apparere coram oculis ejus, quam sicut a praetereuntibus apparent sparsi acervi et congestae strues, ex quibus formanda est domus; at a Domino sicut magnificum Palatium jugiter in sua constructione, et in sua amplificatione.

204. (v.) *Quod Caelum et Infernum in tali forma sit.*—Quod caelum in forma humana sit, in opere *De Caelo et Inferno*, Londini, 1758 edito (n. 59–102), notum factum est; et quoque in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia;* et quoque in hac transactione aliquoties: quare illa ulterius confirmare supersedeo. Dicitur quod infernum etiam in forma humana sit; sed est in forma humana monstrosa, in quali est diabolus, per quem intelligitur infernum in toto complexu. In forma humana est, quia etiam illi qui ibi sunt, nati sunt homines, et illis quoque sunt binae illae facultates humanae quae vocantur libertas et rationalitas; tametsi libertate abusi sunt ad volendum et faciendum malum, et rationalitate ad cogitandum et confirmandum illud.

205. (vi.) *Quod illi qui solam naturam et solam prudentiam humanam agnoverunt, faciant infernum; et qui Deum et Divinam Ipsius Providentiam agnoverunt, faciant caelum.*—Omnes qui malam vitam agunt, interius agnoscunt naturam, et solam prudentiam humanam; harum agnitio latet intus in omni malo, utcunque circumvelatur bonis et veris; haec sunt modo vestes mutuo petitae, aut sicut serta ex flosculis qui pereunt, circumposita ne malum in sua nuditate appareat. Quod omnes qui malam vitam agunt, interius agnoscant solam naturam et solam prudentiam humanam, ex communi illa circumvelatione non

scitur, per illam enim hoc subducitur visui : at quod usque agnoscant, constare potest ex origine et causa agnitionis illarum ; quae ut detegatur, dicetur, unde et quid propria prudentia ; deinde unde et quid Divina Providentia ; postea, quinam et quales hi et illi sunt ; et demum, quod qui Divinam Providentiam agnoscunt, in caelo sint, et qui propriam prudentiam in inferno.

206. *Unde et quid propria prudentia.*—Est illa ex proprio hominis, quod est natura ejus, et vocatur anima ejus ex parente. Id proprium est amor sui et inde amor mundi, aut amor mundi et inde amor sui. Amor sui talis est, ut se solum spectet, et alios vel sicut viles vel sicut nihili ; si quosdam ut aliquid, est quamdiu illum honorant et colunt. Intime in illo amore, sicut conatus fructificandi et prolificandi in semine, latet quod velit fieri magnas, et si potest, fieri rex, et si tunc potest, fieri deus. Talis est diabolus, quia ille est ipse amor sui ; hic talis est ut se ipsum adoret, et non alicui faveat, nisi qui etiam illum adorat ; alium diabolum sibi similem odio habet, quia vult solus adorari. Quoniam non dari potest aliquis amor absque sua consorte, et consors amoris seu voluntatis in homine vocatur intellectus, cum amor sui intellectui consorti suae inspirat suum amorem, fit ille ibi fastus, qui est fastus propriae intelligentiae ; inde est propria prudentia. [**2.**] Nunc quia amor sui vult solus Dominus mundi esse, ita quoque deus, ideo concupiscentiae mali, quae sunt derivationes ejus, in se habent vitam ex illo ; similiter perceptiones concupiscentiarum, quae sunt astutiae ; similiter etiam concupiscentiarum jucunda quae sunt mala, et illorum cogitationes quae sunt falsa. Omnia sunt sicut servi et ministri sui domini, et ad omnem ejus nutum agunt, nescientes quod non agant, sed quod agantur ; aguntur ab amore sui per fastum propriae intelligentiae. Inde est, quod in omni malo ex origine sua lateat propria prudentia. [**3.**] Quod etiam lateat agnitio solius naturae, est quia occlusit fenestram tecti sui, per quam patet caelum, et quoque fenestras laterum, ne videat et audiat quod solus Dominus regat omnia, et quod natura in se mortua sit, et quod proprium hominis sit infernum, et inde amor proprii diabolus ; et tunc fenestris clausis ille est in tenebris, et ibi facit sibi focum, ad quem

ille cum sua consorte sedet, et pro natura contra Deum, et pro propria prudentia contra Divinam Providentiam amice ratiocinantur.

207. *Unde et quid Divina Providentia.*—Est Divina operatio apud hominem, qui amorem sui removit; amor enim sui est, ut dictum est, diabolus, ac concupiscentiae et harum jucunda sunt mala regni ejus, quod est infernum; quo remoto, intrat Dominus cum affectionibus amoris proximi, et aperit fenestram tecti ejus, et dein fenestras laterum, et facit ut videat quod caelum sit, quod vita post mortem, et quod aeterna felicitas; et per lucem spiritualem et simul per amorem spiritualem tunc influentes, facit illum agnoscere, quod Deus per Divinam suam Providentiam regat omnia.

208. *Quinam et quales hi et illi sunt.*—Illi qui Deum, et Divinam Ipsius Providentiam agnoscunt, sunt sicut angeli caeli, qui aversantur duci a semet, et amant duci a Domino. Indicium quod ducantur a Domino, est quod ament proximum. At qui naturam et propriam prudentiam agnoscunt, sunt sicut spiritus inferni, qui aversantur duci a Domino, et amant duci a semet: qui si fuerunt magnates Regni, volunt dominari super omnia: similiter si fuerunt primates ecclesiae; si fuerunt judices, pervertunt judicia, et dominatum super leges exercent; si fuerunt docti, scientifica applicant ad confirmandum proprium hominis et naturam; si negotiatores fuerunt, agunt latrones; si coloni fuerunt, agunt [1]fures. Omnes sunt hostes Dei, et subsannatores Divinae Providentiae.

209. Mirabile est, quod cum aperitur talibus caelum, et dicitur quod insaniant, et id quoque ad ipsam illorum perceptionem, quod fit per influxum ac illustrationem, manifestatur, usque tamen ex indignatione occludunt sibi caelum, et spectant in terram, sub qua est infernum. Hoc fit cum illis in mundo spirituali, qui adhuc extra infernum sunt, ac tales: ex quo patet error illorum, qui cogitant, "Si videro caelum, et audivero angelos mecum loquentes, agnoscam." Sed intellectus illorum agnoscit, at si non simul voluntas, usque non agnoscunt: nam amor voluntatis inspirat intellectui quicquid vult, et non vicissim; immo delet omne quod in intellectu non a semet est.

210. (vii.) *Quod omnia haec non fieri possint, nisi appareat homini quod ex se cogitet et ex se disponat.*—Quod nisi appareat homini, sicut vivat ex se, et sic quod cogitet et velit, loquatur et agat sicut a se, homo non foret homo, in praecedentibus plene demonstratum est; ex quo sequitur, quod nisi homo omnia quae functionis et vitae ejus sunt, disponat sicut ex propria prudentia, non possit duci et disponi ex Divina Providentia; foret enim sicut qui staret remissis manibus, aperto ore, occlusis oculis, et retracto spiritu, in exspectatione influxus; ita exueret se humano, quod illi est ex perceptione et sensatione, quod vivat, cogitet, velit, loquatur et agat sicut ex se; et simul tunc exueret se binis suis facultatibus, quae sunt libertas et rationalitas, per quas distinguitur a bestiis: quod absque apparentia illa non foret alicui homini receptivum et reciprocum, et sic non immortalitas, in hac transactione supra, et in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est. [**2.**] Quare si vis duci a Divina Providentia, utere prudentia, sicut servus et minister, qui fideliter dispensat bona domini sui. Prudentia illa est mina, quae data est servis ad negotiandum, cujus rationem reddent (*Luc.* xix. 13–[1]28; *Matth.* xxv. 14–31). Ipsa prudentia apparet homini sicut propria, et tamdiu ut propria creditur, quamdiu homo tenet infensissimum hostem Dei et Divinae Providentiae, qui est amor sui, inclusum. Hic habitat in interioribus cujusvis hominis ex nativitate; si illum non cognoscis, (vult enim non cognosci,) habitat secure, et custodit portam, ne ab homine aperiatur, et sic a Domino ejiciatur. Porta illa ab homine aperitur, per quod mala fugiat ut peccata sicut a se, cum agnitione quod a Domino. Haec prudentia est, cum qua Divina Providentia unum agit.

211. Quod Divina Providentia tam occulte operetur, ut vix aliquis sciat quod sit, est ne homo pereat. Nam proprium hominis, quod est voluntas ejus, nusquam unum agit cum Divina Providentia; est proprio hominis inimicitia innata contra illam; est enim illud serpens qui seduxit primos parentes, de quo dicitur,

> "Inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et inter Semen ejus, et Hoc conculcabit tibi caput" (*Gen.* iii. 15).

"serpens" est malum omnis generis, "caput" ejus est

amor sui, "Semen mulieris" est Dominus, "inimicitia" quae est posita, est inter amorem proprii hominis et inter Dominum, ita quoque inter propriam prudentiam hominis et inter Divinam Providentiam Domini ; nam propria prudentia continua est in exaltatione capitis istius, et Divina Providentia est continua in depressione ejus. [**2.**] Si homo hoc sentiret, irasceretur et exacerbaretur contra Deum, ac periret ; at dum non sentit illud, potest irasci et exacerbari contra homines, et contra semet, et quoque contra fortunam, per quae non perit. Inde est, quod Dominus per Divinam suam Providentiam jugiter ducat hominem in libero, ac liberum non aliter apparet homini quam sicut ejus proprium : et ducere oppositum sibi in libero, est sicut pondus grave et renitens subducere e terra per helices, per quarum vires gravitas et renisus non sentitur : et est sicut quis apud hostem est, in cujus animo est illum trucidare, quod tunc nescit ; et amicus illum per ignotas vias educit, et postea animum hostis detegit.

212. Quis non Fortunam nominat? et quis non agnoscit illam, quia illam nominat, et quia aliquid de illa ab experientia scit? Sed quis scit quid illa? Quod sit aliquid, quia est et quia datur, non negari potest ; et non potest aliquid esse et dari absque causa ; sed causa hujus alicujus seu fortunae ignoratur. Ne autem negetur ex sola ignorata causa, sume talos aut chartulas lusorias, et lude, aut consule ludificatores ; quis horum negat fortunam? hi enim cum illa et haec cum illis mirabiliter ludunt. Quis potest contra illam, si obnixa est, agere? Ridetne tunc prudentiam et sapientiam? Estne dum volvis talos et versas chartulas, sicut illa sciat et disponat volutiones et versationes poplitum manus, ad favendum uni plus quam alteri ex quadam causa? Num causa potest aliunde dari, quam ex Divina Providentia in ultimis, ubi illa per constantias et inconstantias cum prudentia humana mirifice agit, et simul se occultat? [**2.**] Quod gentiles olim Fortunam agnoverint, et templum ei struxerint, etiam Itali Romae, notum est. De hac Fortuna, quae est, ut dictum, Divina Providentia in ultimis, multa scire datum est quae non licet manifestare : ex quibus mihi patuit, quod non sit illusio mentis, nec ludificatio naturae, nec aliquid absque causa, hoc enim non est aliquid, sed quod sit testi-

ficatio ocularis, quod Divina Providentia sit in sigularissimis cogitationum et actionum hominis. Cum Divina Providentia datur in singularissimis rerum tam vilium et levium, quid non in singularissimis rerum non vllium et levium, quae sunt res pacis et belli in mundo, ac res salutis et vitae in caelo?

213. Sed scio, quod prudentia humana ferat rationale plus in suas partes, quam Divina Providentia in suas; ex causa, quia haec non apparet, et illa apparet. Facilius potest recipi, quod unica Vita sit, quae Deus, et quod omnes homines recipientes vitae sint ab Ipso, ut multis prius ostensum est, et hoc tamen idem est, quia prudentia est vitae. Quis non ratiocinando loquitur pro propria prudentia et pro natura, dum ex naturali seu externo homine? At quis non ratiocinando loquitur pro Divina Providentia et pro Deo, dum ex spirituali seu interno homine? Sed quaeso, (dico ad naturalem hominem,) scribe libros, et imple illos argumentis plausibilibus, probabilibus et verosimilibus in tuo judicio solidis, unum pro propria prudentia, alterum pro natura, et postea da illos alicui angelo in manum, ac scio quod haec pauca subscripturus sit, Sunt omnia apparentiae et fallacia.

Quod Divina Providentia spectet aeterna, et non aliter temporaria, quam quantum concordant cum aeternis.

214. Quod Divina Providentia spectet aeterna, et non aliter temporaria, quam quantum unum faciunt cum aeternis in hoc ordine demonstrandum est:

(i.) *Quod temporaria se referant ad dignitates et divitias, ita ad honores et lucra, in mundo.*
(ii.) *Quod aeterna se referant ad honores et opes spiriuales, quae sunt amoris et sapientiae, in caelo.*
(iii.) *Quod temporaria ac aeterna separentur ab homine, sed conjungantur a Domino.*
(iv.) *Quod temporariorum ac aeternorum conjunctio sit Divina Domini Providentia.*

215. (i.) *Quod temporaria se referant ad dignitates et divitias, ita ad honores et lucra in mundo.*—Sunt multa temporaria, sed usque omnia se referunt ad dignitates et divitias. Per temporaria intelliguntur illa quae vel cum tempore pereunt; vel quae cum vita hominis in mundo solum desinunt; per aeterna autem intelliguntur, quae non cum tempore, ita non cum vita in mundo pereunt et desinunt. Quoniam, ut dictum est, omnia temporaria se referunt ad dignitates et divitias, interest scire haec sequentia, nempe, Quid et unde dignitates et divitiae sunt: qualis amor illarum propter illas est, et qualis amor illarum propter usus: quod bini illi amores inter se distincti sint sicut infernum et caelum: quod discrimen illorum amorum aegre ab homine sciatur. Sed de singulis his distincte. [**2.**] Primo: *Quid et unde dignitates et divitiae.* Dignitates et divitiae fuerunt prorsus aliae antiquissimis temporibus, quam factae sunt postea successive. Dignitates antiquissimis temporibus non aliae fuerunt, quam quales sunt inter parentes et liberos; quae dignitates fuerunt dignitates amoris, plenae respectu et veneratione, non propter nativitatem ex illis, sed propter instructionem et sapientiam ex illis, quae est altera nativitas, in se spiritualis, quia erat spiritus illorum. Haec sola dignitas fuit antiquissimis temporibus, quia tunc habitarunt gentes, familiae, et domus seorsim, et non sub imperiis sicut hodie. Paterfamilias erat, apud quem illa dignitas erat. Haec tempora a veteribus dicta fuerunt saecula aurea. [**3.**] At post illa tempora successive invasit amor dominandi ex solo jucundo amoris illius; et quia tunc simul invasit inimicitia et hostilitas contra illos, qui non se submittere volebant, ex necessitate congregaverunt se gentes, familiae et domus in coetus, et sibi praefecerunt, quem principio vocabant judicem, et postea principem, et demum regem et imperatorem: et quoque tunc coeperunt se munire per turres, aggeres, et muros. Ex judice, principe, rege ac imperatore, ut a capite in corpus, invasit sicut contagium libido dominandi in plures, inde gradus dignitatum orti sunt, et quoque honores secundum illas; et cum illis amor sui, et fastus propriae prudentiae. [**4.**] Simile factum est cum amore divitiarum. Antiquissimis temporibus, quando gentes et familiae inter se distincte habita-

bant, non fuit alius amor divitiarum quam quod possiderent necessaria vitae, quae sibi comparaverunt per greges et armenta, perque agros, campos et hortos, ex quibus illis erat victus. Inter necessaria vitae illorum, erant etiam domus decorae, omnis generis utensilibus ornatae, et quoque vestes: in studio et opera omnium illorum, fuerunt parentes, liberi, famuli, ancillae, qui in domo. [**5.**] At postquam amor dominandi invasit, et hanc rempublicam destruxit, etiam amor possidendi opes ultra necessitates invasit, et crevit in fastigium, ut possidere omnium aliorum opes vellet. Sunt illi bini amores sicut consanguinei; qui enim vult dominari super omnia, vult etiam possidere omnia, nam sic omnes fiunt servi, et illi soli domini. Hoc patet manifeste ex illis in gente pontificia, qui dominatum suum exaltaverunt usque in caelum ad thronum Domini, super quo se posuerunt; quod etiam conquirant totius terrae opes, ac thesauros amplificent absque fine. [**6.**] Secundo: *Qualis amor dignitatum et divitiarum propter illas est; et qualis amor dignitatum et divitiarum propter usus est.* Amor dignitatum et honorum propter dignitates et honores, est amor sui, proprie amor dominandi ex amore sui, ac amor divitiarum et opum propter divitias et opes, est amor mundi, proprie amor possidendi aliorum bona quacunque arte. Amor autem dignitatum et divitiarum propter usus, est amor usuum, qui idem est cum amore proximi; nam id propter quod homo agit, est finis a quo, et est primum seu primarium, et reliqua sunt media et sunt secundaria. [**7.**] Quod ad amorem dignitatum et honorum propter illas, qui idem est cum amore sui, proprie cum amore dominandi ex amore sui, est amor proprii; et proprium hominis est omne malum: inde est, quod dicatur quod homo nascatur in omne malum, et quod hereditarium ejus non sit nisi quam malum. Hereditarium hominis est proprium ejus, in quo est, et in quod venit per amorem sui, et praecipue per amorem dominandi ex amore sui; nam homo, qui in illo amore est, non spectat nisi semet, et sic in proprium suum immergit suas cogitationes et affectiones. Inde est, quod amori sui insit amor malefaciendi. Causa est, quia non amat proximum, sed se solum; et qui se solum amat, non videt alios quam extra se, vel sicut viles, vel sicut nihili,

quos contemnit prae se, quibus inferre malum nihili pendit. [8.] Ex eo est, quod qui in amore dominandi ex amore sui est, nihili pendat proximum defraudare, cum ejus uxore adulterari, illum blasphemare, vindictam contra illum usque ad necem spirare, in illum saevire, et similia alia. Hoc trahit homo ex eo, quod ipse diabolus non aliud sit, quam amor dominandi ex amore sui, cum quo conjunctus est, et a quo ducitur; et qui ducitur a diabolo, hoc est, inferno, ducitur in omnia illa mala; ac ducitur continue per jucunda istorum malorum. Inde est, quod omnes qui in inferno sunt, velint omnibus malefacere; at qui in caelo sunt, velint omnibus benefacere. Ex oppositione illa, existit id quod in medio est, in quo est homo, et est in illo sicut in aequilibrio, ut possit se vel ad infernum vel ad caelum vertere; et quantum favet malis amoris sui, tantum se convertit ad infernum; at quantum removet illa a se, tantum se convertit ad caelum. [9.] Datum est mihi sentire, quale et quantum est jucundum amoris dominandi ex amore sui. Missus sum in illum, cognoscendi causa; et fuit tale, ut excederet omnia jucunda quae in mundo sunt; erat jucundum totius mentis ab intimis ad ultima ejus, in corpore autem non aliter sentiebatur quam sicut volupe et lubens intumescente pectore; et quoque datum est sentire, quod ex illo jucundo sicut ex suo fonte scaturirent jucunda omnium malorum, ut adulterandi, vindicandi, defraudandi, blasphemandi, in genere malefaciendi. Simile jucundum etiam inest amori possidendi aliorum opes quacunque arte, et ex illo concupiscentiis, quae sunt derivationes; sed tamen non in illo gradu, nisi sit conjunctus cum amore sui. Quod autem dignitates et divitias non propter illas, sed propter usus, attinet, non est amor dignitatum et divitiarum, sed amor usuum, cui dignitates et divitiae inserviunt pro mediis; hic amor est caelestis: sed de hoc plura in sequentibus. Tertio: *Quod bini illi amores inter se distincti sint sicut infernum et caelum*, patet a nunc dictis, quibus haec adjiciam: quod omnes qui in amore dominandi ex amore sui sunt, quoad spiritum in inferno sint, quicunque sint, sive magni sive parvi; et quod omnes qui in illo amore sunt, in amore omnium malorum sint, quae si non faciunt, usque in spiritu suo licita credunt, et inde corpore faciunt, quando non dignitas et

honor, ac timor legis obstant: et quod plus est, amor dominandi ex amore sui intime in se recondit odium contra Deum, consequenter contra Divina quae ecclesiae sunt, ac imprimis contra Dominum. Si agnoscunt Deum, hoc faciunt solum ore; et si Divina ecclesiae, hoc faciunt ex timore jacturae honoris. Causa, quod ille amor intime recondat odium contra Dominum, est quia intime in illo amore est, quod velit esse Deus, se solum enim colit et adorat. Inde est, quod si quis illum honorat, usque eo, ut dicat quod ei Divina sapientia sit, et quod sit numen orbis, illum corde amet. [**11.**] Aliter est cum amore dignitatum et divitiarum propter usus; hic amor est caelestis, quia, ut dictum est, est idem cum amore proximi. Per usus intelliguntur bona; et inde per facere usus intelligitur facere bona; et per facere usus seu bona, intelligitur servire aliis ac ministrare illis. Hi tametsi in dignitate et in opulentia sunt, usque dignitatem et opulentiam non spectant aliter quam ut media ad faciendum usus, ita ad serviendum et ad ministrandum. Hi sunt qui intelliguntur per haec Domini verba,

> "Quisquis voluerit inter vos magnus fieri, esse debebit vester minister; et quisquis voluerit .... esse primus, esse debebit vester servus" (*Matth.* xx. 26, 27):

hi etiam sunt, quibus dominatio in caelo a Domino concreditur; est enim illis dominatio medium faciendi usus seu bona, ita serviendi, et cum usus seu bona sunt fines seu amores, tunc non illi dominantur, sed Dominus, nam omne bonum est ab Ipso. [**12.**] Quarto: *Quod discrimen illorum aegre ab homine sciatur*, est quia plerique, qui in dignitate et in opulentia sunt, etiam usus faciunt, sed non sciunt num usus faciant propter se aut num propter usus; et eo minus, quia amori sui et mundi inest plus ignis et ardoris faciendi usus, quam illis qui non in amore sui et mundi sunt; sed priores faciunt usus propter famam aut propter lucrum, ita propter se; sed qui faciunt usus propter usus, seu bona propter bona, illi non a se faciunt illa sed a Domino. [**13.**] Discrimen inter illos aegre ab homine potest cognosci; ex causa, quia homo nescit, num ducatur a diabolo, vel num a Domino; ille qui ducitur a diabolo, usus facit propter se et mundum, at qui ducitur a

Domino, usus facit propter Dominum et caelum ; et omnes illi usus faciunt a Domino, qui fugiunt mala ut peccata, at omnes illi usus faciunt a diabolo, qui non fugiunt mala ut peccata ; malum enim est diabolus, ac usus seu bonum est Dominus. Inde et non aliunde cognoscitur discrimen. Utrumque in externa forma apparet simile, sed in interna forma sunt prorsus dissimilia : unum est sicut aurum, in quo intus est scoria, at alterum sicut aurum in quo intus est purum aurum ; et est unum sicut fructus arte factus, qui apparet in externa forma sicut fructus ex arbore, cum tamen est cera colorata, in qua intus est pulvis aut bitumen ; at alterum sicut fructus nobilis, sapore et odore amoenus, in quo intus sunt semina.

216. (ii.) *Quod aeterna se referant ad honores et opes spirituales, quae sunt amoris et sapientiae, in caelo.*—Quoniam naturalis homo jucunda amoris sui, quae etiam sunt jucunda concupiscentiarum mali, vocat bona, et quoque confirmat quod sint bona, ideo honores et opes vocat benedictiones Divinas. At cum naturalis ille homo videt, quod mali aeque ac boni ad honores evehantur et ad opes promoveantur, et magis cum videt quod boni in contemptu et in paupertate sint, et mali in gloria et opulentia, secum cogitat, "Quid hoc ? Non potest esse Divinae Providentiae ; nam si illa regeret omnia, accumularet bonos honoribus et opibus, et afflictaret malos paupertate et contemptu, et sic adigeret malos ad agnoscendum, quod Deus et quod Divina Providentia sint." [**2.**] Sed naturalis homo nisi illustratus a spirituali homine, hoc est, nisi simul spiritualis sit, non videt quod honores et opes possint esse benedictiones ; et quoque quod possint esse maledictiones ; et quod cum benedictiones sunt, a Deo sint, et quod cum maledictiones sunt, a diabolo sint. Quod etiam dentur honores et opes a diabolo, notum est, nam ex eo vocatur ille princeps mundi. Nunc quia nescitur ubinam honores et opes sunt benedictiones, ac ubinam sunt maledictiones, dicendum est ; sed in hoc ordine :— (1.) Quod honores et opes sint benedictiones, et quod sint maledictiones. (2.) Quod honores et opes, quando sunt benedictiones, sint spirituales ac aeternae ; at quod dum sunt maledictiones, sint temporariae et caducae. (3.) Quod honores et opes, quae sunt maledictiones, respective ad

honores et opes quae sunt benedictiones, sint sicut non aliquid ad omne ; ac sicut quod in se non est, ad id quod in se est.

217. Nunc tria illa momenta per se illustranda sunt. Primo : *Quod honores et opes sint benedictiones, et quod sint maledictiones.* Communis experientia testatur, quod tam pii quam impii, sive tam justi quam injusti, hoc est, tam boni quam mali, in dignitatibus et opibus sint ; et tamen a nemine negari potest, quin impii et injusti, hoc est, mali in infernum veniant, ac pii et justi, hoc est, boni in caelum. Quoniam hoc verum est, sequitur quod dignitates et divitiae, seu honores et opes, sint vel benedictiones vel maledictiones, et quod apud bonos sint benedictiones, et quod apud malos sint maledictiones. In opere *De Caelo et Inferno*, Londini, anno 1758, edito (n. 357–365), ostensum est, quod tam divites quam pauperes, et tam magni quam parvi, in caelo sint, et quoque in inferno ; ex quo patet, quod dignitates et divitiae apud illos qui in caelo sunt, in mundo fuerint benedictiones, et quod apud illos qui in inferno sunt, in mundo fuerint maledictiones. [**2.**] Unde autem est, quod sint benedictiones, et unde est quod sint maledictiones, quisque potest, si modo aliquid de ea re ex ratione cogitat, scire ; quod nempe sint benedictiones apud illos, qui non cor in illis ponunt, et quod sint maledictiones apud illos qui cor in illis ponunt. Cor ponere in illis, est se amare in illis, et cor non ponere in illis, est usus et non se amare in illis. Quid et quale discrimen inter binos illos amores est, supra (n. 215) dictum est : quibus addendum est, quod dignitates et opes quosdam seducant, et quosdam non seducant : seducunt dum excitant amores proprii hominis, qui est amor sui, qui quod sit amor inferni, qui vocatur diabolus, supra etiam dictum est ; at non seducunt, dum illum amorem non excitant. [**3.**] Quod tam mali quam boni evehantur ad honores, et promoveantur ad opes, est quia mali aeque ac boni usus faciunt, sed mali propter honores et lucra suae personae, at boni propter honores et lucra ipsius rei ; hi spectant honores et lucra rei, ut causas principales, ac honores et lucra suae personae ut causas instrumentales ; mali autem spectant honores et lucra personae ut causas principales, ac honores et lucra rei ut causas instrumentales. Sed

quis non videt, quod persona, ejus functio et honor, sit propter rem, quam administrat, et non vicissim? Quis non videt, quod judex sit propter justitiam, magistratus propter rem communem, et rex propter regnum, et non vicissim? Quare etiam quisque in dignitate et honore, secundum leges regni, est secundum rei dignitatem, in cujus functione est: et quod discrimen sit sicut inter principale et instrumentale? Ille qui honorem rei sibi seu suae personae tribuit, apparet in mundo spirituali, dum id repraesentatur, sicut homo inversus corpore, pedibus sursum et capite deorsum. [**4.**] Secundo: *Quod dignitates et opes, quando sunt benedictiones, sint spirituales ac aeternae; et quod quando sunt maledictiones, sint temporariae et caducae.* Dignitates et opes in caelo sunt sicut in mundo, nam sunt ibi regimina, et inde administrationes et functiones, et quoque sunt negotiationes, et inde opes, quoniam sunt societates et coetus. Universum caelum distinctum est in bina regna, quorum unum vocatur regnum caeleste, alterum regnum spirituale; et unumquodvis regnum in innumeras societates, majores et minores, quae omnes et in quibus omnes secundum differentias amoris et inde sapientiae, ordinatae sunt; societates regni caelestis secundum differentias amoris caelestis, qui est amor in Dominum; et societates regni spiritualis secundum differentias amoris spiritualis, qui est amor erga proximum. Quia tales societates sunt, et omnes qui in illis sunt, fuerunt homines in mundo, et inde apud se retinent amores quos in mundo habuerunt, cum differentia quod illi tunc spirituales sint, et quod ipsae dignitates et opes sint spirituales in regno spirituali, ac caelestes in regno caelesti; consequenter quod illis dignitates et opes prae aliis sint, quibus amor et sapientia prae aliis sunt, qui sunt, quibus dignitates et opes fuerunt benedictiones in mundo. [**5.**] Ex his constare potest, quales sunt dignitates et opes spirituales, quod sint rei et non personae. Persona quidem [r]quae in dignitate ibi est, in magnificentia et gloria est, qualis est regum in terris; sed usque non spectant ipsam dignitatem ut aliquid, sed usus, in quorum administratione et functione sunt. Recipiunt quidem honores, quisque suae dignitatis, at ipsi non tribuunt sibi illos, sed ipsis usibus; et quia omnes usus sunt a Domino, tribuunt illos Domino,

a quo: tales itaque sunt dignitates et opes spirituales, quae aeternae sunt. [**6.**] Aliter vero fit illis, quibus dignitates et opes in mundo fuerunt maledictiones; hi quia illas sibi tribuerunt, et non usibus, et quia non voluerunt quod usus dominarentur super illos, sed illi super usus, quos reputaverunt ut usus, quantum suo honori et suae gloriae inserviverunt, ideo in inferno sunt, et ibi vilia mancipia, in contemptu et miseria; quare quia dignitates et opes illae pereunt, dicuntur temporariae et caducae. De his et illis ita docet Dominus,

> "Ne reponite vobis thesauros in terra, ubi aerugo et tinea corrumpit, et ubi fures perfodiunt et furantur: recondite autem vobis thesauros in caelo, ubi neque aerugo neque tinea corrumpit, et ubi fures non perfodiunt, neque furantur; nam ubi est thesaurus vester,..etiam est cor vestrum" (*Matth.* vi. 19–21).

[**7.**] Tertio: *Quod dignitates et opes quae sunt maledictiones, respective ad dignitates et opes quae sunt benedictiones, sint sicut non aliquid ad omne; et sicut quod non in se est, ad id quod in se est.* Omne quod perit, et non fit aliquid, intus in se non est aliquid, est quidem extus aliquid, immo apparet sicut multum, et quibusdam sicut omne, quamdiu durat, sed non intus in se. Est sicut superficies, intra quam non est aliquid; et est sicut persona theatri in regia veste, dum ludus finitur: at quod manet in aeternum, id in se perpetuo est aliquid, ita omne; et quoque Est, quia non desinit esse.

218. (iii.) *Quod temporaria ac aeterna separentur ab homine, sed quod conjungantur a Domino:* quod ita sit, est quia omnia hominis sunt temporaria, ex quibus homo potest vocari temporarius, ac omnia Domini sunt aeterna, ex quibus Dominus vocatur Aeternus; ac temporaria sunt quae finem habent et pereunt, at aeterna sunt quae non finem habent, et non pereunt. Quod haec duo non conjungi possint, nisi quam per infinitam sapientiam Domini, et sic quod a Domino conjungi possint, et non ab homine, quisque potest videre. Ut autem sciatur, quod illa duo ab homine separentur, et a Domino conjungantur, demonstrandum est in hoc ordine. (1.) Quid temporaria et quid aeterna. (2.) Quod homo sit temporarius in se, et quod Dominus sit aeternus in Se; et quod inde ab homine non possit procedere nisi quam temporarium, et quod a

Domino non nisi quam aeternum. (3.) Quod temporaria separent aeterna a se, et quod aeterna conjungant temporia sibi. (4.) Quod Dominus conjungat hominem Sibi per apparentias. (5.) Et quod per correspondentias.

219. Sed haec momenta singillatim per se illustranda et confirmanda sunt. Primo: *Quid temporaria, et quid aeterna.* Temporaria sunt omnia illa quae propria naturae sunt, et quae inde sunt propria homini. Propria naturae sunt imprimis spatia et tempora, utraque cum limite et termino; propria hominis inde sunt quae ejus proprie voluntatis et proprii intellectus sunt, et quae inde ejus affectionis et cogitationis, imprimis quae ejus prudentiae; quae quod finita et limitata sint, notum est. Aeterna autem sunt omnia quae propria Domini sunt, et ex Ipso sunt sicut propria homini. Propria Domini sunt omnia infinita ac aeterna, ita absque tempore, consequenter absque limite et absque fine: illa quae sunt inde sicut propria homini, similiter infinita ac aeterna sunt; verum nihil horum est hominis, sed sunt solius Domini apud illum. [**2.**] Secundo: *Quod homo sit temporarius in se, et quod Dominus sit aeternus in se; et quod inde ab homine non possit procedere nisi quam temporarium, et quod a Domino non nisi quam aeternum.* Quod homo in se temporarius sit, et quod Dominus in se aeternus, supra dictum est. Quoniam non aliud ab aliquo potest procedere quam quod in ipso est, sequitur quod ab homine non possit aliud procedere quam temporarium, et a Domino non aliud quam aeternum: non enim potest a finito procedere infinitum; quod possit procedere est contradictorium: verum usque potest a finito procedere infinitum, at non a finito sed ab infinito per illud. Vicissim etiam, non potest ab infinito procedere finitum, quod possit procedere, est etiam contradictorium; at ab infinito potest produci finitum, at hoc non est procedere, sed est creare: de qua re videatur *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia*, a principio ad finem: quare si a Domino procedit finitum, ut fit in multis apud hominem, non procedit a Domino, sed ab homine; et potest dici a Domino per hominem, quia ita apparet. [**3.**] Hoc potest illustrari per haec Domini verba,

> "Sermo vester erit Immo immo, Non non, quod ultra haec est, ex malo est" (*Matth.* v. 37);

talis sermo est omnibus in tertio caelo; illi enim nusquam ratiocinantur de rebus Divinis, num ita sit vel non ita sit, sed in se a Domino vident, quod ita sit vel non ita; quare ratiocinari de rebus Divinis num ita sint vel non, est quia ratiocinator non videt illa a Domino, sed vult videre a semet; et quod homo a semet videt, est malum. Sed usque vult Dominus non modo ut homo cogitet et loquatur de rebus Divinis, sed etiam ratiocinetur de illis, ob finem ut videat quod ita sit vel non ita; ac illa cogitatio, loquela aut ratiocinatio, modo pro fine habeat ut videat veritatem, dici potest esse a Domino apud hominem, sed est ab homine, usque dum veritatem videt et illam agnoscit. Interea est solum a Domino, quod possit cogitare, loqui et ratiocinari; hoc enim potest ex binis facultatibus, quae vocantur libertas et rationalitas, quae facultas sunt homini a solo Domino. [**4.**] Tertio: *Quod temporaria separent aeterna a se, et quod aeterna conjungant temporaria sibi.* Per quod temporaria separent aeterna a se, intelligitur quod homo qui temporarius est ex temporariis in se: et per quod aeterna conjungant temporaria sibi, intelligitur quod Dominus qui aeternus est ex aeternis in Se, ut supra dictum est. In praecedentibus ostensum est quod sit conjunctio Domini cum homine, et reciproca hominis cum Domino; sed quod reciproca hominis cum Domino non sit ab homine, sed a Domino; tum quod voluntas hominis in adversum eat cum voluntate Domini; seu quod idem, propria prudentia hominis cum Divina Providentia Domini. Ex illis hoc sequitur, quod homo ex temporariis suis separet aeterna Domini a se, sed quod Dominus conjungat aeterna sua temporariis hominis, hoc est, Se homini et hominem Sibi. De his quia multis actum est in praecedentibus, non opus est illa pluribus confirmare. [**5.**] Quarto: *Quod Dominus conjungat hominem Sibi per apparentias.* Apparentia enim est, quod homo ex se amet proximum, faciat bonum, et loquatur verum. Haec nisi apparerent homini sicut ab illo, non amaret proximum, faceret bonum et loqueretur verum, ita non conjungeretur Domino. Sed quia a Domino est amor, bonum et verum, patet quod Dominus per apparentias conjungat hominem Sibi. Sed de hac apparentia, et de conjunctione Domini cum homine, et de reciproca

hominis cum Domino per illam, multis supra actum est. [6.] Quinto: *Quod Dominus conjungat hominem Sibi per correspondentias;* hoc fit medio Verbo, cujus sensus litterae ex meris correspondentiis consistit; quod per illum sensum sit conjunctio Domini cum homine, et reciproca hominis cum Domino, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra*, a principio ad finem, ostensum est.

220. (iv.) *Quod temporariorum ac aeternorum conjunctio apud hominem sit Divina Domini Providentia.*— Sed haec quia non in primam intellectus perceptionem possunt cadere, nisi prius redigantur in ordinem, ac secundum illum evolvantur et demonstrentur, quare hic erit illorum ordo:

(i.) *Quod ex Divina Providentia sit, quod homo per mortem exuat naturalia ac temporaria, ac induat spiritualia ac aeterna.*
(ii.) *Quod Dominus per Divinum suam Providentiam conjungat Se naturalibus per spiritualia, ac temporariis per aeterna, secundum usus.*
(iii.) *Quod Dominus conjugat Se usibus per correspondentias, et sic per apparentias secundum confirmationes ab homine.*
(iv.) *Quod talis conjunctio temporariorum ac aeternorum sit Divina Providentia*

Sed haec mittentur in clariorem lucem per explicationes. [2.] Primum: *Quod ex Divina Providentia sit quod homo per mortem exuat naturalia et temporaria, ac induat spiritualia ac aeterna.* Naturalia et temporaria sunt extrema ac ultima, in quae homo primum intrat, quod fit cum nascitur, ob causam ut dein possit introduci in interiora et superiora; extrema enim ac ultima sunt continentia; et haec sunt in naturali mundo. Inde est quod nullus angelus et spiritus immediate creatus sit, sed quod omnes illi primum nati sint homines, et sic introducti; inde illis sunt extrema ac ultima, quae in se sunt fixa et stata; intra quae et a quibus interiora in nexu possunt contineri. [3.] Sed homo primum induit crassiora naturae; ejus corpus ex illis est; sed haec per mortem exuit, ac retinet puriora naturae, quae proxima spiritualibus sunt, et haec sunt tunc ejus continentia. Praeterea in extremis seu ultimis sunt omnia interioria seu superiora simul, ut prius in suis locis ostensum est; quare omnis operatio Domini

est a primis et ultimis simul, ita in pleno. Sed quia extrema ac ultima naturae non possunt recipere spiritualia ac aeterna, ad quae mens humana formata est, sicut illa in se sunt, et tamen homo natus est ut fiat spiritualis ac vivat in aeternum, ideo homo illa exuit, et retinet modo naturalia interiora, quae spiritualibus et caelestibus conveniunt et concordant, ac illis inserviunt pro continentibus; hoc fit per rejectionem temporariorum et naturalium ultimorum, quae est mors corporis. [**4.**] Secundum: *Quod Dominus per Divinam suam Providentiam Se conjungat naturalibus per spiritualia, ac temporariis per aeterna, secundum usus.* Naturalia et temporaria non sunt solum illa quae propria naturae sunt, sed etiam illa quae propria hominum sunt in mundo naturali. Haec et illa exuit homo per mortem, ac induit spiritualia ac aeterna illis correspondentia. Quod induat haec secundum usus, multis in antecedentibus ostensum est. Naturalia quae propria naturae sunt, se referunt in genere ad tempora et spatia, et in specie ad illa quae super tellure conspiciuntur, haec homo per mortem relinquit, ac loco illorum accipit spiritualia, quae quoad faciem externam seu apparentiam similia sunt, sed non quoad faciem internam et ipsam essentiam; de qua re etiam supra actum est. [**5.**] Temporaria, quae propria hominum in mundo naturali sunt, in genere se referunt ad dignitates et opes, et in specie ad cujusvis hominis necessitates, quae sunt victus, amictus et habitatio. Haec quoque exuuntur et relinquuntur per mortem, ac induuntur et accipiuntur talia, quae quoad externam faciem seu apparentiam similia sunt, non autem quoad internam faciem et quoad essentiam. Omnia haec suam internam faciem et essentiam habent ex usibus temporariorum in mundo. Usus sunt bona quae vocantur bona charitatis. Ex his constare potest, quod Dominus per Divinam suam Providentiam conjungat naturalibus et temporariis spiritualia ac aeterna secundum usus. [**6.**] Tertium: *Quod Dominus conjungat Se usibus per correspondentias, et sic per apparentias secundum confirmationes illarum ab homine.* Sed quia haec non possunt non videri obscura illis qui nondum claram notionem ceperunt, quid correspondentia et quid apparentia, quare illa per exemplum illustranda et sic explicanda sunt. Omnia Verbi

sunt merae correspondentiae spiritualium et caelestium; et quia correspondentiae sunt, etiam apparentiae sunt: hoc est, omnia Verbi sunt Divina Bona Divini Amoris ac Divina Vera Divinae Sapientiae, quae nuda sunt in se, sed in Verbi sensu litterae investita: quare apparent sicut homo in veste, quae statui amoris et sapientiae ejus correspondet. Ex quo patet, quod si homo confirmat apparentias, sit simile sicut confirmet quod vestes sint homines; inde apparentiae fiunt fallaciae. Aliter si homo inquirit veritates et has videt in apparentiis. [**7.**] Nunc quia omnes usus, seu vera et bona charitatis, quae homo facit proximo, illa vel faciat secundum apparentias, vel secundum ipsas veritates in Verbo, si illa secundum apparentias apud se confirmatas facit, in fallaciis est, at si secundum veritates, illa facit sicut oportet. Ex his constare potest, quid intelligitur per quod Dominus se conjungat usibus per correspondentias et sic per apparentias secundum confirmationes illarum ab homine. [**8.**] Quartum: *Quod talis conjunctio temporariorum ac aeternorum sit Divina Providentia.* Haec ut in quadam luce coram intellectu sistantur, illustranda sunt per bina exempla; per unum quod concernit dignitates et honores, et per alterum quod concernit divitias et opes. Utraque sunt in externa forma naturales et temporariae; in interna autem forma sunt spirituales et aeternae. Dignitates cum honoribus illarum naturales et temporariae sunt, quando homo spectat se quoad personam in illis, et non rempublicam et usus in illis; tunc enim homo non potest aliter secum interius cogitare, quam quod respublica sit propter se et non ille propter rempublicam. Est sicut rex qui cogitat quod regnum et omnes homines ibi sint propter se, et non ille propter regnum et homines ejus. [**9.**] At eaedem dignitates cum honoribus illarum, spirituales ac aeternae sunt, quando homo spectat se quoad personam propter rempublicam et usus, et non haec propter se. Si hoc facit, tunc homo est in veritate et in essentia dignatatis suae et honoris sui; si autem illud, tunc est in correspondentia et apparentia; quas si apud se confirmat, est in fallaciis, et non aliter in conjunctione cum Domino, quam sicut illi qui in falsis sunt et inde malis, nam fallaciae sunt falsa cum quibus mala se conjungunt. Praestiterunt

quidem usus et bona, sed a se et non a Domino, ita se ipsos posuerunt loco Domini. [10.] Simile est cum divitiis et opibus, quae etiam naturales et temporariae, tum spirituales et aeternae sunt. Divitiae et opes sunt naturales et temporariae apud illos qui unice illas et se in illis spectant, et in his duobus omne suum volupe et jucundum; at eaedem sunt spirituales et aeternae apud illos qui spectant usus bonos in illis, et in his interius volupe et jucundum; apud hos etiam exterius volupe et jucundum fit spirituale, ac temporarium fit aeternum: quare etiam hi post mortem in caelo sunt, et ibi in palatiis, quorum formae utensiles splendent ex auro et ex lapidibus pretiosis; quae tamen non aliter spectant quam externa splendentia ac pellucentia ab internis, quae sunt usus, ex quibus illis sunt ipsa voluptas et jucunditas, quae in se sunt faustitas et felicitas caeli. Sors contraria est illis, qui spectaverunt divitias et opes solum propter illas et propter se, ita propter externa et non simul interna; ita secundum apparentias, et non secundum essentias illarum: illi dum exuunt illas, quod fit dum moriuntur, induunt interna illarum; quae quia non spiritualia sunt, non possunt esse nisi quam infernalia; nam sive unum sive alterum inest, non potest utrumque simul; unde pro divitiis sunt illis egestates, et pro opibus miseriae. [11.] Per usus intelliguntur non solum necessaria vitae, quae se referunt ad victum, amictum et habitationem pro se et suis, sed etiam intelligitur bonum patriae, bonum societatis, et bonum concivis. Tale bonum est negotiatio, cum illa est amor finalis, ac pecunia amor medius inserviens, modo negotiator defraudationes et malas artes ut peccata fugit et aversatur. Aliter cum pecunia est amor finalis, ac negotiatio amor medius inserviens; nam hoc est avaritia, quae est radix malorum (de qua videatur *Luc.* xii. 15, et parabola de illa, vers. 16–21).

QUOD HOMO NON INTERIUS IMMITTATUR IN VERA FIDEI, ET IN BONA CHARITATIS, NISI QUANTUM IN ILLIS POTEST TENERI USQUE AD FINEM VITAE.

221. In Christiano orbe notum est, quod Dominus velit omnium salutem, et quoque quod omnipotens sit; quare multi ex eo concludunt, quod unumquemque possit salvare, et quod illos salvet qui implorant misericordiam Ipsius; imprimis illi qui implorant illam per formulam fidei receptae, ut Deus Pater misereatur propter Filium, imprimis si simul implorant ut fidem illam recipiant. Sed quod prorsus aliter sit, videbitur in articulo ultimo hujus transactionis, ubi explicabitur quod Dominus non possit agere contra leges Divinae suae Providentiae, quia agere contra illas, foret agere contra Divinum Amorem suum et contra Divinam Sapientiam suam, ita contra Se Ipsum; ubi videbitur, quod talis immediata misericordia non dabilis sit, quia salvatio hominis fit per media, secundum quae ducere hominem non potest alius quam qui vult omnium salutem, et simul omnipotens est, ita Dominus. Media per quae homo a Domino ducitur, sunt quae vocantur leges Divinae Providentiae; inter quas etiam est haec, quod homo in vera sapientiae et in bona amoris non interius immittatur, nisi quantum in illis potest teneri usque ad finem vitae. Sed ut hoc coram ratione pateat, explicandum est in hoc ordine:—

(i.) *Quod homo immitti possit in sapientiam rerum spiritualium et quoque in amorem illarum, et usque non reformari.*
(ii.) *Quod si homo postea ab illis recedit, et in contrarium abit, profanet sancta.*
(iii.) *Quod plura genera profanationum sint, sed quod hoc genus omnium pessimum sit.*
(iv.) *Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera sapientiae et simul in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri usqne ad finem vitae.*

222. (i.) *Quod homo immitti possit in sapientiam rerum spiritualium, et quoque in amorem illarum, et usque non reformari.*—Causa est, quia homini rationalitas et libertas est, per rationalitatem potest elevari in sapientiam paene

angelicam, perque libertatem in amorem non absimilem amori angelico: sed usque qualis est amor, talis est sapientia; si amor est caelestis et spiritualis, fit sapientia quoque caelestis et spiritualis; at vero si amor est diabolicus ac infernalis, est quoque sapientia diabolica et infernalis; haec quidem tunc potest apparere in externa forma, et sic coram aliis, sicut caelestis et spiritualis, sed in interna forma, quae est ipsa essentia ejus, est diabolica et infernalis, non extra illum, sed intra illum. Quod talis sit, non apparet hominibus, quia homines naturales sunt, ac naturaliter vident et audiunt, et forma externa est naturalis: sed quod talis sit, apparet angelis, quia angeli spirituales sunt, ac spiritualiter vident et audiunt, et forma interna est spiritualis. [2.] Ex his patet, quod homo immitti possit in sapientiam rerum spiritualium, et quoque in amorem illarum, et usque non reformari, sed tunc solum in amorem illarum naturalem, non autem in amorem illarum spiritualem. Causa est, quod homo semet possit immittere in amorem naturalem, sed solus Dominus in amorem spiritualem; et qui in hunc immissi sunt, illi reformantur; at qui in illum solum immissi sunt, non reformantur; hi enim sunt plerique hypocritae, et plures ex ordine Jesuitico, qui interius non aliquid Divini credunt, sed exterius cum Divinis sicut harioli ludunt.

223. Per multam experientiam in mundo spirituali datum est scire, quod homo in se possideat facultatem intelligendi arcana sapientiae, sicut ipsi angeli. Nam vidi diabolos ignitos, qui dum arcana sapientiae audiverunt, quod non modo intellexerint illa, sed etiam ex rationalitate sua locuti sint illa, at ut primum redierunt ad amorem suum diabolicum, non intellexerunt, sed pro illis contraria, quae erant insaniae, et hanc tunc vocaverunt sapientiam: immo datum est audire, quod cum in statu sapientiae erant, riderent suam insaniam, et cum in statu insaniae erant, riderent sapientiam. Homo qui in mundo talis fuerat, post mortem cum fit spiritus, ut plurimum mittitur in statum alternum sapientiae et insaniae, ut videat hanc ab illa. Sed tametsi ex sapientia vident se insanire, usque dum illis datur optio, quod fit cuilibet, immittunt se in statum insaniae, et illum amant, et tunc statum sapientiae odio habent: causa est, quia internum

eorum fuit diabolicum, ac externum sicut Divinum. Hi sunt qui intelliguntur per diabolos qui se lucis angelos faciunt; et per illum qui in domo nuptiarum non fuit indutus veste nuptiarum, ac ejectus in tenebras exteriores (*Matth.* xxii. 11–13).

224. Quis non videre potest, quod internum sit ex quo externum existit, consequenter quod externum suam essentiam habeat ab interno? Et quis non scit ab experientia, quod externum possit aliter apparere quam secundum essentiam ejus ab interno? Hoc enim manifeste apparet apud hypocritas, adulatores, simulatores: et quod homo possit mentiri personas non suas in externis, a comoedis et mimis, hi enim sciunt repraesentare reges, imperatores, immo angelos, sono, loquela, facie, gestu, sicut illi forent; cum tamen non sunt nisi quam harioli. Hoc quoque dictum est, quia homo similiter potest sycophantam agere, tam in civilibus et moralibus, quam in spiritualibus; et quoque scitur, quod multi agant. [**2.**] Cum itaque internum in sua essentia est infernale, et externum in sua forma apparet spirituale, et tamen externum trahit essentiam suam ab interno, ut dictum est, quaeritur ubinam essentia illa in externo latet. Non apparet in gestu, nec in sono, nec in loquela, nec in facie, sed usque latet interius in quatuor illis. Quod interius in illis lateat, patet manifeste ab iisdem in mundo spirituali; cum enim homo e mundo naturali in mundum spiritualem venit, quod fit cum moritur, tunc externa sua cum corpore relinquit, ac interna sua, quae in spiritu suo recondidit, retinet; et tunc si internum ejus fuit infernale, apparet ille sicut diabolus, qualis etiam fuerat quoad spiritum suum, cum vixit in mundo. Quis non agnoscit, quod omnis homo relinquat externa cum corpore, ac intret in interna cum fit spiritus? [**3.**] His adjiciam etiam haec, quod in mundo spirituali sit communicatio affectionum et inde cogitationum, ex quo est quod nemo possit loqui aliter quam prout cogitat; tum etiam quod unusquisque ibi mutet faciem, et fiat similis suae affectioni, sic ut quoque ex facie appareat qualis est. Datur quandoque hypocritis loqui aliter quam cogitant, sed sonus loquelae illorum auditur prorsus discors cum interioribus cogitationibus illorum, et ex discordantia dignoscuntur. Inde constare

potest, quod internum lateat interius in sono, loquela, facie et gestu externi, et quod hoc non percipiatur ab hominibus in mundo naturali, sed manifeste ab angelis in mundo spirituali.

225. Ex his nunc patet, quod homo, quamdiu in mundo naturali vivit, immitti possit in sapientiam rerum spiritualium, et quoque in amorem illarum; et quod hoc fiat ac fieri possit tam apud illos qui mere naturales sunt, quam apud illos qui spirituales; sed cum differentia, quod hi per illa reformentur, et quod illi per eadem non reformentur. Apud hos etiam potest apparere sicut ament sapientiam; sed non aliter amant illam, quam sicut adulter amat feminam nobilem sicut meretricem, cum qua blande loquitur, ac cui dat vestes decoris, de qua tamen domi secum cogitat, quod non sit nisi quam vile scortum, cui faciam credere quod amem, quia favet libidini meae; at si non faveret, rejecturus essem. Internus ejus homo est adulter ille, et externis ejus homo est femina illa.

226. (ii.) *Quod si homo postea ab illis recedit, et in contrarium abit, profanet sancta.*—Sunt plura genera profanationis sancti, de quibus in sequenti articulo; sed hoc genus est omnium gravissimum; nam qui profanatores ex hoc genere sunt, post mortem fiunt non homines magis, vivunt quidem, sed continue in deliriis phantasticis; apparent sibi volare in alto, et cum manent, ludunt cum phantasiis, quas vident sicut res reales; et quia non amplius homines sunt, non vocantur ille et illa, sed illud: immo cum sistuntur videndi in luce caeli, apparent sicut sceleta, quaedam et sceleta ossei coloris, quaedam ut ignea, et quaedam ut adusta. Quod hujus generis profani post mortem tales fiant, ignoratur in mundo, et ignoratur quia causa ignoratur. Ipsa causa est, quod cum homo primum agnoscit Divina et credit illa, et postea recedit et negat illa, tunc commisceat sancta profanis; quae quando commixta sunt, non possunt aliter separari, quam per destructionem totius. Sed ut haec clarius percipiantur, in suo ordine detegenda sunt, qui erit: (1.) Quod quicquid homo ex voluntate cogitat, loquitur et agit, approprietur ei, et remaneat, tam bonum quam malum. (2.) Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam continue prospiciat et disponat, ut malum sit per se, et bonum per se, et

sic quod separari possint. (3.) Sed quod hoc non fieri possit, si homo primum agnoscit vera fidei et vivit secundum illa, et postea recedit et negat illa. (4.) Quod tunc commisceat bonum et malum, usque adeo ut separari nequeant. (5.) Et quia bonum et malum apud unumquemvis hominem separanda sunt, et apud talem separari nequeunt, quod ideo quoad omne vere humanum destruatur.

227. Hae sunt causae, propter quas tale enorme existit; sed illae, quia in obscuro sunt ex ignorantia illarum, explicandae sunt, ut coram intellectu pateant. Primo: *Quod quicquid homo ex voluntate cogitat, loquitur et agit, approprietur ei et remaneat, tam bonum quam malum.*—Hoc ostensum est supra (n. 78–81): est enim homini memoria externa seu naturalis, ac est memoria interna seu spiritualis. Huic memoriae inscripta sunt omnia et singula quaecunque in mundo ex voluntate cogitaverat, locutus est, et egerat, et tam omnia et singula, ut non desit quicquam. Haec memoria est liber vitae ejus, qui post mortem aperitur, et secundum quem judicatur. De hac memoria plura in opere *De Caelo et Inferno* (n. 461–465), ab ipsa experientia sunt adducta. [**2.**] Secundo: *Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam continue prospiciat et disponat, ut malum sit per se, et bonum per se, et sic quod separari possint.*—Unusquisque homo tam in malo est quam in bono, in malo enim est a se, et in bono a Domino; et homo non potest vivere nisi sit in utroque; nam si in solo se esset et sic in solo malo, non aliquid vitae haberet; et si in solo Domino et sic in solo bono, nec aliquid vitae haberet, nam homo in *hoc vitae* foret sicut suffocatus continue trahens animam, velut moribundus in agone; et in *illo vitae* foret exstinctus, nam malum absque omni bono in se est mortuum; quare unusquisque homo in utroque est: sed differentia est, quod unus sit interius in Domino, et exterius quasi in se, ac alter interius in se, sed exterius quasi in Domino; et hic est in malo, et ille in bono, attamen uterque in utroque. Quod etiam malus sit, est quia est in bono vitae civilis et moralis, et quoque exterius in aliquo bono vitae spiritualis; praeter quod a Domino teneatur in rationalitate et libertate, quod possit in bono esse; hoc bonum est, per

quod omnis homo, etiam malus, ducitur a Domino. Ex his videri potest, quod Dominus separet malum et bonum, ut unum sit interius ac alterum exterius, et sic prospiciat ne commisceantur. [**3.**] Tertio: *Sed quod hoc non fieri possit, si homo primum agnoscit vera fidei, et vivit secundum illa, ac postea recedit ac negat illa.*—Hoc patet a nunc dictis; ex primo, quod omnia quae homo ex voluntate cogitat, loquitur et agit, approprientur ei ac remaneant; et ex altero, quod Dominus per Divinam suam Providentiam continue prospiciat et disponat ut bonum per se sit, ac malum per se, ac separari possint. Separantur etiam a Domino post mortem; apud illos qui interius mali sunt et exterius boni sunt, aufertur bonum, et sic relinquuntur suo malo; vicissim apud illos qui interius boni sunt, et exterius sicut alii homines conquisiverunt opes, ambiverunt dignitates, delectati sunt variis mundanis, et faverunt aliquibus concupiscentiis; apud hos tamen bonum et malum non commixta sunt, sed separata sicut internum et externum; ita in externa forma in multis similes malis fuerunt, non tamen in interna. Vicissim etiam mali, qui in externa forma apparuerunt sicut boni, in pietate, cultu, loquela et factis, et tamen in interna forma mali fuerunt, apud hos quoque separatum est malum a bono. At apud illos, qui prius agnoverunt vera fidei, et vixerunt secundum illa, et postea in contrarium abiverunt, ac rejecerunt illa, et imprimis si negaverunt illa, bona et mala non amplius separata sunt, sed commixta; nam homo talis appropriavit sibi bonum, et quoque appropriavit sibi malum, et sic conjunxit et commiscuit illa. [**4.**] Quarto: *Quod tunc commisceat bonum et malum, usque adeo, ut non separari possint*, sequitur ex nunc dictis: et si non separari potest malum a bono, ac bonum a malo, non potest esse in caelo nec in inferno. Unusquisque homo, vel in uno vel in altero erit; non potest esse in utroque; et sic nunc foret in caelo, nunc in inferno, et dum in caelo ageret pro inferno, et dum in inferno ageret pro caelo; ita destrueret vitam omnium qui circum illum sunt, vitam caelestem apud angelos, et vitam infernalem apud diabolos; ex quo vita cujusvis periret; nam vita cuivis erit sua; non vivit quisquam in vita aliena, minus in opposita. Inde est, quod Dominus apud omnem hominem post obitum, dum

fit spiritus seu homo spiritualis, separet bonum a malo ac malum a bono; bonum a malo apud illos qui interius in malo sunt, ac malum a bono apud illos qui interius in bono sunt; quod est secundum Ipsius verba,

> "Omni habenti dabitur ut abundet; et ab eo qui [non] habet, etiam quod habet auferetur" (*Matth.* xiii. 12; xxv. 29; *Marc.* iv. 25; *Luc.* viii. 18; xix. 26).

[**5.**] Quinto: *Quia bonum et malum apud unumquemvis hominem separanda sunt, et apud talem separari nequeunt, quod ideo quoad omne vere humanum destruatur.*—Vere humanum est cuivis ex rationalitate, quod possit videre et scire, si vult, quid verum et quid bonum, et quoque quod possit ex libertate velle, cogitare, loqui et facere id, ut prius ostensum est. Sed haec libertas cum sua rationalitate destructa est apud illos, qui apud se commiscuerunt bonum et malum, nam illi non possunt ex bono videre malum, nec ex malo cognoscere bonum, unum enim faciunt; inde illis non rationalitas in facultate seu in potentia est amplius, et inde nec aliqua libertas: quae causa est, quod sint sicut mere deliria phantastica, ut supra dictum est, et non magis appareant ut homines, sed ut ossa aliqua cute obducta; et inde cum nominantur, non dicuntur ille aut illa, sed illud. Talis sors est illis, qui hoc modo commiscent sancta profanis. At sunt plura profanationis genera, quae usque non talia sunt; de quibus in subsequenti articulo.

228. Nullus homo ita profanat sancta, qui non scit illa; nam qui non scit illa, nec potest agnoscere illa, et dein negare illa. Quare illi qui extra Christianum orbem sunt, et non sciunt aliquid de Domino, et de redemptione et salvatione ab Ipso, non profanant id sanctum, dum non recipiunt illud, immo dum loquuntur contra illud. Ipsi Judaei nec profanant id sanctum, quia ab infantia non volunt recipere et agnoscere illud; aliter si reciperent et agnoscerent, et postea negarent, quod tamen raro fit; multi enim ex illis agnoscunt illud exterius, et negant illud interius, et sunt hypocritis similes. Sed illi profanant sancta per commixtionem illorum cum profanis, qui primum recipiunt et agnoscunt, et postea abeunt et negant. [**2.**] Nihil facit, quod in infantia et pueritia recipiant et agnoscant; hoc facit unusquisque Christianus;

quia tunc non recipiunt et agnoscunt illa quae fidei et charitatis sunt ex aliqua rationalitate et libertate, hoc est, in intellectu ex voluntate, sed solum ex memoria et ex fide magistri; et si vivunt secundum illa, est ex caeca obedientia. At cum homo in usum suae rationalitatis et libertatis venit, quod fit successive sicut adolescit et juvenescit, si tunc agnoscit vera et vivit secundum illa, et postea negat illa, commiscet sancta profanis, et fit ex homine tale monstrum, ut supra dictum est. At si homo in malo est, a tempore dum suae rationalitatis et libertatis, hoc est, sui juris, factus est, usque in juventutem, ac postea agnoscit vera fidei et vivit secundum illa, modo tunc in illis usque ad finem vitae maneat, non commiscet illa; nam Dominus tunc separat mala prioris vitae a bonis posterioris vitae; ita fit cum omnibus qui paenitentiam agunt. Sed de his plura in sequentibus.

229. (iii.) *Quod plura genera profanationum sancti sint, et quod hoc genus sit omnium pessimum.*—In communissimo sensu per profanationem intelligitur omnis impietas; ita per profanatores intelliguntur omnes impii, qui corde negant Deum, sanctitatem Verbi, et inde spiritualia ecclesiae, quae ipsa sancta sunt, de quibus etiam impie loquuntur. Sed de his hic non agitur, verum de illis qui Deum profitentur, sanctitatem Verbi statuunt, et spiritualia ecclesiae agnoscunt, plerique tamen solum ore. Causa quod hi profanent, est quia sanctum ex Verbo est in illis et apud illos, et hoc quod in illis est, et quod facit aliquid illorum intellectus et voluntatis, profanant: at vero in impiis, qui Divinum ac Divina negant, non est aliquod sanctum quod profanare possunt: hi quidem sunt profanatores, sed usque non profani.

230. Profanatio sancti intelligitur in Secundo Praecepto decalogi, per "Non profanabis Nomen Dei tui:" et quod non profanandum sit, intelligitur in Oratione Dominica, per "Sanctificetur Nomen tuum." Quid per "Nomen Dei" intelligitur, vix ab ullo in Christiano orbe scitur: causa est, quia non scitur, quod in spirituali mundo non sint nomina sicut in naturali mundo, sed quod unusquisque nominetur secundum quale amoris et sapientiae ejus; ut primum enim aliquis venit in societatem aut consortium cum aliis, nominatur illico secundum quale ejus ibi. No-

minatio fit per linguam spiritualem, quae talis est, ut nomen dare possit unicuique rei, quia ibi quaevis littera in alphabeto unam rem significat, et plures litterae in unam vocem conjunctae, quae faciunt nomen personae, integrum statum rei involvunt. Hoc inter mirabilia est in Mundo spirituali. [**2.**] Ex his patet, quod per "Nomen Dei" in Verbo significetur Deus cum omni Divino quod in Ipso est, et quod ex Ipso procedit ; et quia Verbum est Divinum procedens, est id Nomen Dei ; et quia omnia Divina, quae spiritualia ecclesiae vocantur, ex Verbo sunt, etiam illa sunt Nomen Dei. Ex his videri potest quid intelligitur in Secundo Praecepto decalogi per

"Non profanabis nomen Dei" [(*Exod.* xx. 7)] ;

et in Oratione Dominica per

"Sanctificetur nomen tuum" [(*Matth.* vi. 9)].

Similia per Nomen Dei ac Domini [1]significantur in multis locis in Verbo utriusque Testamenti,

(Ut *Matth.* vii. 22 ; x. 22 ; xviii. 5, 20 ; xix. 29 ; xxi. 9 ; xxiv. 9, 10 ; *Joh.* i. 12 ; ii. 23 ; iii. 17, 18 ; xii. 13, 28 ; xiv. 14–16 ; xvi. 23, 24, 26, 27 ; xvii. 6 ; xx. 31) ;

praeter in aliis locis, et in permultis in Veteri Testamento [**3.**] Qui significationem hanc "nominis" novit, potest scire quid per haec Domini verba significatur :

"Quisquis suscipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet: . . quisquis suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet : et quisquis potaverit unum parvorum horum potu frigidae tantum in nomine discipuli, . . non perdet mercedem" (*Matth.* x. [2]41, 42) :

qui per "nomen prophetae, justi et discipuli," hic solum. intelligit prophetam, justum, et discipulum, is non scit ibi alium sensum, quam solum sensum litterae, et ille nec scit quid "merces prophetae," "merces justi," et "merces propter potum frigidae datum discipulo," cum tamen per "nomen" et per "mercedem prophetae" intelligitur status et felicitas eorum qui in Divinis veris sunt, per "nomen et mercedem justi" status et felicitas eorum qui in Divinis bonis sunt, et per "discipulum" status illorum qui in aliquibus spiritualibus ecclesiae sunt ; "potus frigidae" est aliquid veri. [**4.**] Quod quale status amoris et sapientiae,

seu boni et veri, significetur per "nomen," constat etiam per haec Domini verba:

> "Qui ingreditur per januam, pastor est ovium; huic ostiarius aperit, et oves vocem illius audiunt, et proprias oves vocat nomine tenus, et educit illas" (*Joh.* x. 2, 3);

"vocare oves nomine tenus," est quemlibet qui in bono charitatis est, docere et ducere secundum statum amoris et sapientiae ejus: per "januam" intelligitur Dominus, ut constat ex vers. 9, ibi,

> "Ego sum janua, per Me si quis introiverit, salvabitur;"

ex quibus patet, quod ipse Dominus adeundus sit, ut quis salvari possit, et qui Ipsum adit, sit "pastor ovium;" et qui non Ipsum adit, sit "fur et latro," ut dicitur vers. 1, illius capitis.

231. Quoniam per profanationem sancti intelligitur profanatio ab illis qui sciunt vera fidei et bona charitatis ex Verbo, et quoque aliquo modo agnoscunt illa, et non illi qui non sciunt illa, nec qui ex impietate prorsus rejiciunt, ideo non de his, sed de illis sequentia dicuntur; horum profanationis genera sunt plura, leviora et graviora, verum ad haec septem referri possunt. Primum profanationis genus ab illis est, *qui joculantur ex Verbo et de Verbo, aut ex Divinis ecclesiae et de illis.* Hoc fit a quibusdam ex prava consuetudine, desumendo nomina aut formulas ex Verbo, et immiscendo sermonibus parum decoris, et quandoque spurcis; quod non potest non cum aliquo contemptu Verbi esse conjunctum; cum tamen Verbum in omnibus et singulis est Divinum et sanctum; nam unaquaevis vox ibi in sinu recondit aliquod Divinum; et per id communicationem habet cum caelo: sed hoc profanationis genus levius et gravius est secundum agnitionem sanctitatis Verbi, et sermonis indecorum cui inseritur a joculatoribus. [**2.**] Alterum genus profanationis ab illis est, *qui intelligunt et agnoscunt Divina vera, et tamen vivunt contra illa.* Sed levius profanant qui solum intelligunt, gravius autem qui etiam agnoscunt, intellectus enim solum docet, vix aliter quam sicut praedicator, et non conjungit se cum voluntate ex se; at agnitio se conjungit, non enim potest aliquod agnosci nisi cum consensu voluntatis. Sed usque illa conjunctio est varia, et secundum conjunctionem pro-

fanatio, dum vivitur contra vera quae agnoscuntur; ut si quis agnoscit, quod vindictae et odia, adulteria et scortationes, fraudes et doli, blasphemationes et mendacia, sint peccata contra Deum, et usque committit illa, is in hoc genere profanationis graviori est; dicit enim Dominus,

> "Servus, qui scit voluntatem Domini sui, et non ... facit voluntatem ejus, percutietur multis" (*Luc.* xii. [1]47).

Et alibi,

> "Si caeci essetis, non haberetis peccatum, jam vero dicitis quod videamus, ideo peccatum vestrum manet" (*Joh.* ix. 41).

Sed aliud est agnoscere apparentias veri, et aliud genuina vera; illi qui agnoscunt genuina vera, et usque non vivunt secundum illa, in mundo spirituali apparent absque luce et calore vitae in sono et loquela, sicut forent merae inertiae. [**3.**] Tertium genus profanationis est ab illis, *qui applicant sensum litterae Verbi ad confirmandos malos amores et falsa principia.* Causa est, quia confirmatio falsi est negatio veri, et confirmatio mali est rejectio boni: et Verbum in suo sinu non est nisi quam Divinum Verum et Divinum Bonum; et hoc in sensu ultimo, qui est sensus litterae, non apparet in genuinis veris, nisi ubi docet Dominum ac ipsam viam salutis, sed in vestitis veris, quae vocantur apparentiae veri: quare ille sensus potest trahi ad confirmandum haeretica plurium generum. Qui vero confirmat amores malos, ille violentiam infert Divinis Bonis; qui confirmat principia [2]falsa, ille violentiam infert Divinis Veris. Haec violentia vocatur falsificatio veri, illa autem adulteratio boni; utraque intelligitur per "sanguines" in Verbo. Sanctum enim spirituale, quod etiam est Spiritus veritatis procedens a Domino, est intus in singulis sensus litterae Verbi. Id sanctum laeditur, quando falsificatur et adulteratur Verbum. Quod hoc sit profanatio, patet. [**4.**] Quartum genus profanationis ab illis est, *qui pia et sancta ore loquuntur, et quoque simulant, sono et gestu affectiones amoris illorum, et tamen corde non credunt et amant illa.*—Plerique ex his sunt hypocritae et Pharisaei, a quibus post mortem omne verum et bonum aufertur, et dein mittuntur in tenebras exteriores. Illi, qui ex hoc genere se confirmaverunt contra Divinum, et contra Verbum, et inde quoque contra spiritualia Verbi,

in tenebris illis sedent muti, impotes loquendi, volentes effutire pia et sancta, sicut in mundo, sed non possunt: nam in mundo spirituali quisque adigitur loqui sicut cogitat; sed hypocrita vult loqui aliter quam cogitat; inde oppositio in ore existit, ex qua est quod possit solum mutire. Sed hypocrises sunt leviores et graviores, secundum confirmationes contra Deum, et ratiocinationes pro Deo exterius. [**5.**] Quintum profanationis genus ab illis est, *qui Divina sibi attribuunt.*—Illi sunt qui intelliguntur per "Luciferum" apud *Esaiam* xiv: per "Luciferum" ibi intelligitur Babel, ut constare potest a vers. 4, 22, illius capitis, ubi etiam illorum sors describitur: iidem etiam sunt qui intelliguntur et describuntur per "meretricem sedentem super bestia coccinea, in *Apocalypsi* xvii. Multis in locis in Verbo nominatur Babel et Chaldaea; et per "Babelem" ibi intelligitur profanatio boni, et per "Chaldaeam" profanatio veri, utraque apud illos qui sibi Divina attribuunt. [**6.**] Sextum profanationis genus ab illis est, *qui Verbum agnoscunt, et usque Divinum Domini negant.* Hi in mundo vocantur Sociniani, et quidam Ariani. Horum et illorum sors est, quod invocent Patrem, et non Dominum, et continue orent Patrem, quidam etiam propter Filium, ut admittantur in caelum, sed frustra, usque dum absque spe salvationis fiunt; et tunc demittuntur in infernum inter illos qui negant Deum. Hi sunt qui intelliguntur per illos

> Qui blasphemant Spiritum Sanctum, quibus non remittetur in hoc saeculo nec in futuro (*Matth.* xii. 32):

causa est, quia Deus est unus Persona et Essentia, in quo Trinitas, et ille Deus est Dominus; et quia Dominus etiam est Caelum, et inde illi qui in caelo sunt in Domino sunt, ideo illi qui negant Divinum Domini, non possunt admitti in caelum, ac in Domino esse: quod Dominus sit Caelum, et quod inde illi qui in caelo sunt, in Domino sint, supra ostensum est. [**7.**] Septimum profanationis genus ab illis est, *qui primum agnoscunt Divina vera, ac vivunt secundum illa, ac postea recedunt et negant illa.*—Hoc pessimum genus profanationis est, ex causa quia commiscent sancta profanis, usque adeo ut separari nequeant; et tamen separanda sunt, ut sint vel in caelo vel in inferno; et quia hoc

apud illos fieri nequit, eruitur omne intellectuale et voluntarium humanum, et fiunt non homines magis, ut prius dictum est. Paene simile fit cum illis, qui Divina Verbi et ecclesiae corde agnoscunt, ac illa prorsus immergunt proprio suo, quod est amor dominandi super omnia, de quo prius plura dicta sunt: hi enim post mortem, dum fiunt spiritus, prorsus non volunt duci a Domino, sed a semet; et cum taxatur amori illorum frenum, volunt non modo dominari super caelum, sed etiam super Dominum; et quia hoc non possunt, negant Dominum, et fiunt diaboli. Sciendum est quod amor vitae, qui etiam est amor regnans, maneat unumquemvis post mortem, et quod non auferri possit. [**8.**] Hujus generis profani intelliguntur per Tepidos, de quibus ita in *Apocalypsi:*

> "Novi opera tua, quod neque frigidus sis, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et neque frigidus neque calidus, exsputurus sum te ex ore meo" (iii. 14, 15[, 16]).

Hoc genus profanationis describitur ita a Domino apud *Matthaeum:*

> "Quando . . immundus spiritus exit ab homine, perambulat arentia loca, quaerens requiem, sed non invenit; tunc dicit, revertar ad domum unde exivi; dum redit et invenit illam vacuam, ac scopis purgatam et ornatam sibi, abit, et adjungit sibi septem alios spiritus pejores se, et ingressi habitant ibi; atque fiunt posteriora hominis pejora primis" (xii. [1]43–45):

conversio hominis describitur ibi per exitum spiritus immundi ab illo: ac reversio ad mala priora, ejectis veris et bonis, per reditum spiritus immundi cum septem se pejoribus in domum sibi ornatam; ac profanatio sancti a profano, per quod posteriora illius hominis fiant pejora primis. Simile intelligitur per hoc apud *Johannem,*

> Jesus dixit ad sanatum in lacu Bethesda, "Ne amplius pecca, ne pejus tibi fiat" (v. 14).

[**9.**] Quod Dominus provideat, ne homo interius agnoscat vera, ac postea recedat, et fiat profanus, intelligitur per haec:

> "[2]Occaecavit illorum oculos et [3]obturavit illorum cor, ut non videant oculis ac intelligant corde, et convertant se, et sanem illos" (*Joh.* xii. [4]40),

"ne convertant se et sanem illos," significat ne agnoscant

vera et dein recedant, et sic fiant profani : propter eandem causam Dominus locutus est per parabolas, ut Ipse dicit (*Matth.* xiii. 13). Quod Jadaeis prohibitum fuerit comedere pinguedinem et sanguinem (*Levit.* iii. 17 ; vii. 23, 25), significabat ne profanarent sancta, "pinguedo" enim significabat Divinum Bonum, et "sanguis" Divinum Verum. Quod semel conversus in bono et vero permansurus sit ad finem vitae, docet Dominus apud *Matthaeum :*

> Jesus dixit, "Quisquis perseveraverit ad finem, salvabitur" (x. 22; pariter *Marc.* xiii. 13).

232. (iv.) *Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera sapientiae et simul in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri usque ad finem vitae.*— Ad hoc demonstrandum distincte progrediendum est, ex binis causis ; una quia interest saluti humanae ; altera quia ex cognitione hujus legis pendet cognitio legum permissionis, de quibus in sequenti paragrapho. Interest enim saluti humanae ; nam, ut prius dictum est, qui Divina Verbi et inde ecclesiae primum agnoscit, et postea ab illis recedit, sancta gravissime profanat. Ut itaque hoc arcanum Divinae Providentiae detegatur, usque ut homo rationalis in sua luce id videre possit, evolvendum est in hac serie :—(1.) Quod in interioribus apud hominem non possit malum et simul bonum esse, inde nec falsum mali et simul verum boni. (2.) Quod a Domino in interiora hominis non possit inferri bonum ac verum boni, nisi quantum ibi remotum est malum ac falsum mali. (3.) Si bonum cum suo vero ibi inferretur prius aut plus quam remotum est malum cum suo falso, homo recederet a bono, ac rediret ad suum malum. (4.) Quod cum homo in malo est, intellectui ejus possint inferri multa vera, et haec in memoria recondi, et tamen non profanari. (5.) Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam quam maxime prospiciat, ne prius et plus inde recipiatur a voluntate, quam quantum homo sicut a se removet malum in externo homine. (6.) Quod si prius et plus, tunc voluntas adulteraret bonum, et intellectus falsificaret verum, commiscendo illa cum malis et cum falsis. (7.) Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera

sapientiae et in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri usque ad finem vitae.

233. Ut itaque hoc arcanum Divinae Providentiae detegatur, usque ut homo rationalis id in sua luce videre possit, singillatim explicanda sunt illa, quae nunc allata sunt. Primum: *Quod in interioribus apud hominem non possit malum et simul bonum esse, et inde nec falsum mali et simul verum boni.*—Per interiora hominis intelligitur internum cogitationis ejus; de quo homo non aliquid scit, priusquam in mundum spiritualem et ejus lucem venit, quod fit post mortem. In mundo naturali id cognosci potest solum ex jucundo amoris ejus in externo cogitationis suae, et ex ipsis malis, dum illa apud se explorat; nam, ut supra ostensum est, internum cogitationis cum externo cogitationis apud hominem in tali nexu cohaeret, ut non separari possint; sed de his supra plura. Dicitur bonum et verum boni, ac malum et falsum mali; quoniam bonum non dari potest absque suo vero, nec malum absque suo falso, sunt enim consortes tori seu conjuges; nam vita boni est a suo vero, et vita veri a suo bono: simile est cum malo et ejus falso. [**2.**] Quod in interioribus hominis non possit malum cum suo falso et simul bonum cum suo vero esse, a rationali homine absque explicatione videri potest; est enim malum oppsitum bono, ac bonum oppositum malo, et duo opposita non possunt simul esse. Est etiam omni malo insitum odium contra bonum, et omni bono est insitus amor tutandi se contra malum, et id a se removendi: ex quo sequitur, quod unum cum altero non possit simul esse; et si simul forent, primum oriretur conflictus et pugna, et dein destructio: quod etiam Dominus his verbis docet:

> "Omne regnum divisum contra se ipsum desolatur, et omnis civitas aut domus divisa contra se ipsam non consistit. .... Quisquis non est Mecum, contra Me est, et quisquis non congregat Mecum, dispergit" (*Matth.* [1]xii. 25, 30):

et alibi,

> "Nemo potest duobus dominis simul servire, nam aut unum odio habebit, [2]et alterum amabit[, aut uni adhaerebit et alterum contemnet]" (*Matth.* vi. 24).

Duo opposita non dari possunt in una substantia aut forma simul, quin distraheretur et periret; si accessisset

et appropinquavisset unum ad alterum, omnino se separarent, sicut bini hostes, quorum unus intra sua castra aut intra sua munimenta, et alter extra illa, se reciperet. Ita fit cum malis et bonis apud hypocritam; hic in utrisque est; sed malum est intra et bonum est extra, et sic duo illa separata, et non commixta. Ex his nunc patet, quod malum cum suo falso, et bonum cum suo vero, non possint simul esse. [**3.**] Alterum: *Quod a Domino in interiora hominis non possit inferri bonum ac verum boni, nisi quantum ibi remotum est malum et falsum mali.*—Hoc est ipsum consequens antecedentium; nam cum malum et bonum non possunt simul esse, non potest inferri bonum, priusquam malum remotum est. Dicitur in interioribus hominis, per quae intelligitur internum cogitationis; de his agitur, in quibus vel erit Dominus vel erit diabolus; est Dominus ibi post reformationem, et est diabolus ibi ante illam; quantum itaque homo patitur se reformari, tantum diabolus ejicitur; at quantum non patitur se reformari, tantum diabolus remanet. Quis non videre potest, quod Dominus non intrare possit, quamdiu ibi diabolus est? Et tamdiu ibi est, quamdiu homo tenet portam clausam, in qua homo cum Domino simul est. Quod Dominus intret, quando porta illa medio homine aperitur, docet Dominus in *Apocalypsi*,

> "Consisto ad januam et pulso; si quis audiverit vocem meam, et aperuerit januam, ingrediar ad illum, et cenabo cum illo, et ille Mecum" (iii. 20);

janua aperitur per quod homo removeat malum fugiendo et aversando illud sicut infernale et diabolicum; nam sive dicatur malum sive diabolus, idem est; ac vicissim, sive dicatur bonum sive Dominus, idem est, nam in omni bono intus est Dominus, et in omni malo intus est diabolus. Ex his patet veritas hujus rei. [**4.**] Tertium: *Si bonum cum suo vero inferretur prius aut plus quam remotum est malum cum suo falso, homo recederet a bono, ac rediret ad suum malum.*—Causa est, quia praevaleret malum, et quod praevalet, hoc vincit, si non tunc usque postea. Dum adhuc malum praevalet, non potest bonum inferri in intima conclavia, sed solum in atria; quoniam, ut dictum est, malum et bonum non possunt simul esse, et quod solum in atriis est, hoc removetur ab hoste ejus, qui conclavibus est, inde

fit recessio a bono et reditio ad malum, quod est pessimum profanationis genus. [**5.**] Praeterea ipsum jucundum vitae hominis est amare seipsum et mundum super omnia. Hoc jucundum non potest momento removeri, sed successive; at quantum ex hoc jucundo apud hominem remanet, tantum ibi praevalet malum; et hoc malum non aliter removeri potest, quam ut amor sui fiat amor usuum, seu ut amor dominandi non sit propter se sed propter usus; sic enim usus faciunt caput, et amor sui seu dominandi primum facit corpus sub capite, ac postea pedes super quibus ambulet. Quis non videt quod bonum faciet caput, et quod cum bonum facit caput, Dominus ibi sit? Bonum et usus unum sunt. Quis non videt, quod si malum facit caput, diabolus ibi sit? Et quia usque bonum civile et morale, et in externa forma etiam bonum spirituale, recipiendum est, quod hoc tunc faciat pedes et plantas, et proculcetur. [**6.**] Cum itaque status vitae hominis invertendus est, ut quod supra est infra sit, et haec versura non dari potest momento, jucundissimum enim vitae, quod est ex amore sui et inde dominii, non potest nisi quam sucessive diminui, et verti in amorem usuum, quapropter non potest a Domino inferri bonum prius et plus quam quantum hoc malum removetur; et si prius et plus, homo recederet a bono, et rediret ad suum malum. [**7.**] Quartum: *Quod cum homo in malo est, intellectui ejus possint inferri multa vera, et haec in memoria recondi, et tamen non profanari.*—Causa est, quia intellectus non influit in voluntatem, sed voluntas in intellectum; et quia non influit in voluntatem, multa vera ab intellectu recipi possunt, et illa recondi in memoria, et tamen cum malo voluntatis non commisceri, proinde sancta non profanari. Et quoque cuivis incumbit, ut vera ex Verbo, aut ex praedicationibus, discat, in memoria reponat, ac de illis cogitet: intellectus enim ex veris quae in memoria sunt, et inde in cogitationem veniunt, docebit voluntatem, hoc est, docebit hominem, quid faciet; hoc itaque est principale medium reformationis. Quando vera solum in intellectu, et inde in memoria sunt, non sunt in homine, sed extra illum. [**8.**] Memoria hominis comparari potest cum alvo ruminatorio quorundam animalium, in quem immittunt escas suas; quae quamdiu ibi sunt, non in corpore eorum sunt, sed extra illud, at

sicut desumunt illas inde et devorant, fiunt vitae illorum, et nutritur corpus. At in memoria hominis non sunt escae materiales, sed spirituales, quae intelliguntur per vera, et in se sunt cognitiones; quantum inde homo desumit illa cogitando, quasi ruminando, tantum mens ejus spiritualis nutritur. Amor voluntatis est qui desiderat, et quasi appetit, et facit ut hauriantur, et nutriant. Si amor ille malus est, desiderat et quasi appetit immunda; si autem bonus, desiderat et quasi appetit munda, et illa quae non conveniunt, separat, amandat, et ejicit? quod fit variis modis. [9.] Quintum: *Sed quod Dominus per Divinam suam Providentiam quam maxime prospiciat, ne prius et plus inde recipiatur a voluntate, quam quantum homo sicut a se removet malum in externo homine.*—Nam quod a voluntate, hoc in hominem venit, ac ei appropriatur, ac fit vitae ejus; et in ipsa vita, quae homini est ex voluntate, non potest malum et bonum simul esse, sic enim periret; at in intellectu potest utrumque esse, quae ibi vocantur falsa mali aut vera boni, attamen non simul; alioqui non potuisset homo videre malum a bono, ac cognoscere bonum a malo; sed distinguuntur et separantur ibi sicut domus in interiora et exteriora. Cum malus homo cogitat et loquitur bona, tunc exterius cogitat et loquitur: at cum mala tunc interius; quare cum loquitur bona, fit loquela ejus sicut ex pariete; et comparari potest cum fructu superficietenus pulchro, qui intus vermiculosus et putris est; et quoque cum ovo draconis crusta tenus. [10.] Sextum: *Quod si prius et plus, tunc voluntas adulteraret bonum ac intellectus falsificaret verum, commiscendo illa cum malis et inde falsis.*—Cum voluntas est in malo, tunc illa in intellectu adulterat bonum, ac adulteratum bonum in intellectu est in voluntate malum, confirmat enim quod malum sit bonum, et vicissim; malum ita facit cum omni bono, quod sibi oppositum est. Malum etiam falsificat verum, quia verum boni est oppositum falso mali; hoc quoque facit voluntas in intellectu, et non intellectus ex se. Adulterationes boni in Verbo describuntur per adulteria, et falsificationes veri per scortationes ibi. Adulterationes et falsificationes illae fiunt per ratiocinia ex naturali homine qui in malo est, et quoque fiunt per confirmationes ex apparentiis sensus litterae Verbi. [11.] Amor sui, qui est

caput omnium malorum, praepollet aliis amoribus ingenio adulterandi bona et falsificandi vera, et hoc facit per abusum rationalitatis, quae cuivis homini tam malo quam bono a Domino est: immo potest per confirmationes facere, ut malum prorsus appareat sicut bonum, ac falsum sicut verum. Quid non potest, cum potest mille argumentis confirmare, quod natura se ipsam creaverit, et quod illa dein creaverit homines, bestias et vegetabilia omnis generis; tum quod per influxum ex interiori se faciat ut homines vivant, analytice cogitent, et sapienter intelligant? Quod amor sui praepolleat ingenio confirmandi quicquid vult, est quia ultimam superficiem ejus facit quidam splendor lucis in varios colores variegatae. Hic splendor est amoris istius gloria sapiendi, et sic quoque eminendi et dominandi. [12.] At cum amor ille talia confirmaverat, tunc fit tam caecus, ut non videat aliter quam quod homo sit bestia et quod cogitent similiter, immo quod si bestia quoque loqueretur, foret illa homo sub alia forma. Si adduceretur ex quadam persuasione credere quod aliquid hominis vivat post mortem, tunc tam caecus est, ut credat quod etiam bestia, et quod hoc aliquid vivens post mortem sit modo subtilis vitae halitus, sicut vapor, qui usque relabitur ad cadaver suum; vel quod sit aliquod vitale absque visu, auditu et loquela, ita caecum, surdum et mutum, volitans et cogitans; praeter plures insanias, quas ipsa natura, quae in se mortua est, phantasiae ejus inspirat. Hoc facit amor sui, qui in se spectatus est amor proprii; et proprium hominis quoad affectiones, quae omnes sunt naturales, non est absimile vitae bestiae, et quoad perceptiones, quia ex illis affectionibus sunt, non absimile est noctuae. Quare qui continue immergit cogitationes proprio suo, non potest elevari e luce naturali in lucem spiritualem, et videre aliquid Dei, caeli, et vitae aeternae. Quia hic amor talis est, et usque ingenio confirmandi quodcunque lubet, praepollet, ideo etiam simili ingenio potest adulterare bona Verbi, et falsificare vera ejus, dum ex quadam necessitate tenetur confiteri illa. [13.] Septimum: *Quod ideo Dominus non interius immittat hominem in vera sapientiae et in bona amoris, nisi quantum homo in illis potest teneri usque ad finem vitae.*—Hoc facit Dominus, ne homo in gravissimum illud genus profanationis sancti, de quo in hoc articulo

actum est, incidat. Propter id periculum etiam Dominus permittit mala vitae, et plura haeretica cultus ; de quorum permissione videbitur in sequentibus paragraphis.

Quod leges Permissionis etiam sint leges Divinae Providentiae.

234. Non sunt aliquae leges permissionis per se seu separatae a legibus Divinae Providentiae, sed sunt eaedem ; quare dicitur quod Deus permittat, per quod non intelligitur quod velit, sed quod non possit avertere propter finem, qui est salvatio. Quicquid fit propter finem, qui est salvatio, est secundum leges Divinae Providentiae : nam, ut prius dictum est, Divina Providentia jugiter in diversum et contrarium it cum voluntate hominis, continue intendens finem ; quare in omni momento operationis suae, seu in omni vestigio progressionis suae, ubi animadvertit aberrare hominem a fine, illum secundum leges suas dirigit, flectit et disponit, abducendo a malo, ducendo ad bonum. Quod hoc non fieri possit absque permissione mali, in sequentibus videbitur. Praeterea non potest aliquid permitti absque causa, et causa non datur alibi quam in aliqua lege Divinae Providentiae, quae lex docet cur permittitur.

235. Qui prorsus non agnoscit Divinam Providentiam, ille in corde suo non agnoscit Deum, sed pro Deo agnoscit naturam, et pro Divina Providentia humanam prudentiam. Quod ita sit, non apparet ; quia homo potest aliter cogitare et cogitare, et quoque aliter loqui et loqui ; potest aliter cogitare et loqui ex interiori se, et aliter ab exteriori se : est sicut cardo qui utrinque potest vertere januam, aliter dum intrat quam dum exit ; et sicut velum utrinque potest vertere navem, sicut nauclerus id expandit. Qui se confirmaverunt pro humana prudentia, usque adeo ut negaverint Divinam Providentiam, illi quicquid usquam vident, audiunt et legunt, dum in illa sua cogitatione sunt, non animadvertunt aliud, immo nec possunt, quia nihil e caelo recipiunt, sed solum a se ; et quia ex

solis apparentiis et fallaciis concludunt, et non vident aliud, possunt jurare quod ita sit. Et si etiam solam naturam agnoscunt, possunt irasci contra defensores Divinae Providentiae, modo non sint sacerdotes, de quibus cogitant, quod id eorum doctrinae aut functionis sit.

236. Enumerabuntur nunc aliqua quae permissionis sunt, et usque secundum leges Divinae Providentiae, per quae mere naturalis homo se pro natura contra Deum, et pro humana prudentia contra Divinam Providentiam, confirmat. Ut cum Verbum legit: Quod sapientissimus hominum, Adamus et uxor, se passi sint a serpente seduci, et quod Deus hoc per Divinam suam Providentiam non averterit. Quod primus eorum filius, Cainus, occiderit fratrem suum Abelem, et Deus non tunc abduxerit loquendo cum illo, sed modo post factum, maledicendo. Quod gens Israelitica in deserto coluerit vitulum aureum, et agnoverit eum pro Deo qui e terra Aegypti illos eduxit, cum tamen Jehovah hoc vidit e Monte Sinai prope, et non praecavit. Tum quod David numeraverit populum, et propterea immissa sit pestis, e qua tot millia hominum perierunt, et quod Deus non ante sed post factum ad illum miserit Gadem prophetam, et denuntiaverit poenam. Quod Salomoni permissum fuerit instaurare cultus idololatricos: et multis regibus post illum profanare templum et sancta ecclesiae: et demum quod genti isti permissum sit crucifigere Dominum. In his et multis aliis in Verbo, agnitor naturae et prudentiae humanae non videt nisi quam contraria Divinae Providentiae: quare illis ut argumentis potest uti ad negandum illam, si non in exteriore sua cogitatione, quae est proxima loquelae, usque in interiore quae remota est a loquela.

237. Omnis cultor sui et cultor naturae contra Divinam Providentiam se confimat, cum in mundo videt tot impios, et tot illorum impietates, et simul quorundam gloriationes ex illis, et usque non aliquas illorum punitiones propterea a Deo. Et magis contra Divinam Providentiam se confirmat, cum videt quod succedant machinationes, astutiae et doli, etiam contra pios, justos et sinceros: et quod injustitia trumphet super justitiam in judiciis et in negotiis. Imprimis se confirmat, cum videt impios ad honores evehi, ac fieri magnates et primates: tum

etiam abundare divitiis, ac vivere in lautis et magnificis; et vicissim cultores Dei in contemptu et paupertate. Contra Divinam Providentiam etiam se confirmat, cum cogitat quod permittantur bella, ac tunc tot hominum neces, ac tot urbium, gentium et familiarum depraedationes: et quoque quod victoriae stent a parte prudentiae, et quandoque non justitiae; et quod non aliquid faciat, si praefectus sit probus vel sit improbus; praeter similia alia: quae omnia sunt permissiones secundum leges Divinae Providentiae.

238. Idem naturalis homo confirmat se contra Divinam Providentiam, cum spectat religiosa variarum gentium: ut quod dentur qui prorsus ignorant Deum; quodque dentur qui adorant solem et lunam; tum qui idola et sculptilia etiam monstrosa; et quoque homines mortuos. Insuper cum spectat religiosum Mahumedanum, quod a tot imperiis et regnis receptum sit: et quod religio Christiana sit modo in orbis habitabilis parte minima, quae vocatur Europa; et quod ibi divisa sit; et quod ibi sint, qui Divinam potestatem sibi vindicant, ac volunt coli ut dii; et invocant homines mortuos: tum quod sint qui salvationem ponunt in quiqusdam vocibus, quas cogitent et loquantur, et non aliquid in bonis quae faciant; tum quod pauci sint qui vivunt religionem suam; praeter haeretica; quae plura fuerunt, et quoque aliqua hodie sunt, ut quae sunt Quaqueris, Moravianis, Anabaptistis, praeter alia; tum quod Judaismus adhuc perstet. Negator Divinae Providentiae ex his concludit, quod religio in se non sit aliquid, sed usque quod necessaria sit, quia inservit pro vinculo.

239. His argumentis possunt hodie plura addi, per quae adhuc confirmare se possunt, qui interius pro natura et pro sola humana prudentia cogitant; ut quod totus orbis Christianus agnoverit tres Deos, nescientes quod Deus unus sit persona et essentia, et quod Ille sit Dominus; tum quod huc usque nesciverint, quod in singulis Verbi sensus spiritualis sit, et quod sanctitas ejus inde sit: ut et, quod nesciverint, quod fugere mala sicut peccata, sit ipsa religio Christiana: et quoque quod nesciverint, quod homo vivat homo post mortem. Possunt enim secum et inter se dicere, "Cur Divina Providentia, si sit, talia nunc primum revelat?"

240. Omnia illa quae in numeris [236,] 237, 238, 239, recensita sunt, adducta sunt ob finem, ut videatur, quod omnia et singula quae in mundo fiunt, tam apud malos quam apud bonos, sint Divinae Providentiae; proinde quod Divina Providentia sit in singularissimis cogitationum et actionum hominis, et quod inde sit universalis. Sed quia hoc ex illis non videri potest, nisi singula seorsim explicentur, ideo eo ordine, quo adducta sunt, breviter explicanda sunt, incipiendo a n. 236.

241. (i.) *Quod sapientissimi hominum, Adamus et ejus Uxor, se passi sint a serpente seduci, et quod Deus hoc per Divinam suam Providentiam non averterit*, est quia per Adamum et ejus uxorem non intelliguntur omnium primi homines in hoc mundo creati, sed homines Antiquissimae Ecclesiae, quorum nova creatio seu regeneratio ita descripta est; ipsa nova creatio seu regeneratio illorum in capite primo [*Geneseos*] per creationem Caeli et Terrae; sapientia ac intelligentia illorum per hortum Edenis; ac finis illius ecclesiae per esum ex arbore scientiae. Verbum enim in sinu suo est spirituale, continens arcana Divinae Sapientiae; ac ut illa contineantur, conscriptum est per meras correspondentias et repraesentationes. Ex quibus patet, quod illius ecclesiae homines, qui principio fuerunt sapientissimi, et in fine ex fastu propriae intelligentiae pessimi, non seducti sint ab aliquo serpente, sed ab amore sui, qui ibi est "caput serpentis," quod Semen mulieris, hoc est, Dominus, proculcaturus est. [**2.**] Quis non potest ex ratione videre, quod alia, quam quae historice ibi in littera memorata sunt, intelligantur? Quis enim potest comprehendere, quod creatio mundi potuerit talis esse, sicut ibi describitur? quare etiam sudant eruditi in explicatione illorum, quae in primo capite sunt, fatentes tandem quod non intelligant; tum quod in horto seu paradiso illorum positae fuerint binae arbores, una vitae et una scientiae, et haec in offendiculum; ut et, quod ex solo esu hujus arboris in tantum praevaricati sint, ut non solum illi, sed etiam universum genus humanum, posteritas illorum, damnationi obnoxii fierent; porro, quod aliquis serpens potuisset illos seducere: praeter alia ibi, ut quod uxor creata sit ex costa mariti; quod nuditatem suam agnoverint post lapsum, ac velaverint illam foliis ficus, et

quod datae illis sint tunicae pellis ad velandum corpus; et quod positi sint cherubi cum ense flammante ad custodiendum viam ad arborem vitae. [3.] Haec omnia sunt repraesentativa, per quae describitur Antiquissimae Ecclesiae instauratio, status et ejus mutatio, et demum destructio: arcana omnium illorum, quae in sensu spirituali, qui est in singulis ibi, continentur, explicata videantur in *Arcanis Caelestibus* super *Genesin* et *Exodum*, Londini editis: ex quibus etiam constare potest, quod per "arborem vitae" ibi intelligatur Dominus quoad Divinam Ipsius Providentiam, et quod per "arborem scientiae" intelligatur homo quoad propriam prudentiam.

242. (ii.) *Quod primus eorum filius, Cainus, occiderit fratrem suum Abelem, et Deus non tunc abduxerit loquendo cum illo, sed modo post factum maledicendo.*—Quoniam per Adamum et uxorem ejus intelligitur Ecclesia Antiquissima, ut nunc supra dictum est, inde per Cainum et Abelem, primos eorum filios, intelliguntur duo essentalia ecclesiae, quae sunt amor et sapientia, seu charitas et fides; per Abelem amor et charitas, et per Cainum sapientia seu fides, in specie sapientia separata ab amore, seu fides separata a charitate; et sapientia tum fides separata talis est, ut non modo rejiciat amorem et charitatem, sed etiam illas annihilet, et sic fratrem suum occidat. Quod fides separata a charitate ita faciat, in Christiano orbe satis notum est; videatur *Doctrina Novae Hiersolymae de Fide.* [2.] Maledictio Caini involvit statum illorum spiritualem, in quem post mortem veniunt, qui separant fidem a charitate, seu sapientiam ab amore. Sed usque ne ideo pereat sapientia seu fides, positum est signum super Caino, ne occideretur, nam amor non datur absque sapientia, nec charitas absque fide. Quia per haec paene simile repraesentatum est, quod per esum ex arbore scientiae, ideo sequitur hoc in ordine post descriptionem Adami et ejus uxoris. Illi etiam qui in fide separata a charitate sunt, in propria intelligentia sunt, et qui in charitate et inde fide, in intelligentia a Domino sunt, ita in Divina Providentia.

243. (iii.) *Quod gens Israelitica in deserto coluerit vitulum aureum, et agnoverit illum pro Deo, qui illos e terra Aegypti eduxit: cum tamen Jehovah hoc vidit e monte Si-*

nai prope, et non praecavit—Factum est hoc in deserto Sinai prope montem. Quod Jehovah non abduxerit illos a facinoroso illo cultu, est secundum omnes leges Divinae Providentiae, quae hactenus allatae sunt, et quoque secundum illas quae sequuntur. Hoc malum illis permissum est, ne perirent omnes; nam filii Israelis educti sunt ex Aegypto, ut repraesentarent ecclesiam Domini, et hanc repraesentare non potuerunt, nisi idololatria Aegyptiaca e cordibus eorum primum eradicaretur; et hoc non fieri potuit nisi relictum fuisset illis agere secundum id quod in corde illorum fuit, et sic auferre illud per gravem punitionem. Quid ulterius per cultum illum, perque comminationem quod plene rejicerentur, et quod nova gens e Mose excitaretur, significatur, videatur in *Arcanis Caelestibus* super [1]xxxii. *Exodi*, ubi de illis agitur.

244. (iv.) *Quod David numeraverit populum, et propterea immissa sit pestis, ex qua tot millia hominum perierunt; et quod Deus non ante sed post factum ad illum miserit Gadem prophetam, et ei denuntiaverit poenam.*—Qui se contra Divinam Providentiam confirmat, potest etiam de hoc varia cogitare et volvere, imprimis cur David non prius admonitus fuerit, et cur populus propter transgressionem regis tam graviter punitus sit. Quod non prius admonitus fuerit, est secundum leges Divinae Providentiae hactenus demonstratas, imprimis [2]secundum binas supra n. 129–153, et n. 154–174 explicatas. Quod populus propter transgressionem regis tam graviter punitus sit, et septuaginta millia peste percussi sint, non fuit propter regem, sed propter populum; nam legitur,

> "Addidit ira Jehovae excandescere contra Israelem; ideo incitavit Davidem contra illos dicendo, Abi, numera Israelem et Jehudam" (2 *Sam.* xxiv. 1).

245. (v.) *Quod Solomoni permissum fuerit instaurare cultus idololatricos*, erat propter causam, ut repraesentaret regnum Domini seu ecclesiam cum omnibus religiosis in universo terrarum orbe; nam ecclesia apud gentem Israeliticam et Judaicam instituta fuit ecclesia repraesentativa; quare omnia judicia et statuta illius ecclesiae repraesentabant spiritualia ecclesiae, quae sunt interna ejus; ipse populus ecclesiam, rex Dominum, David Dominum

venturum in mundum, et Salomo Dominum post adventum Ipsius; et quia Domino post glorificationem Humani Ipsius fuit potestas super caelum et terram (ut Ipse dicit, *Matth.* xxviii. 18), ideo repraesentator Ipsius Salomo apparuit in gloria et magnificentia, et fuit in sapientia, super omnes reges terrae, et quoque aedificavit Templum: ac insuper cultus plurium gentium permisit ac instituit, per quos repraesentabantur varia religiosa in mundo. Similia significabant uxores ejus, quae numero septingentae fuerunt, et concubinae quae numero trecentae erant (1 *Reg.* xi. 3). "Uxor" enim in Verbo significat ecclesiam, et "concubina" religiosum. Ex his constare potest, cur datum sit Salomoni aedificare Templum, per quod significabatur Divinum Humanum Domini (*Joh.* ii. 19, 21), et quoque ecclesia; tum quod permissum ei sit instaurare cultus idololatricos, ac tot uxores ducere. Quod per Davidem intelligatur Dominus venturus in mundum, multis locis in Verbo, videatur *Doctrinae Novae Hierosolymae de Domino* (n. 43, 44).

246. (vi.) *Quod permissum sit multis regibus post Salomonem profanare templum et sancta ecclesiae*, erat quia populus repraesentabat ecclesiam, et rex caput eorum; et quia gens Israelitica et Judaica talis erat, ut non diu potuerint repraesentare ecclesiam, erant enim corde idololatrae, quare successive a cultu repraesentativo recesserunt, pervertendo omnia ecclesiae, usque ut tandem devastaverint illam. Hoc per profanationes Templi a regibus, et per idololatrias eorum, repraesentatum est; ipsa devastatio ecclesiae per ipsius Templi destructionem, perque abductionem populi Israelitici, ac per captivitatem populi Judaici in Babyloniam. Haec fuit causa; et quicquid fit ex aliqua causa, fit ex Divina Providentia secundum aliquam legem ejus.

247. (vii.) *Quod genti isti fuerit permissum crucifigere Dominum*, erat quia ecclesia apud illam gentem prorsus devastata fuit, et talis facta, ut non modo non cognoscerent et agnoscerent Dominum, sed etiam odio haberent Ipsum: at usque omnia quae fecerunt Ipsi, fuerunt secundum leges Divinae Ipsius Providentiae. Quod passio crucis fuerit ultima tentatio, seu ultima pugna, per quam Dominus plene vicit inferna, et plene glorificavit Huma-

num suum, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* (n. 12–14); et in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide* (n. 34, 35).

248. Hactenus explicata sunt illa quae supra, n. 236, recensita sunt, quae sunt aliqua ex Verbo per quae homo naturalis ratiocinator contra Divinam Providentiam se confirmare potest: nam, ut prius dictum, quicquid talis homo videt, audit et legit, potest pro argumento sumere contra illam. At pauci contra Divinam Providentiam se confirmant ex talibus quae in Verbo sunt: plures vero ex illis quae coram oculis exstant, quae sunt quae n. 237 continentur, quae nunc similiter explicanda sunt.

249. (i.) *Quod omnis cultor sui et cultor naturae contra Divinam Providentiam se confirmet, cum in mundo videt tot impios, et tot illorum impietates, et simul quorundam gloriationes in illis, et usque non aliquam illorum punitionem a Deo.*—Omnes impietates, et quoque gloriationes super illis, sunt permissiones, quarum causae sunt leges Divinae Providentiae. Quisque homo libere, immo liberrime potest cogitare quod vult, tam contra Deum, quam pro Deo; et qui contra Deum cogitat, raro punitur in mundo naturali, quia ibi semper in statu reformationis est; sed punitur in mundo spirituali, quod fit post mortem, tunc enim non amplius reformari potest. [**2.**] Quod [1]causae permissionum sint leges Divinae Providentiae, patet ex legibus ejus supra allatis, si revocantur et lustrantur, quae sunt: Ut homo ex libero secundum rationem agat, de qua lege supra (n. 71–97): Ut homo non per media externa cogatur ad cogitandum et volendum, ita ad credendum et amandum illa quae religionis sunt; sed ut se ipsum adducat, et quandoque cogat (de qua lege, [2]n. 129–153): Quod propria prudentia nulla sit, et solum appareat quod sit; et quoque apparere debeat sicut sit; sed quod Divina Providentia ex singularissimis universalis sit (n. 191–213): Quod Divina Providentia spectet aeterna, et non aliter temporaria, quam quantum unum faciunt cum aeternis (n. 214–220): Quod homo non interius immittatur in vera fidei et in bona charitatis, nisi quantum in illis potest teneri usque ad finem vitae (de qua lege, n. 221–233). [**3.**] Quod causae permissionum sint leges Divinae Providentiae, etiam a sequentibus patebit; ut ex hoc: Quod

permittantur mala propter finem quae est salvatio. Tum ex hoc: Quod Divina Providentia continua sit aeque apud malos quam apud bonos. Et demum ex hoc: Quod Dominus non possit agere contra leges Divinae suae Providentiae, quia agere contra illas foret agere contra Divinum Amorem suum, et contra Divinam Sapientiam suam, ita contra Se Ipsum. Hae leges, si conferantur, possunt manifestare causas, cur a Domino permittuntur impietates, et non puniuntur dummodo in cogitatione sunt, et raro etiam in intentione, et sic etiam in voluntate, et non in facto. Sed usque unumquodvis malum sua poena sequitur; est sicut malo inscripta sit sua poena, quam impius post mortem luit. [4.] Per haec quae nunc adducta sunt, etiam [1]explicata sunt sequentia haec supra, n. 237, allata, quae sunt, *Quod cultor sui et cultor naturae se confirmet contra Divinam Providentiam adhuc magis, cum videt quod succedant machinationes, astutiae et doli, etiam contra pios, justos et sinceros: et quod injustitia triumphet super justitiam in judiciis et in negotiis.*—Omnes leges Divinae Providentiae sunt necessitates; et quia sunt causae cur talia permittuntur, patet, quod ut homo vivere possit homo, reformari et salvari, talia non possint a Domino homini auferri, nisi mediate per Verbum, et in specie per decalogi praecepta, apud illos qui agnoscunt omnis generis homicidia, adulteria, furta et falsa testimonia pro peccatis: at apud illos qui non agnoscunt talia pro peccatis, mediate per leges civiles ac timorem pro poenis illarum; tum mediate per leges morales, ac timorem jacturae famae, honoris et lucri propter illam; per haec media ducit Dominus malos, sed solum a faciendo illa, non autem a cogitando et volendo illa; per priora autem media ducit Dominus bonos, non solum a faciendo illa, sed etiam a cogitando et volendo illa.

250. (ii.) *Quod cultor sui et cultor naturae se contra Divinam Providentiam confirmet, cum videt impios ad honores evehi, ac fieri magnates et primates; tum etiam abundare opibus, ac vivere in lautis et magnificis; et cultores Dei in contemptu et paupertate.*—Cultor sui et cultor naturae credit dignitates et opes esse summas et solas, ita ipsas felicitates, quae dari possunt; et si ex cultu ab infantia initiato aliquid cogitat de Deo, vocat illas benedic-

tiones Divinas; et quamdiu ex illis non spirat altius, cogitat Deum esse, et quoque colit Ipsum; sed in cultu latet, quod ipse tunc nescit, ut a Deo evehatur ad dignitates adhuc superiores, et ad opes adhuc ampliores; et si in illas venit, abit cultus ejus ad exteriora magis et magis, usque dum elabitur, et tandem ut Deum [1]vilipendat et neget; simile facit, si a dignitate et opulentia, in quibus cor suum posuit, dejiceretur. Quid tunc dignitates et opes, nisi offendicula malis? [**2.**] Non autem bonis, quia hi non cor in illis ponunt, sed in usibus seu bonis, ad quae praestanda dignitates et opes inserviunt pro mediis. Quare per quod impii ad honores et opes promoveantur, et fiant magnates et primates, non alius potest se contra Divinam Providentiam confirmare, quam qui cultor sui et cultor naturae est. Praeterea, quid dignitas major et minor? et quid opulentia major et minor? Num aliud in se est quam quoddam imaginarium? Num faustior et felicior unus quam alter est? Numne dignitas apud magnatem, immo apud regem et imperatorem post annuum tempus spectatur aliter quam sicut commune quoddam, quod non amplius gaudio exaltat cor ejus, et quod etiam potest apud illum vilescere? Num illi ex suis dignitatibus in majori gradu felicitatis sunt, quam qui in minori, immo in minima dignitate sunt; sicut sunt coloni et quoque famuli illorum? Possunt hi in majori gradu felicitatis esse cum bene illis est, et contenti sunt sua sorte. Quis plus corde inquietus est, quis saepius indignatur, et quis gravius irascitur, quam amor sui? Hoc fit quoties non secundum cordis sui exaltationem honoratur, et quoties aliquid ei ad nutum et votum non succedit. Quid ergo dignitas, si non sit rei aut usus, nisi idea? Num talis idea potest in alia cogitatione esse quam in cogitatione de se et de mundo, ac ipsa in se quod mundus sit omne, ac aeternum sit nihil? [**3.**] Nunc aliquid dicetur de Divina Providentia, cur permittit, quod impii corde evehantur ad dignitates et lucrentur opes. Impii seu mali aeque possunt usus praestare sicut pii seu boni, immo ex fortiori igne, nam se spectant in usibus, ac honores ut usus; quare in quo gradu amor sui scandit, in eo accenditur libido faciendi usus suae gloriae causa. Talis ignis non datur apud pios seu bonos, nisi fomentatus sit subter ab honore. Quare Dominus

impios corde, qui in dignitatibus sunt, per famam nominis eorum regit, et excitat ad faciendum usus communi seu patriae, societati seu civitati in qua sunt, et quoque concivi seu proximo cum quo sunt. Hoc est regimen Domini, quod vocatur Divina Providentia cum talibus: est enim Regnum Domini regnum usuum, et ubi non dantur nisi quam pauci qui usus praestant propter usus, facit ut cultores sui ad eminentiora officia evehantur, in quibus quisque ad bonum faciendum per suum amorem excitatur. [**4.**] Pone aliquod regnum infernale in mundo, tametsi non datur, ubi non nisi quam amores sui regnant (ipse amor sui est diabolus), annon quisque usus faciet ex igne amoris sui, et ex splendore gloriae suae, plus quam aliud regnum? At apud omnes illos ore fertur bonum publicum, sed corde bonum suum. Et quia quisque spectat principem suum ut major fiat, spirat enim ut maximus, num talis potest videre quod Deus sit? Est fumus sicut incendii qui circumstipat, per quem non potest aliquod verum spirituale in sua luce transire. Vidi illum fumum circum inferna talium. Accende lucernam, et inquire, quot in regnis hodie sunt, qui aspirant ad dignitates, qui non sunt amores sui et mundi. Num inter mille invenies quinquaginta, qui amores Dei sunt, et inter hos modo aliquos, qui ad dignitates aspirant? Cum itaque tam pauci numero sunt, qui amores Dei sunt, et tam multi qui amores sui et mundi, et cum hi amores ex suis ignibus plus usus praestant, quam amores Dei ex suis, quomodo tunc potest aliquis se confirmare per id quod mali in eminentia et opulentia prae bonis sint. [**5.**] Hoc etiam confirmatur per haec Domini verba:

> "Laudavit Dominus oeconomum injustitiae, quod prudenter egerit; nam filii hujus saeculi prudentiores sunt supra filios lucis in generatione sua. Sic Ego vobis dico, Facite vobis amicos ex mammone injustitiae, ut quando defeceritis suscipiant vos in aeterna tabernacula" (*Luc.* xvi. 8, 9):

quid per haec in sensu naturali intelligitur, patet: in sensu autem spirituali per "mammonem injustitiae" intelliguntur cognitiones veri et boni, quas mali possident, et quibus ad dignitates et opes sibi comparandas solum utuntur; illae cognitiones sunt, ex quibus boni seu filii lucis sibi amicos facient, et quae suscipient illos in aeterna

tabernacula. Quod multi sint amores sui et mundi, ac pauci amores Dei, etiam docet Dominus his verbis :

> "Lata porta et spatiosa via est, quae ducit ad interitum, et multi sunt qui intrant per illam : sed angusta et stricta via est, quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt illam" (*Matth.* vii. 13, 14).

Quod dignitates et opes sint vel maledictiones vel benedictiones, et apud quos, videatur supra (n. 217).

251. (iii.) *Quod cultor sui et cultor naturae contra Divinam Providentiam se confirmet, cum cogitat quod permittantur bella, et tunc tot hominum neces, ac opum illorum depraedationes.*—Ex Divina Providentia non est, ut bella existant, quia unita sunt cum homicidiis, depraedationibus, violentiis, saevitiis, et aliis malis enormibus, quae e diametro contra Christianam charitatem sunt : sed usque non possunt non permitti, quia amor vitae hominum, post antiquissimos, qui intelliguntur per Adamum et ejus uxorem (de quibus supra, n. 241), talis factus est, ut dominari velit super alios, et tandem super omnes, ac ut possidere velit mundi opes, et tandem omnes. Hi bini amores non possunt in vinculis teneri, cum secundum Divinam Providentiam est, ut cuivis liceat ex libero secundum rationem agere (de qua videatur supra, n. 71–[1]99) ; et quod absque permissionibus homo non possit a Domino duci a malo, ita non reformari et salvari ; nam nisi permitteretur ut mala erumpant, homo non videret illa, ita non agnosceret illa, et sic non adduci posset ad resistendum illis. Inde est, quod per aliquam Providentiam non possint mala inhiberi ; nam sic manerent inclusa, et sicut morbus, qui vocatur cancer et gangraena, circumvagarentur et consumerent omne vitale humanum. [**2.**] Est enim homo ex nativitate sicut exiguum infernum, inter quod et inter caelum est pepetuum dissidium. Nullus homo ex suo inferno potest extrahi a Domino, nisi videat quod ibi sit, et nisi velit educi ; et hoc non fieri potest absque permissionibus, quarum causae sunt leges Divinae Providentiae. Ex hac causa est, quod bella minora et majora sint ; minora inter praediorum possessores et inter vicinos eorum, et majora inter regnorum monarchas et inter horum vicinos. Minus et majus non facit aliud discrimen, quam quod minus intra limites teneatur per leges

gentis, et majus per leges gentium ; et quod tam minus quam majus suas leges velit transgredi, sed quod minus non possit, et quod majus possit, at usque non ultra possibile. [**3.**] Quod bella majora, quia unita sunt cum homicidiis, depraedationibus, violentiis, et saevitiis, non inhibeantur a Domino apud reges et duces, non in initio, nec in progressione, sed in fine, dum potentia unius aut alterius ita invalida facta est, ut ei periculum interitus immineat, sunt plures causae, quae in thesauro Divinae Sapientiae reconditae sunt ; ex quibus aliquae mihi revelatae sunt ; inter quas haec est : quod omnia bella, quantumvis civilia sunt, sint repraesentativa statuum ecclesiae in caelo, et quod correspondentiae sint. Talia fuerunt omnia bella in Verbo descripta, et quoque talia sunt omnia bella hodie. Bella in Verbo descripta sunt illa quae filii Israelis cum variis gentibus, ut cum Emorraeis, Ammonitis, Moabitis, Philistaeis, Syris, Aegyptiis, Chaldaeis, Assyriis, gesserunt ; et cum filii Israelis, qui repraesentaverunt ecclesiam, recesserunt a praeceptis et statutis, et lapsi sunt in mala, quae per gentes illas significabantur, unaquaevis enim gens cum qua filii Israelis bellum gesserunt, significabat aliquod genus mali, tunc per illam gentem puniti sunt. Prout, cum profanarent sancta ecclesiae per foedas idololatrias, puniti sunt per Assyrios et Chaldaeos, quoniam per Assyriam et Chaldaeam significatur profanatio sancti. Quid per bella cum Philistaeis significatum est, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide* (n. 50–54). [**4.**] Similia repraesentantur per bella hodie, ubicunque sunt ; omnia enim quae in mundo naturali fiunt, correspondent spiritualibus in mundo spirituali, et omnia spiritualia concernunt ecclesiam. Non scitur in hoc mundo, quaenam regna in orbe Christiano referunt Moabitas et Ammonitas, quaenam Syros et Philistaeos, et quaenam Chaldaeos et Assyrios, et reliquos cum quibus filii Israelis bella gesserunt ; at usque sunt qui illos referunt. Sed qualis ecclesia est in terris, et quaenam mala sunt in quae labitur, et propter quae per bella punitur, prorsus non videri potest in mundo naturali, quoniam in hoc mundo solum externa patent, quae non faciunt ecclesiam ; sed videtur in mundo spirituali, ubi interna, in quibus ipsa ecclesia est, apparent ; ac ibi omnes

secundum varios suos status conjunguntur. Conflictus horum in mundo spirituali correspondent bellis, quae utrimque a Domino secundum Divinam Ipsius Providentiam correspondenter reguntur. [**5.**] Quod bella in mundo per Divinam Domini Providentiam regantur, spiritualis homo agnoscit, at non naturalis homo, solum cum indicitur festum propter victoriam, quod tunc possit super genubus Deo gratias agere quod victoriam dederit, et quoque paucis vocibus antequam proelium init; at cum redit in se, tunc victoriam vel adscribit ducis prudentiae, vel alicui consilio aut rei in medio proelio, de quo nihil cogitaverant, ex quo tamen victoria. [**6.**] Quod Divina Providentia, quae vocatur Fortuna, sit in singularissimis rerum etiam levium, videatur supra (n. 212); si in illis agnoscis Divinam Providentiam, omnino in rebus belli agnosces illam. Vocantur etiam successus et res belli feliciter gestae, communi voce fortuna belli, et haec est Divina Providentia, imprimis in consiliis et meditationibus ducis, tametsi ille tunc et postea suae prudentiae addiceret omnia ejus. Sed hoc faciat si velit, nam in plena libertate cogitandi est pro Divina Providentia et contra illam, immo pro Deo et contra Illum; at sciat quod nehilum consilii et meditationis sit ab ipso; influit omne vel a caelo vel ab inferno, ab inferno ex permissione, a caelo ex Providentia.

252. (iv.) *Quod cultor sui et cultor naturae se confirmet contra Divinam Providentiam, cum secundum suam perceptionem cogitat, quod victoriae stent a parte prudentiae, et quandoque non a parte justitiae: tum quod non aliquid faciat, sive praefectus sit probus, sive sit improbus.*—Quod videatur sicut victoriae stent a parte prudentiae, et quandoque non a parte justitiae, est quia homo judicat ex apparentia, ac favet parti uni plus quam alteri, et id cui favet per ratiocinia potest confirmare; nec scit quod justitia causae sit in caelo spiritualis, et in mundo naturalis, ut in mox antecedentibus dictum est, et quod conjungantur per nexum rerum praeteritarum et simul futurarum, quae soli Domino notae sunt. [**2.**] Quod nihil faciat sive praefectus sit probus sive sit improbus, est ex eadem causa, quae supra (n. 250) confirmata est, quod mali aeque ac boni usus faciant, et mali ex suo igne

ardentius quam boni ; imprimis in bellis, quia malus callidior et astutior est in machinandis dolis, et ex amore gloriae in voluptate occidendi et depraedandi, quos scit et declarat hostes, quam bonus ; hic solum est in prudentia et zelo tutandi, ac raro in aliqua prudentia et zelo invadendi. Hoc simile est sicut cum spiritibus inferni et cum angelis caeli ; spiritus inferni aggrediuntur, ac angeli caeli se tutantur. Ex his hoc conclusum fit, quod cuivis liceat tutari suam patriam et consocios contra invasores hostes, etiam per praefectos malos, sed quod non liceat absque causa se hostem facere: causa propter solam gloriam, est in se diabolica, nam est amoris sui.

253. Hactenus explicata sunt illa quae supra (n. 237) allata sunt, per quae mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmat. Nunc explicanda sunt illa quae (n. 238) sequuntur, quae concernunt religiosa plurium gentium, quae etiam homini mere naturali inservire possunt pro argumentis contra Divinam Providentiam ; corde enim dicit, "Quomodo possunt tot religiones dissidentes dari, et non una vera super totum terrarum orbem, cum Divina Providentia pro fine habet caelum ex humano genere?" ut supra (n. 27–45) ostensum est. Sed quaeso audi: Omnes quotcunque nati sunt homines in quacunque religione, salvari possunt, modo Deum agnoscant et vivant secundum praecepta quae in decalogo sunt, quae sunt, ne occidant, ne adulterentur, ne furentur, et ne false testentur, propterea quia facere talia est contra religionem, ita contra Deum. Apud illos est timor Dei, et amor proximi ; timor Dei, quia cogitant quod illa facere sit contra Deum, et amor proximi quia occidere, adulterari, furari, false testari, et concupiscere ejus domum et uxorem, est contra proximum. Hi quia in vita sua spectant ad Deum, et non malefaciunt proximo, a Domino ducuntur; et qui ducuntur, etiam docentur secundum religionem suam de Deo et de proximo; nam qui ita vivunt amant doceri, at qui aliter vivunt non amant ; et quia amant doceri, etiam post mortem, cum fiunt spiritus, ab angelis instruuntur, et libenter recipiunt vera qualia sunt in Verbo. De his videantur aliqua in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 91–97, et 104–113).

254. (i.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum spectat ad religiosa variarum gentium, quod dentur qui prorsus ignorant Deum, quodque dentur qui adorant solem et lunam, tum qui idola et sculptilia.*—Illi qui ex his deducunt argumenta contra Divinam Providentiam, non sciunt arcana caeli, quae innumerabilia sunt, quorum vix unum homo novit ; inter illa etiam est, quod homo non immediate doceatur e caelo, sed mediate, de qua re videatur supra (n. 154–174) ; et quia mediate, et non potuit per emissarios ad omnes qui in universo terrarum orbe habitant, venire Evangelium, sed usque potuit religio per varias vias etiam ad gentes, quae in angulis mundi sunt, traduci, quare hoc per Divinam Providentiam factum est. Nam non est alicui homini religio ex se, sed per alium, qui vel ipse vel ex aliis per traducem sciverunt ex Verbo, quod Deus sit, quod caelum et infernum sint, quod vita post mortem sit, et quod Deus colendus sit, ut beatus fiat. [**2.**] Quod religio transplantata sit in universum orbem ex Verbo Vetusto, et dein Israelitico, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 101–103), et quod nisi Verbum fuisset, nemo scivisset Deum, caelum et infernum, vitam post mortem, minus Dominum (n. 114–118 ibi). Cum semel religio implantata est, ducitur gens illa a Domino secundum religionis suae praecepta et dogmata ; et providit Dominus, ut in unaquavis religione sint praecepta, qualia sunt in decalogo ; ut quod Deus colendus sit, nomen Ipsius non profanandum, festum habendum, honorandi parentes, non occidendum, non adulterium committendum, non furandum, non false testandum. Gens quae illa praecepta facit Divina, ac vivit secundum illa ex religione, salvatur, ut mox supra (n. 253) dictum est : pleraeque etiam gentes a Christianismo remotae illas leges non ut civiles, sed ut Divinas spectant, et sanctas habent. Quod homo per vitam secundum illa praecepta salvetur, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae ex praeceptis Decalogi*, a principio ad finem. [**3.**] Inter arcana caeli etiam hoc est, quod caelum angelicum coram Domino sit sicut unus Homo, cujus anima et vita est Dominus, et quod ille Divinus Homo sit in omni forma homo, non modo quoad membra et organa externa, sed

etiam quoad membra et organa interna, quae plura sunt, tum etiam quoad cutes, membranas, cartilagines et ossa; at haec et illa in Homine isto non sunt materialia, sed sunt spiritualia: et provisum est a Domino, ut quoque illi, ad quos Evangelium non potuit venire, sed solum religio, etiam locum in Divino illo Homine, hoc est, in caelo, habere possent, constituendo illa, quae vocantur cutes, membranae, cartilagines et ossa; et quod similiter ac alii in caelesti gaudio essent: nam non refert, si in gaudio quale est angelis supremi caeli, seu in gaudio quale est angelis ultimi caeli; nam quisque qui in caelum venit, in summum sui cordis gaudium venit; non sustinet superius, in hoc enim suffocaretur. [**4.**] Est comparative sicut agricola et rex: agricola potest in summo gaudio esse, cum incedit veste nova ex rudi lana, et accumbit ad mensam, super qua est caro suilla, frustum bovis, caseus, cerevisia et vinum adustum; hic angustaretur corde, si sicut rex indueretur purpura, serico, auro et argento, et apponeretur ei mensa, super qua lautitiae ac opiparae dapes multi generis cum vino nobili. Ex quo patet, quod ultimis sicut primis sit felicitas caelestis, cuivis in suo gradu; ita quoque illis qui extra Christianum orbem sunt, modo fugiant mala ut peccata contra Deum, quia contra religionem. [**5.**] Sunt pauci, qui prorsus ignorant Deum: quod hi, si moralem vitam egerunt, post mortem instruantur ab angelis, et in morali sua vita recipiant spirituale, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 116). Similiter qui solem et lunam adorant, et credunt ibi esse Deum; non sciunt aliud, quare id non illis pro peccato imputatur, nam dicit Dominus,

> "Si caeci essetis," hoc est, si non sciretis, "non haberetis peccatum" (*Joh.* ix. 41).

Plures autem sunt, qui colunt idola et sculptilia, etiam in Christiano orbe. Hoc quidem est idololatricum, sed non apud omnes; sunt enim quibus sculptilia inserviunt pro medio excitandi cogitationem de Deo; ex influxu enim e caelo est, ut qui Deum agnoscit velit videre Ipsum, et hi quia non possunt elevare mentem super sensualia, sicut interiores spirituales, ideo ex sculptili seu imagine exsuscitant illud. Illi qui hoc faciunt, et non adorant ipsum sculptile ut Deum, si etiam ex religione vivunt praecepta

decalogi, salvantur. [6.] Ex his patet, quod quia Dominus vult omnium salutem, providerit etiam ut quisque aliquem locum in caelo possit habere, si bene vivit. Quod caelum coram Domino sit sicut unus Homo, et quod inde caelum correspondeat omnibus et singulis quae apud hominem sunt; et quod etiam sint qui referunt cutes, membranas, cartilagines et ossa, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, Londini, 1758, edito (n. 59–102); tum in *Arcanis Caelestibus* (n. 5552–[1]5569); et quoque supra (n. 201–204).

255. (ii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum spectat religiosum Mahumedanum, quod a tot imperiis et regnis receptum sit.*—Quod hoc religiosum receptum sit a pluribus regnis quam religio Christiana, potest scandalo esse illis, qui de Divina Providentia cogitant, et simul credunt, quod non aliquis salvari possit, nisi qui Christianus natus est, ita ubi Verbum est, et per id Dominus notus est. Ast religiosum Mahumedanum non est scandalum illis qui credunt quod omnia sint Divinae Providentiae: hi inquirunt in quo est, et quoque inveniunt; est in eo, quod Mahumedana religio agnoscat Dominum pro Filio Dei, Sapientissimo hominum, proque Maximo Propheta, qui in mundum venit ut doceret homines: plurima pars illorum Ipsum majorem Mahumede faciunt. [2.] Ut plene sciatur, quod illud religiosum ex Divina Domini Providentia exsuscitatum sit ad delendum idololatrias plurium gentium, in aliquo ordine dicetur, quare primum de origine idololatriarum. Ante illud religiosum fuit cultus idolorum communis in toto terrarum orbe. Causa fuit, quia ecclesiae ante adventum Domini fuerunt omnes ecclesiae repraesentativae. Talis etiam fuit Ecclesia Israelitica; ibi tentorium, vestes Aharonis, sacrificia, omnia templi Hierosolymitani, et quoque statuta repraesentabant. Et apud antiquos fuit scientia correspondentiarum, quae etiam est repraesentationum, ipsa scientia sapientium, imprimis exculta in Aegypto; inde illorum hieroglyphica. Ex illa scientia sciverunt, quid significabant omnis generis animalia, tum quid omnis generis arbores, ut et quid montes, colles, fluvii, fontes, et quoque quid sol, luna, stellae; et quia omnis cultus illorum erat repraesentativus consistens ex meris correspondentiis, ideo super montibus et collibus,

et quoque in lucis et hortis, habuerunt cultus, ac ideo fontes sanctificabant, et ad solem orientem in adorationibus Dei vertebant facies; et insuper sculptiles equos, boves, vitulos, agnos, immo aves, pisces, serpentes, fecerunt, et hos posuerunt domi et alibi in ordine secundum spiritualia ecclesiae, quibus correspondebant seu quae repraesentabant. Similia etiam posuerunt in suis templis, ut in reminiscentiam revocarent sancta quae significabant. [3.] Post tempus, quando scientia correspondentiarum oblitterata fuit, incepit posteritas colere ipsa sculptilia ut in se sancta, nescientes quod antiqui parentes illorum non viderint aliquid sancti in illis, sed solum quod secundum correspondentias repraesentarent et inde significarent sancta. Inde ortae sunt idololatriae, quae impleverunt totum terrarum orbem, tam Asiaticum cum insulis circum, quam Africanum et Europaeum. Ut omnes illae idololatriae exstirparentur, ex Divina Domini Providentia factum est, ut nova religio geniis Orientalium accommodata auspicaretur; in qua aliquid ex utroque Testamento Verbi foret, et quae doceret quod Dominus in mundum venerit, et quod Ille esset maximus Propheta, sapientissimus omnium, et Filius Dei: hoc factum est per Mahumedem, ex quo religio ista vocata est Religio Mahumedana. [4.] Haec religio ex Divina Domini Providentia exsuscitata est, ac geniis Orientalium, ut dictum est, accommodata, ob finem ut deleret idololatrias tot gentium, ac daret aliquam cognitionem de Domino, antequam in mundum spiritualem venirent; quae religio non recepta fuisset a tot regnis, et potuisset idololatrias exstirpare, nisi conveniens et adaequata ideis cogitationum et vitae omnium illorum facta fuisset. Quod non agnoverit Dominum pro Deo caeli et terrae, erat causa quia Orientales agnoverunt Deum Creatorem Universi, et non comprehendere potuerunt, quod Ille in mundum venerit, et assumpserit Humanum; sicut nec illud comprehendunt Christiani, qui ideo in cogitatione sua separant Divinum Ipsius ab Humano Ipsius, ac Divinum ponunt juxta Patrem in caelo, ac Humanum Ipsius non sciunt ubi. [5.] Ex his videri potest, quod Mahumedana Religio etiam ex Divina Domini Providentia orta sit; et quod omnes illi ex ea religione, qui Dominum pro Filio Dei agnoscunt, et simul secundum praecepta decalogi,

quae etiam illis sunt, vivunt, fugiendo mala ut peccata, in caelum, quod vocatur Caelum Mahumedanum, veniant. Hoc caelum etiam divisum est in tres caelos, supremum, medium et infimum. In supremo caelo sunt, qui Dominum unum cum Patre agnoscunt, et sic Ipsum solum Deum: in altero caelo sunt qui abdicant plures uxores, et cum una vivunt; et in ultimo, qui initiantur. Plura de hac religione videantur in *Continuatione de Ultimo Judicio, et de Mundo Spirituali* (n. 68–72), ubi de Mahumedanis et de Mahumede actum est.

256. (iii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet, cum videt, quod religio Christiana sit modo in orbis habitabilis parte minore, quae vocatur Europa, et quod ibi sit divisa.*—Quod religio Christiana sit modo in orbis habitabilis parte minore, quae vocatur Europa, est quia non accommodata fuit geniis Orientalium, sicut religio Mahumedana, quae mixta est, ut mox supra ostensum est; et religio non accommodata non recipitur. Ut pro exemplo; religio quae sancit, quod non liceat plures uxores ducere, non recipitur, sed rejicitur ab illis qui a saeculis retro polygami fuerunt; ita quoque in quibusdam aliis religionis Christianae sancitis. [**2.**] Nec refert, sive minor pars mundi sive major illam receperit, modo sint populi, apud quos Verbum est; nam inde usque est lux illis qui extra ecclesiam sunt, et non habent Verbum, ut in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 104–113), ostensum est: et quod mirabile est, ubi Verbum sancte legitur, ac Dominus ex Verbo colitur, ibi est Dominus cum caelo; causa est, quia Dominus est Verbum, ac Verbum est Divinum Verum, quod facit caelum; quare Dominus dicit,

> "Ubi .. duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (*Matth.* xviii. 20):

ita fieri potest cum Verbo in multis locis orbis habitabilis ab Europaeis, quia illis est commercium super universum terrarum orbem, et ubivis ab illis vel legitur vel a Verbo docetur. Hoc apparet sicut inventum, sed usque est verum. [**3.**] Quod religio Christiana sit divisa, est quia haec ex Verbo est, ac Verbum per meras correspondentias conscriptum est; et correspondentiae sunt quoad

multam partem apparentiae veri, in quibus tamen genuina vera latent inclusa ; et quia doctrina ecclesiae ex sensu litterae Verbi, qui talis est, haurienda est, non potuit aliter quam in ecclesia existere lites, controversiae et dissensiones, imprimis quoad intellectum Verbi, non autem quoad ipsum Verbum, et quoad ipsum Divinum Domini ; ubivis enim agnoscitur quod Verbum sit sanctum, et quod Domino sit Divinum, et haec duo sunt essentialia ecclesiae : quare etiam qui Divinum Domini negant, qui sunt qui vocantur Sociniani, ab ecclesia excommunicati sunt ; et qui negant sanctitatem Verbi, non pro Christianis reputantur. His adjiciam aliquod memorabile de Verbo, ex quo potest concludi, quod Verbum interius sit ipsum Divinum Verum, ac intime Dominus : [**4.**] dum aliquis spiritus aperit Verbum, et eo fricat faciem aut vestem suam, tunc facies aut vestis ejus ex sola fricatione tam candide lucet sicut luna aut sicut stella, et hoc in conspectu omnium quos offendit ; hoc testatur, quod non detur aliquod sanctius in mundo, quam Verbum. Quod Verbum per meras correspondentias conscriptum sit, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 5–26). Quod doctrina ecclesiae ex sensu litterae Verbi haurienda sit, et per illum confirmanda (n. 50–61, ibi). Quod haereses ex sensu litterae Verbi captari possint, sed quod confirmare illas damnosum [1]sit (n. 91–97). Quod ecclesia sit ex Verbo, et quod talis sit, qualis ei intellectus Verbi est (n. 76–79).

257. (iv.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod in pluribus regnis, ubi religio Christiana recepta est, sint qui Divinam potestatem sibi vindicant, et volunt coli sicut dii ; et quod invocent homines mortuos.*—Dicunt quidem quod Divinam potestatem sibi non arrogaverint, et quod [non] velint coli ut dii ; sed usque dicunt quod aperire et claudere possint caelum, remittere et retinere peccata, proinde salvare et condemnare homines, et hoc est ipsum Divinum ; Divina enim Providentia non aliud pro fine habet, quam reformationem et inde salvationem ; haec est ejus operatio continua apud unumquemvis ; ac salvatio non potest fieri nisi quam per agnitionem Divini Domini, et per confidentiam quod Ipse faciat, dum homo secundum praecepta Ipsius

vivit. [**2.**] Quis non videre potest, quod hoc sit Babylonia in *Apocalypsi* descripta; et quod hoc sit Babel, de qua passim apud Prophetas? Quod etiam hoc sit Lucifer apud *Esaiam* xiv., patet a versibus 4 et 22 illius capitis, in quibus haec verba sunt:

> "Enunties hanc parabolam de rege Babelis" (vers. 4);
> Dein "Exscindam Babeli nomen et residuum" (vers. 22);

ex quo liquet, quod Babel ibi sit Lucifer, de quo dicitur,

> "Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer, filius aurorae: .... atqui tu dixisti in corde tuo, caelos ascendam; supra stellas Dei exaltabo thronum meum, et sedebo in monte conventus, in lateribus septentrionis; ascendam supra excelsa nubis; similis fiam Altissimo" (vers. 12-14).

Quod invocent homines mortuos, ac orent ut opem ferant, notum est. Dicitur quod invocent, quia invocatio illorum stabilita est per Bullam Papalem confirmantem decretum Concilii Tridentini, in qua aperte dicitur quod invocandi sint. Quis tamen non novit, quod solus Deus invocandus, et quod non aliquis homo mortuus? [**3.**] Sed nunc dicetur, cur Dominus talia permiserit. Quod permiserit propter finem, qui est salvatio, non negari potest; scitur enim quod absque Domino nulla salus sit; et quia ita est, necessum fuit, ut praedicaretur Dominus ex Verbo, et per id Ecclesia Christiana instauraretur; sed hoc non potuit fieri nisi ab antesignanis, qui id ex zelo facerent; nec dari sunt alii, quam qui in aestu, sicut zelo, ex igne amoris sui fuerunt. Hic ignis primum excitavit illos ad praedicandum Dominum et ad docendum Verbum; ex primaevo hoc illorum statu est quod

> Lucifer dicatur filius aurorae (vers. 12).

Sed sicut viderunt, quod per sancta Verbi et ecclesiae dominari possent, amor sui, a quo primum excitati fuerunt ad praedicandum Dominum, ab interiori erupit, et tandem usque ad illud fastigium se extulit, ut omnem Divinam potestatem Domini in se transtulerint, non relinquendo aliquid. [**4.**] Hoc per Divinam Domini Providentiam non inhiberi potuit; nam si inhiberetur, proclamavissent Dominum non Deum, ac Verbum non sanctum, ac fecissent se Socinianos vel Arianos, et sic destruxissent totam ecclesiam; quae, qualescunque sint praesules, usque apud

subditam gentem permanet ; omnes enim illi ex ea religione, qui etiam Dominum adeunt, ac mala fugiunt ut peccata, salvantur ; quapropter ex illis etiam plures societates caelestes sunt in mundo spirituali. Et quoque provisum est, ut sit gens inter illos quae non subivit jugum talis dominationis, et quae sanctum habet Verbum ; haec gens nobilis est gens Gallica. Sed quid factum est ? [**5.**] Quando amor sui evexit dominium usque ad thronum Domini, removit Ipsum, et se super imposuit, non potuit aliter ille amor, qui est Lucifer, quam profanare omnia Verbi et ecclesiae : quod ne fieret, Dominus per Divinam suam Providentiam consuluit, ut a cultu Ipsius recederent, ac invocarent homines mortuos, orarent ad sculptilia illorum, oscularentur ossa illorum, et procumberent ad sepulcra illorum, prohiberent Verbum legi, et sanctum cultum ponere in missis a vulgo non intellectis, et pro argento vendere salutem ; quoniam si haec non fecissent, sancta Verbi et ecclesiae profanavissent : nam, ut in praecedente paragrapho ostensum est, non alii profanant sancta, quam qui sciunt illa. [**6.**] Ne itaque profanarent sanctissimam Cenam, ex Divina Domini Providentia est, ut dividerent illam, ac panem darent populo, ac ipse vinum biberent ; vinum enim in Sancta Cena significat sanctum verum, ac panis sanctum bonum ; at cum divisa sunt, significat vinum profanatum verum, ac panis adulteratum bonum ; ac insuper quod illam corpoream et materialem facerent, et hoc pro primario religionis assumerent. Qui ad singula illa animum advertit, et illa in quadam illustratione mentis expendit, potest videre Divinae Providentiae mirabilia, ad tutandum sancta ecclesiae, et ad salvandum omnes quotcunque salvari possunt, et quasi ex incendio eripiendi, qui volunt eripi.

258. (v.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod inter illos qui religionem Christianam profitentur, sint qui salvationem ponunt in quibusdam vocibus quas cogitent et loquantur, et non aliquid in bonis quae faciant.*—Quod illi tales sint, qui solam fidem faciunt salvificam, et non vitam charitatis, proinde qui fidem a charitate separant, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide*, ostensum est ; et quoque ibi, quod illi per "Philistaeos," perque "draconem," et per "hircos," in

Verbo intelligantur. [2.] Quod talis Doctrina etiam permissa sit, est ex Divina Providentia, ne profanaretur Divinum Domini, et Sanctum Verbi. Divinum Domini non profanatur cum salvatio ponitur in his vocibus, "Ut Deus Pater misereatur propter Filium, qui passus est crucem, et satisfecit pro nobis;" nam sic non adeunt Divinum Domini, sed humanum, quod non agnoscunt pro Divino: nec profanatur Verbum, quia non attendunt ad illa loca ubi nominatur amor, charitas, facere, opera; haec omnia dicunt esse in fide illarum vocum; et illi qui illud confirmant, dicunt secum, "Lex me non damnat, ita nec malum; et bonum non salvat, quia bonum a me non est bonum:" quare sunt sicut illi qui non sciunt aliquod verum ex Verbo, et propterea id non profanare possunt. Sed istarum vocum fidem non confirmant alii, quam qui ex amore sui in fastu propriae intelligentiae sunt; hi nec corde Christiani sunt, sed solum volunt videri. Quod usque Divina Domini Providentia continue operetur, ut salventur illi, apud quos fides separata a charitate facta est religionis, nunc dicetur. [3.] Ex Divina Domini Providentia est, quod, tametsi illa fides facta est religionis, usque unusquisque sciat, quod non illa fides salvet, sed quod vita charitatis cum qua fides unum agit; in omnibus enim ecclesiis, ubi religio illa recepta est, docetur, quod nulla salvatio sit, nisi homo exploret se, videat sua peccata, agnoscat illa, paenitentiam agat, desistat ab illis, et novam vitam ineat. Hoc cum multo zelo praelegitur coram omnibus illis qui ad Sanctam Cenam accedunt; addendo, quod nisi hoc faciant, commisceant sancta prophanis, et se in damnationem aeternam conjiciant; immo in Anglia, quod nisi id faciant, diabolus in illos intraturus sit sicut in Judam, et destructurus illos quoad animam et corpus. Ex his patet. quod unusquisque in ecclesiis ubi sola fides recepta est, usque doceatur quod mala ut peccata fugienda sint. [4.] Porro, unusquisque, qui natus est Christianus, etiam scit quod mala ut peccata fugienda sint, ex eo, quod decalogus tradatur omni puero et omni puellae in manum, et a parentibus et a magistris doceatur; et quoque omnes cives regni, in specie vulgus, ex solo decalogo e memoria lecto explorantur a sacerdote quid ex Christiana religione sciunt, et quoque monentur ut

faciant illa quae ibi. Nusquam tunc ab aliquo antistite dicitur, quod non sint sub jugo istius legis, nec quod illa facere non possint quia non aliquod bonum a se. In toto Christiano orbe etiam receptum est Symbolum Athanasianum, et quoque agnoscitur id quod ultimo ibi dicitur, quod Dominus venturus sit ad judicandum vivos et mortuos, et tunc illi qui bona fecerunt intrabunt in vitam aeternam, et qui mala fecerunt in ignem aeternum. [**5.**] In Suecia, ubi religio de sola fide recepta est, manifeste etiam docetur, quod non detur fides separata a charitate seu absque bonis operibus, hoc in quadam Appendice Memoriali [r]omnibus Libris psalmorum inserta, quae vocatur "Impedimenta seu Offendicula Impaenitentium (*Obotfardigas forhinda*)," ubi haec verba: "Illi qui in bonis operibus sunt divites, monstrant per id quod in fide sint divites, quoniam cum fides est salvifica, operatur illa per charitatem; fides enim justificans nusquam datur sola ac separata a bonis operibus, quemadmodum bona arbor non datur absque fructu, sol non absque luce et calore, et aqua non absque humore." [**6.**] Haec pauca allata sunt, ut sciatur, quod tametsi religiosum de sola fide receptum est, usque bona charitatis, quae sunt bona opera, ubivis doceantur, et quod hoc sit ex Divina Domini Providentia, ne vulgus per illam seducatur. Audivi Lutherum, cum quo aliquoties in mundo spirituali locutus sum, devoventem solam fidem, et dicentem, quod cum illam stabilivit, monitus sit per angelum Domini, ne id faceret; sed quod cogitaverit secum, quod si non opera rejiceret, non fieret separatio a religioso Catholico; quare contra monitum fidem illam confirmavit.

259. (vi.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod in Christiano orbe tot haereses fuerint, et adhuc sint, ut Quaquerismus, Moravianismus, Anabaptismus, et plures.*—Potest enim secum cogitare, Si Divina Providentia in singularissimis universalis foret, et pro fine haberet omnium salutem, fecisset ut una vera religio foret in universo terrarum orbe, et illa non divisa, et minus discerpta in haereses: sed utere ratione, et cogita altius si potes; num potest homo salvari nisi prius reformetur? Est enim in amorem sui et mundi natus, et quia illi amores in se non aliquid amoris

in Deum et aliquid amoris erga proximum, nisi propter se, ferunt, est ille quoque natus in omnis generis mala. Quid amoris seu misericordiae in illis amoribus est? Num aliquid facit defraudare alium, blasphemare illum, odio habere illum usque ad necem, adulterari cum uxore ejus, saevire in illum cum in vindicta est, quum animo fert quod velit supremus omnium esse, ac possidere omnium aliorum bona, ita cum spectat alios respective ad se ut viles ac ut nauci? Annon ut talis salvetur, ab illis malis primum abducendus est, et sic reformandus? Quod hoc non fieri possit, nisi secundum plures leges, quae sunt leges Divinae Providentiae, multis supra ostensum est; quae leges quoad maximam partem ignotae sunt, et tamen sunt Divinae Sapientiae et simul Divini Amoris, contra quas Dominus non potest agere; nam agere contra illas, foret perdere hominem, et non salvare illum. [**2.**] Percurrantur leges quae allatae sunt, conferantur, et videbis. Cum itaque secundum leges illas etiam sit, ut non aliquis immediatus influxus sit e caelo, sed mediatus per Verbum, doctrinas et praedicationes; ac Verbum, ut esset Divinum, non potuit nisi quam per meras correspondentias esse conscriptum, sequitur quod dissensiones et haereses nevitabiles sint, et quod harum permissiones etiam secundum leges Divinae Providentiae sint: et adhuc plus; cum ipsa ecclesia pro essentialibus suis assumpserat talia quae solius intellectus sunt, ita quae doctrinae, et non quae voluntatis sunt, ita quae vitae; et cum illa quae vitae sunt non essentialia ecclesiae sunt, tunc homo ex intellectu est in meris tenebris, ac errat sicut caecus, qui ubivis impingit, et cadit in foveas. Voluntas enim videbit in intellectu, et non intellectus in voluntate, seu quod idem, vita et ejus amor ducet intellectum ad cogitandum, loquendum et agendum, et non vicissum; si vicissim, posset intellectus ex amore malo, immo diabolico, arripere quicquid per sensus incidit, et injungere voluntati id facere. Ex his videri potest, unde sunt dissensiones et haereses. [**3.**] Sed usque provisum est, ut quisque in quacunque haeresi quoad intellectum sit, usque reformari et salvari possit, modo mala ut peccata fugiat, et non falsa haeretica apud se confirmet; nam per fugere mala ut peccata reformatur voluntas, et per voluntatem intellectus, qui

tunc primum e tenebris in lucem venit. Sunt tria essentialia ecclesiae, agnitio Divini Domini, agnitio sanctitatis Verbi, et vita quae vocatur charitas. Secundum vitam, quae est charitas, est cuivis homini fides, ex Verbo est cognitio qualis vita erit, et a Domino est reformatio et salvatio. Si haec tria ut essentialia ecclesiae fuissent, dissensiones intellectuales non divissent illam, sed solum variassent, sicut lux variat colores in objectis pulchris, et sicut varia diademata faciunt pulchritudinem in corona regis.

260. (vii.) *Quod mere naturalis homo contra Divinam Providentiam se confirmet ex eo, quod Judaismus adhuc perstet;*—quod Judaei post tot saecula non conversi sint, tametsi inter Christianos vivunt, et quod secundum praedictiones in Verbo non confiteantur Dominum et agnoscant Ipsum pro Messia, qui, ut putant, illos in terram Canaanem reducturus esset, et quod constanter perstent in negatione, et usque tamen illis bene est. Sed hi, qui ita cogitant, et ideo in dubium vocant Divinam Providentiam non sciunt quod per "Judaeos" in Verbo intelligantur omnes qui ab ecclesia sunt et Dominum agnoscunt, et quod per "terram Canaanem," in quem dicitur quod introducendi sint, intelligatur ecclesia Domini. [**2.**] Quod autem in negatione Domini perseverent, est quia tales sunt, ut si reciperent et agnoscerent, Divinum Domini, et sancta ecclesiae Ipsius, profanarent illa; quare de illis dicit Dominus,

> "Occaecavit illorum oculos, obturavit illorum cor, ut non videant oculis suis, et intelligant corde suo, et convertant se, et sanem illos" (*Joh.* xii. [1]40; *Matth.* xiii. 14; *Marc.* iv. 12; *Luc.* viii. 10; *Esai.* vi. 9, 10):

dicitur, "ne convertant se, et sanem illos," quia si conversi et sanati fuissent, profanavissent; et secundum legem Divinae Providentiae est, de qua supra (n. 221–233), quod non aliquis interius in vera fidei et bona charitatis a Domino immittatur, nisi quantum in illis potest teneri usque ad finem vitae, et si immitteretur, sancta profanaret, [**3.**] Quod gens illa conservata sit, et per multum orbis circumsparsa, est propter Verbum in lingua sua originali. quod illi prae Christianis sanctum habent, et in singulis Verbi est Divinum Domini, est enim Divinum Verum uni-

tum Divino Bono, quod a Domino procedit, et per id est Verbum conjunctio Domini cum ecclesia, et praesentia caeli, ut in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 62–69), ostensum est; ac praesentia Domini et caeli est ubicunque Verbum sancte legitur. Hic est finis Divinae Providentiae propter quem conservati sunt, et per multum orbis circumsparsi. Qualis sors illorum post mortem est, videatur in *Continuatione de Ultimo Judicio et Mundo Spirituali* (n. 79–82).

261. Haec nunc sunt quae supra (n. 238) allata sunt, per quae naturalis homo se confirmat, aut confirmare potest contra Divinam Providentiam. Sequuntur adhuc aliqua, quae supra (n. 239) memorata sunt, quae etiam naturali homini possunt pro argumentis inservire contra Divinam Providentiam, et quoque in aliorum animos incidere, et aliqua dubia excitare, quae sunt:—

262. (i.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod totus Christianus orbis colat Deum unum sub tribus Personis, quod est, tres Deos: et quod huc usque nesciverit, quod Deus sit unus persona et essentia, in quo Trinitas, et quod ille Deus sit Dominus.*—Ratiocinator De Divina Providentia dicere potest, Annon tres Personae tres Dii sunt, dum unaquaevis Persona per se est Deus? Quis potest aliter cogitare? Immo quis aliter cogitat? Ipse Athanasius non potuit aliter; quare in fide Symbolica, quae ab Ipso nominatur, dicit,

> "Tametsi ex Christiana veritate agnoscere debemus unamquamque Personam esse Deum et Dominum; usque non licet ex Christiana fide dicere seu nominare tres Deos aut tres Dominos."

Per hoc non aliud intelligitur, quam quod debeamus agnoscere tres Deos et Dominos, sed quod non liceat dicere seu nominare tres Deos et tres Dominos. [**2.**] Quis usquam potest percipere unum Deum, nisi etiam unus sit persona? Si dicitur, quod percipere possit, si cogitat, quod una essentia sit Tribus, quis ex hoc aliud percipit et potest percipere, quam quod sic unanimes sint, et quod consentiant, et usque quod tres Dii sint? Et si altius cogitat, secum dicit, Quomodo potest Divina essentia, quae infinita est, dividi? et quomodo potest illa ab aeterno gignere alium, et adhuc producere alium qui ab utroque procedat? Si dicitur, quod id credendum sit, et de eo non cogitan-

dum, sed quis non cogitat de eo quod dicitur credendum esse; unde alioqui agnitio quae est fides in sua essentia? Annon ex cogitatione de Deo ut de tribus Personis ortus est Socinianismus et Arianismus, qui in corde plurium regnant, quam credis? Fides unius Dei, et quod unus ille Deus sit Dominus, facit ecclesiam, in Ipso enim est Divina Trinitas; quod ita sit, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, a principio ad finem. [**3.**] Sed quid cogitatur hodie de Domino? Cogitaturne quod sit Deus et Homo, Deus ex Jehovah Patre, a quo conceptus est, et Homo ex Maria Virgine, ex qua natus est? Quis cogitat, quod Deus et Homo in Ipso, seu Divinum et Humanum Ipsius, sint una Persona, et quod sint unum sicut anima et corpus unum sunt? An quisquam hoc novit? Interroga Doctores ecclesiae, ac dicent quod non sciverint; cum tamen est ex doctrina ecclesiae in universo Christiano orbe recepta, quae talis:

"Dominus noster Jesus Christus Filius Dei, est Deus et Homo; et quamvis est Deus et Homo, usque non sunt duo, sed est unus Christus; est unus, quia Divinum suscepit ad se Humanum; immo est prorsus unus, est enim una Persona; quoniam sicut anima et corpus facit unum hominem, ita Deus et homo est unus Christus:"

hoc est Fide seu symbolo Athanasii. Quod non sciverint, est quia, cum legerunt illud, non cogitaverunt de Domino ut Deo, sed solum ut de Homine. [**4.**] Si iidem interrogantur num sciant, a quo conceptus est, num a Deo Patre, vel num a suo Divino, et respondebunt quod a Deo Patre, hoc enim est secundum Scripturam. Annon tunc Pater et Ipse unum sunt, sicut anima et corpus unum sunt? Quis potest cogitare, quod a duobus Divinis conceptus sit, et si suo, quod illud foret Pater Ipsius? Si adhuc interrogas, Quae vestra idea est de Divino Domini, et quae de Humano Ipsius? dicent quod Divinum Ipsius sit ab Essentia Patris, ac Humanum ab Essentia matris, et quod Divinum Ipsius sit apud Patrem: et si tunc interrogas, Ubinam Ipsius Humanum? et nihil respondebunt? separant enim in idea sua Divinum et Humanum Ipsius, ac Divinum faciunt aequale Divino Patris, et Humanum simile humano alterius hominis; et non sciunt, quod sic etiam separent animam et corpus: nec vident contradictionem, quod sic natus fuisset rationalis homo ex sola

matre. [**5.**] Ex idea impressa de Humano Domini, quod simile fuerit humano alterius hominis, factum est, quod Christianus aegre possit adduci ad cogitandum *Divinum Humanum*, etiamsi diceretur quod anima seu vita Ipsius a conceptione fuerit et sit Ipse Jehovah. Collige nunc rationes, et expende, num alius Deus universi sit quam Solus Dominus, in quo Ipsum Divinum a quo est quod vocatur Pater, Divinum Humanum quod vocatur Filius, et Divinum procedens quod vocatur Spiritus Sanctus, et sic quod Deus unus sit Persona et Essentia, et quod ille Deus sit Dominus. [**6.**] Si instas dicendo, quod Ipse Dominus nominaverit Tres apud *Matthaeum*,

> "Euntes et discipulos facite omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii et Spiritus Sancti" (xxviii. 19);

sed quod hoc dixerit, ut sciretur quod in Ipso nunc glorificato Divina Trinitas esset, patet a versu proxime antecedente et proxime sequente ibi; in versu proxime antecedente dicit, quod Ipsi data sit omnis potestas in caelo et in terra: et in versu proxime sequente dicit, quod Ipse cum illis esset usque ad comsummationem saeculi, ita de Se Solo, et non de Tribus. [**7.**] Nunc ad Divinam Providentiam, cur permiserit, quod Christiani colerent Deum unum sub tribus Personis, quod est, tres Deos, et huc usque nesciverint, quod Deus unus sit Persona et Essentia in quo Trinitas, et quod ille Deus sit Dominus; non in causa est Dominus sed ipse homo; Dominus docuit id manifeste in suo Verbo, ut constare potest ex omnibus illis locis, quae in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, adducta sunt; et quoque docuit in doctrina omnium ecclesiarum, in qua est, quod Divinum et Humanum Ipsius non sint duo, sed una Persona unita sicut anima et corpus: [**8.**] at quod Divinum et Humanum diviserint et Divinum fecerint aequale Divino Jehovae Patris, et Humanum aequale humano alterius hominis, erat prima causa, quia ecclesia post ortum ejus descivit in Babyloniam, quae in se potestatem Divinam Domini transtulit; verum ne diceretur Divina potestas sed humana, fecerunt Humanum Domini simile humano alterius hominis: et postea, quando ecclesia reformata est, ac sola fides recepta pro unico medio salvationis, quae est ut Deus Pater misereatur propter Filium, nec potuit Humanum Domini aliter spectari;

quod non potuerit, est causa, quia nemo potest adire Dominum, et corde agnoscere Ipsum pro Deo caeli et terrae, nisi qui vivit secundum praecepta Ipsius. In mundo spirituali, ubi quisque tenetur loqui sicut cogitat, ne quidem potest aliquis nominare Jesum, nisi qui vixit in mundo sicut Christianus; et hoc ex Divina Ipsius Providentia, ne Nomen Ipsius profanaretur.

263. Sed ut haec, quae nunc dicta sunt, clarius pateant, adjiciam illa quae in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino*, ad finem ibi (n. 60, 61), allata sunt, quae haec sunt:

"Quod Deus et Homo in Domino secundum Doctrinam non sint duo, sed una Persona, et prorsus una, sicut anima et corpus unum sunt, patet clare a multis quae Ipse dixerat, ut, Quod Pater et Ipse unum sint: Quod omnia Patris sua sint, et omnia sua Patris: Quod Ipse in Patre, et Pater in Ipso sit: Quod omnia data sint in manum Ipsius: Quod Ipsi omnis potestas sit: Quod Deus caeli et terrae sit: Quod qui credit in Ipsum, vitam aeternam habeat; et quod qui non credit in Ipsum ira Dei maneat super illo: et porro, quod et Divinum et Humanum sublatum sit in caelum, et quod quoad utrumque sedeat ad dextram Dei, hoc est, quod omnipotens sit: et plura quae supra ex Verbo de Divino Humano Ipsius in multa copai allata sunt; quae omnia testantur, quod Deus sit unus tam Persona quam Essentia in quo Trinitas, et quod ille Deus sit Dominus.

[**2.**] Quod haec de Domino nunc primum evulgata sunt, est quia praedictum est in *Apocalypsi* (xxi. et xxii.), quod nova ecclesia in fine prioris instituenda sit, in qua hoc primarium erit. Haec ecclesia est quae per Novam Hierosolymam ibi intelligitur, in quam nemo intrare potest, nisi qui solum Dominum pro Deo caeli et terrae agnoscit; quare illa ecclesia ibi vocatur *Uxor Agni*. Et hoc possum annuntiare, quod universum caelum Dominum solum agnoscat, et quod qui non agnoscit non in caelum admittatur; caelum enim est caelum a Domino. Ipsa illa agnitio ex amore et fide, facit ut sint in Domino et Dominus in illis, ut Ipse docet apud *Johannem*,

> 'In die illo cognoscetis, quod Ego in Patre meo, et vos in Me et Ego in vobis' (xiv. 20);

tum apud eundem,

> 'Manete in Me, etiam Ego in vobis: .... Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in Me et Ego in illo, hic fert fructum multum; nam sine Me non potestis facere quicquam: nisi quis manserit in Me, ejectus est foras' (xv. 4–6; tum xvii. 22, 23).

[**3.**] Quod hoc non prius e Verbo visum sit, est quia si prius visum fuisset, usque non receptum fuisset: nondum enim ultimum judicium fuit peractum; et ante illud potentia inferni valuit supra potentiam caeli; et homo est in medio inter caelum et infernum; quare si prius visum fuisset, diabolus, hoc est, infernum, eripuisset illud e cordibus illorum, et insuper profanavisset illud. Hic status potentiae inferni prorsus fractus est per ultimum judicium, quod nunc peractum est: post illud, ita **nunc, omnis homo, qui vult illustrari et sapere, is potest.**"

264. (ii.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod in singulis Verbi sensus spiritualis sit, et quod sanctitas ejus inde sit.*—Potest enim contra Divinam Providentiam inferri dubium, dicendo, Cur hoc nunc primum revelatum est? tum cur per hunc aut per illum, et non per aliquem primatem ecclesiae? Sed sive primas sit, sive servus primatis, in beneplacito Domini est; scit qualis unus et qualis alter. Sed causa, quod ille sensus Verbi non prius revelatus sit, est,—(1.) quia si prius, ecclesia profanavisset illum, et per id ipsam sanctitatem Verbi. (2.) Quod nec prius genuina vera a Domino revelata sint, in quibus spiritualis sensus Verbi est, quam postquam ultimum judicium peractum est, et nova ecclesia, quae per Sanctam Hierosolymam intelligitur, a Domino instauranda est. Sed haec singillatim lustrentur; [**2.**] Primum: *Quod sensus spiritualis Verbi non prius revelatus sit, quia si prius, ecclesia profanavisset illum, et per id ipsam sanctitatem Verbi.*—Ecclesia non diu post instaurationem ejus versa est in Babyloniam, et postea in Philistaeam: et Babylonia quidem agnoscit Verbum, sed usque contemnit illud, dicendo quod Spiritus Sanctus aeque inspiret illos in supremo judicio illorum, sicut inspiravit prophetas. Quod agnoscant Verbum, est propter vicariatum stabilitum ex verbis Domini ad Petrum; at usque contemnunt illud, quia non concordat: ideo etiam ereptum est populo, et reconditur in monasteriis, ubi pauci id legunt. Quare si sensus spiritualis Verbi detectus fuisset, in quo est Dominus, et simul omnis sapientia angelica, profanaretur Verbum, non solum ut fit, in ultimis ejus, quae sunt quae in sensu litterae continentur, sed etiam in intimis ejus. [**3.**] Philistaea, per quam intelligitur fides separata a charitate, etiam sensum spiritualem Verbi profanavisset, quia salvationem ponit in aliquibus vocibus quas cogitent et loquantur, et non in bonis quae faciant, ut prius ostensum est; et sic salvificum facit quod non salvificum est, et insuper removet intellectum e credendis. Quid illis cum luce, in qua est sensus spiritualis Verbi? Numne verteretur in tenebras? cum sensus naturalis vertitur in illas, quid non sensus spiritualis? Quis eorum, qui se in fide separata a charitate, et in justificatione per illam solam,

confirmavit, vult scire quid bonum vitae, quid amor in Dominum et erga proximum, quid charitas et quid bona charitatis, et quid bona opera, et quid facere, immo quid fides in sua essentia, et aliquod genuinum verum quod facit illam? Scribunt volumina, et solum id quod vocant fidem, confirmant; et omnia illa, quae nunc nominata sunt, dicunt fidei isti inesse. Ex quibus patet, quod si sensus spiritualis Verbi prius detectus fuisset, fieret secundum verba Domini apud *Matthaeum*,

> "Si oculus tuus malus fuerit, totum corpus obtenebratum erit: si ergo lumen quod in te est, tenebrae fit, tenebrae quantae" (vi. 23):

per "oculum" in verbi sensu spirituali intelligitur intellectus. [**4.**] Alterum: *Quod nec prius genuina vera a Domino revelata sint, in quibus sensus spiritualis Verbi est, quam postquam ultimum judicium peractum est, et nova ecclesia, quae per sanctam Hierosolymam intelligitur, a Domino instauranda erat.*—Praedictum est a Domino in *Apocalypsi*, quod postquam ultimum judicium peractum est, genuina vera detegenda, nova ecclesia instauranda, et sensus spiritualis detegendus, essent. Quod ultimum judicium peractum sit, in opusculo *De Ultimo Judicio*, et dein in *Continuatione* ejus, ostensum est; et quod id intelligatur per "caelum et terram" quae transitura, in *Apocalypsi* (xxi. 1). Quod genuina vera tunc detegenda sint, praedicitur per haec verba in *Apocalypsi:*

> "Dixit Sedens super throno, ecce nova omnia facio" (vers. 5; tum xix. 17, 18; xxi. 18–21; xxii. 1, 2).

Quod tunc sensus spiritualis Verbi revelandus sit (xix. 11–16): hoc intelligitur per "Equum album," super quo Sedens vocabatur Verbum Dei, et qui erat Dominus dominorum et Rex regum (de qua re videatur opusculum de *Equo Albo*). Quod per "sanctam Hierosolymam" intelligatur Nova Ecclesia, quae tunc a Domino instauranda est, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Domino* (n. 62–65), ubi id ostensum est. [**5.**] Ex his nunc patet, quod sensus spiritualis Verbi revelandus esset pro nova ecclesia quae solum Dominum agnoscet et colet, et Verbum Ipsius sanctum habebit, et Divina vera amabit, et fidem separatam a charitate rejiciet. Sed plura de hoc Verbi sensu videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de*

Scriptura Sacra (n. 5–26, et seq.); et ibi, ut quid sensus spiritualis (n. 5–26). Quod sensus spiritualis sit in omnibus et singulis Verbi (n. 9–17). Quod ex sensu spirituali sit quod Verbum sit Divinitus inspiratum, et in omni voce sanctum (n. 18, 19). Quod sensus spiritualis hactenus ignotus fuerit, et cur non prius revelatus (n. 20–25). Quod sensus spiritualis non alicui posthac detur, nisi qui in genuinis veris a Domino est (n. 26). [**6.**] Ex his nunc constare potest, quod ex Divina Domini Providentia sit, quod sensus spiritualis usque ad hoc saeculum coram mundo latuerit, ac interea in caelo apud angelos, qui inde sapientiam suam hauriunt, reservatus fuerit. Ille sensus apud antiquos, qui ante Mosen vixerunt, notus fuit, et quoque excultus; sed quia posteri eorum, correspondentias, ex quibus solis Verbum eorum et inde religio constabat, verterunt in varias idololatrias, ac Aegyptii in magias, ille ex Divina Domini Providentia occlusus est; primum apud filios Israelis, et postea apud Christianos, propter causas, de quibus supra, et nunc primum pro Nova Domini Ecclesia apertus.

265. (iii.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod fugere mala sicut peccata sit ipsa religio Christiana.*—Quod hoc sit ipsa religio Christiana, in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma*, a principio ad finem, ostensum est: et quia fides separata a charitate solum obstat, quin recipiatur, etiam de illa actum est. Dicitur quod nesciverint quod fugere mala sicut peccata sit ipsa religio Christiana; est quia paene omnes nesciunt, et tamen unusquisque scit (videatur supra, n. 258). Quod usque paene omnes nesciant, est quia fides separata illud oblitteravit; haec enim dictat, quod sola fides salvet, et non aliquod bonum opus seu bonum charitatis, tum quod non amplius sub jugo legis sint, sed in libertate. Illi qui talia aliquoties audiverunt, non cogitant amplius de aliquo malo vitae, nec de aliquo bono vitae; quisque homo etiam ex natura sua ad id amplectendum inclinat, et cum semel amplexus est, non magis cogitat de vitae suae statu: haec causa est, quod nesciatur. [**2.**] Quod nesciatur, hoc mihi in mundo spirituali detectum est. Quaesivi plures quam mille advenas e mundo, num sciant quod fugere mala

sicut peccata sit ipsa religio; dixerunt quod non sciant, et quod hoc sit novum quoddam hactenus non auditum, sed quod auditum sit, quod bonum non possint facere a se, et quod non sint sub jugo legis. Quum dixi, Annon sciant, quod homo se exploraturus sit, peccata sua visurus, paenitentiam acturus, et dein vitam novam inchoaturus, et quod alioqui peccata non remittantur, et si peccata non remittuntur, non salventur, et quod hoc alta voce praelectum sit illis, quoties Sanctam Cenam obiverunt? responderunt quod ad illa non attenderint, sed solum ad id, quod illis remissio peccatorum sit per Sacramentum Cenae, et quod fides, illis nescientibus, operetur reliqua. [**3.**] Iterum dixi, Cur docuistis infantes vestros decalogum? Numne ut scirent quae mala sunt peccata, quae fugienda? num solum ut illa scirent et crederent, et non facerent? Cur ergo dicitur quod id novum sit? Ad hoc non aliud respondere potuerunt, quam quod sciant et usque non sciant; et quod nusquam cogitent de sexto praecepto cum adulterantur, de septimo praecepto cum clandestine furantur seu defraudant, et sic porro; minus quod talia sint contra Divinam Legem, ita contra Deum. [**4.**] Cum memoravi plura ex doctrinis ecclesiarum et ex Verbo confirmantia, quod fugere et aversari mala ut peccata sit ipsa religio Christiana, et quod cuivis fides sit sicut fugit et aversatur, conticuerunt: sed confirmati sunt, quod verum sit, cum viderent quod omnes explorarentur quoad vitam, et judicarentur secundum facta, et nemo secundum fidem separatam a vita, quoniam cuivis est fides secundum illam. [**5.**] Quod Christianus orbis quoad maximam partem illud nesciverit, est ex lege Divinae Providentiae, quod cuique relinquatur ex libero secundum rationem agere (de qua, supra n. 71–99, et n. 100–128): tum ex lege, quod non aliquis immediate e caelo doceatur, sed mediate per Verbum, doctrinam et praedicationes ex illo (de quo n. 154–174): et quoque ex cunctis legibus permissionis, quae etiam sunt leges Divinae Providentiae. Plura de his videatur supra (n. 258).

[1]**274.** (iv.) *Quod contra Divinam Providentiam dubium possit inferri ex eo, quod huc usque nesciverint, quod homo vivat homo post mortem; et hoc non prius detectum sit.*— Causa quod hoc nesciverint, est quia interius apud illos qui non fugiunt mala ut peccata, latet fides, quod homo

post mortem non vivat, et ideo non alicujus momenti faciunt, sive dicatur quod post mortem vivat homo, sive dicatur quod resurrecturus sit die ultimi judicii: et si forte incidit fides resurrectionis, dicit secum, "Non mihi fit pejus quam aliis; si ad infernum, sum in comitatu cum pluribus; si ad caelum, etiam." Sed usque omnibus, in quibus aliqua religio est, insita est cognitio, quod vivant homines post mortem: quod vivant animae, et non homines, est solum apud illos, quos propria intelligentia infatuavit, non apud alios. Quod cuivis, in quo aliqua religio est, insita sit cognitio quod vivat homo post mortem, constare potest ex his:—(1.) [**1.**] Quis cogitat aliter cum moritur? (2.) [**2.**] Quis panegyricus qui super mortuos lamentatur, non illos in caelum evehit, ponit inter angelos, loquentes cum illis, ac fruentes gaudio? Praeter apotheoses aliquorum. (3.) [**3.**] Quis e vulgo non credit, quod cum moritur, si bene vixit, se in paradisum caelestem venturum esse, indutum veste alba, et fruiturum vita aeterna? (4.) [**4.**] Quis antistes est, qui non talia aut similia dicit morituro? Et cum id dicit, etiam ipse credit, modo non simul cogitet de ultimo judicio. (5.) [**5.**] Quis non credit infantes suos esse in caelo, ac se visurum esse suam conjugem, quam amaverat, post mortem? Quis cogitat quod larvae sint, minus quod sint animae seu mentes volitantes in universo? [**6.**] (6.) Quis contradicit, cum aliquid dicitur de sorte et statu illorum qui e tempore in vitam aeternam transiverunt? Dixi multis quod talis status et sors sit illis et illis, et non adhuc aliquem audivi dicentem, quod sors illorum adhuc nulla sit, sed futura tempore judicii. (7.) [**7.**] Quis cum videt angelos pictos et sculptos, non agnoscit illos tales esse? Quis cogitat tunc quod sint spiritus absque corpore, aeres aut nubes, sicut quidam docti? (8.) [**8.**] Pontificii credunt sanctos suos esse homines in caelo, ac reliquos alibi; Mahumedani suos defunctos; Africani prae reliquis, similiter plures gentes; quid non Christiani reformati qui ex Verbo id sciunt? (9.) [**9.**] Ex cognitione illa insita cuivis, est quoque quod quidam aspirent ad immortalitatem famae; cognitio enim illa vertitur in tale apud quosdam, ac facit illos heroes et fortes in bello. (10.) [**10.**] Inquisitum est in mundo spirituali, num omnibus illa cognitio

insita sit ; et compertum est, quod omnibus in idea illorum spirituali quae est internae cogitationis, non ita in idea illorum naturali quae est externae cogitationis. Ex his constare potest, quod contra Divinam Domini Providentiam non aliquod dubium debeat inferri ex eo, quod putet nunc primum detectum esse quod homo vivat homo post mortem. Est solum sensuale hominis, quod vult videre et tangere quod credet ; qui non cogitat supra illud, est in tenebris noctis de statu vitae suae.

QUOD PERMITTANTUR MALA PROPTER FINEM, QUI EST SALVATIO.

275. Si homo in amorem, in quem creatus est, nasceretur, non foret in aliquo malo, immo nec sciret quid malum ; nam qui non fuit in malo, et inde non est in malo, non scire potest quid malum ; si diceretur ei quod hoc et illud sit malum, non crederet quod dabile sit. Hic status est status innocentiae, in quo fuerunt Adamus et Chaiva uxor ejus ; nuditas, quam non erubuerunt, significabat illum statum. Cognitio mali post lapsum intelligitur per esum ex arbore scientiae boni et mali. Amor, in quem homo creatus est, est amor proximi, ut ei velit ita bene sicut vult sibi, et magis, et quod in jucundo amoris illius sit, dum ei benefacit, vix aliter quam est parens erga infantes. Hic amor est vere humanus ; nam in illo est spirituale, per quod distinguitur ab amore naturali, qui est animalibus brutis. Si homo in illum amorem nasceretur, non nasceretur in caliginem ignorantiae, sicut nunc omnis homo, sed in quandam lucem scientiae et inde intelligentiae, in quas etiam brevi veniret : et quidem primum reperet sicut quadrupes, sed cum insito conatu erigendi se super pedes ; nam quantumvis quadrupes, usque non deorsum ad terram demitteret faciem, sed antrorsum ad caelum, ac erigeret se, ut quoque posset sursum.

276. Sed cum amor proximi versus est in amorem sui, et hic amor increvit, tunc amor humanus versus est in amorem animalem ; et homo ab homine factus est bestia,

cum discrimine quod posset cogitare id quod corpore sentit, et rationaliter discernere unum ab altero, et quod posset instrui, ac fieri civilis et moralis homo, et tandem spiritualis. Nam, ut dictum est, est homini spirituale, per quod distinguitur a bruto animali; per illud enim scire potest, quid malum et bonum civile, tum quid malum et bonum morale, et quoque, si vult, quid malum et bonum spirituale. Quando amor proximi versus est in amorem sui, homo non amplius potuit in lucem scientiae et intelligentiae nasci, sed in caliginem ignorantiae, quia in plane ultimum vitae, quod vocatur sensuale corporeum, et ab illo in interiora mentis naturalis per instructiones introduci, semper comitante spirituali. Causa quod nascatur in ultimum vitae, quod vocatur sensuale corporeum, et ideo in caliginem ignorantiae, videbitur in sequentibus. [**2.**] Quod amor proximi et amor sui sint amores oppositi, quisque potest videre; amor enim proximi vult omnibus bene a se, amor autem sui vult sibi soli bene ab omnibus; amor proximi vult servire omnibus, et amor sui vult ut omnes sibi serviant; amor proximi spectat omnes ut suos fratres et amicos, amor sui autem spectat omnes ut suos famulos, et si non famulantur, ut suos inimicos; verbo spectat se solum, et alios vix ut homines, quos corde minus aestimat quam suos equos et canes; et quia illos tam viles spectat, etiam nihili facit illis malefacere, inde odia et vindictae, adulteria et scortationes, furta et defraudationes, mendacia et blasphemationes, saevitiae et crudelitates, et similia alia. Haec sunt mala, in quibus homo a nativitate est. Quod illa permittantur propter finem, qui est salvatio, in hoc ordine demonstrandum est:—

(i.) *Quod omnis homo in malo sit, et quod abducendus a malo ut reformetur.*
(ii.) *Quod mala non possint removeri nisi appareant.*
(iii.) *Quod quantum mala removentur, tantum remittantur.*
(iv.) *Quod sic permissio mali sit propter finem ut salvatio.*

277[*a*]. (i.) *Quod omnis homo in malo sit, et quod abducendus a malo ut reformetur.*—Quod cuivis homini sit malum hereditarium et quod homo ex illo in concupiscentia plurium malorum sit, notum est in ecclesia; et inde est, quod homo a se non possit bonum facere, malum enim non facit bonum, nisi tale in quo intus malum

est ; malum quod intus est, est quod faciat bonum propter se, et sic ut solum appareat. Quod malum illud hereditarium sit a parentibus, notum est. Dicitur quod sit ab Adamo et ejus uxore, sed hoc est error ; quisque enim nascitur in illud a suo parente, et hic in illud a suo, et hic quoque a suo ; et sic successive transfertur ab uno in alterum, ita augetur et crescit sicut in cumulum, et infertur proli. Inde est, quod apud hominem nihil integrum sit, sed quod totus quantus sit malum. Quis sentit, quod amare se prae aliis sit malum ? Quis inde scit quod sit malum ? cum tamen est caput malorum. [**2.**] Quod hereditarium sit a parentibus, avis et atavis, patet a multis in mundo notis, ut a distinctione domuum, familiarum, immo gentium a solis faciebus, ac facies sunt typi animorum, et animi sunt secundum affectiones quae amoris. Quandoque etiam redit facies atavi in nepote et pronepote. Cognosco ex solis faciebus num Judaeus sit vel non ; tum etiam aliquos ex qua prosapia : quin etiam alii similiter cognoscant, non dubito. Si affectiones quae amoris sunt, a parentibus ita derivantur et traducuntur, sequitur quod etiam mala, quia haec sunt affectionum. Sed unde similitudo illa, nunc dicetur. [**3.**] Anima cujusvis est a patre, ac solum induitur corpore a matre. Quod anima sit a patre, sequitur non solum ex illis quae nunc supra memorata sunt, sed etiam a pluribus aliis indiciis ; etiam ab hoc, quod infans nascatur niger ex nigro seu Mauro per feminam albam seu Europeam, ac vicissim ; imprimis quod semini insit anima, nam ex illo fit impraegnatio, ac id est quod induitur corpore a matre. Semen est prima forma amoris in quo est pater ; est forma amoris regnantis ejus cum proximis derivationibus, quae sunt intimae amoris istius affectiones. [**4.**] Hae apud unumquemvis circumvelantur honestis quae sunt vitae moralis, ac bonis quae partim sunt vitae civilis, partim vitae spiritualis ; haec faciunt externum vitae, etiam apud malos. In hoc externum vitae nascitur omnis infans ; inde est quod amabilis sit ; sed sicut puerescit seu adolescit, ab externo illo ad interiora venit, et tandem ad amorem regnantem patris sui ; qui si malus fuerit, et non temperatus et inflexus fuerit per media ab educatoribus, fit amor ejus sicut fuit patris ejus. At usque non exstirpatur malum, sed modo removetur, de quo in

sequentibus. Ex his constare potest, quod omnis homo in malo sit.

277[*b*]. Quod homo abducendus sit a malo ut reformetur, absque explicatione patet: nam qui in malo est in mundo, ille in malo est post exitum e mundo; quare si malum non removetur in mundo, non removeri potest postea. Arbor ubi cadit, ibi jacet. Ita quoque vita hominis qualis fuit cum moritur talis manet: etiam quisque secundum facta sua judicatur; non quod enumerentur, sed quia in illa redit, et similiter agit: mors enim est continuatio vitae, cum discrimine, quod homo tunc non reformari possit. Omnis reformatio fit in pleno, hoc est, in primis et simul ultimis, et ultima in mundo convenienter primis reformantur, et non possunt postea; quia ultima vitae, quae homo post mortem secum fert, quiescunt, et cum interioribus ejus conspirant; hoc est, unum agunt.

278[*a*]. (ii.) *Quod mala non possint removeri, nisi appareant.*—Non intelligitur, quod homo facturus sit mala propter finem ut appareant; sed quod se exploraturus sit, non solum sua facta, sed etiam sua cogitata, et quid facturus esset, si non timeret leges et diffamiam; imprimis quaenam mala in suo spiritu licita facit, et pro peccatis non reputat; nam haec usque facit. Propterea ut homo exploret se, datus ei est intellectus, et ille separatus a voluntate, ob finem ut sciat, intelligat et agnoscat quid bonum et quid malum, tum etiam ut videat qualis sua voluntas est, seu quid amat et quid cupit. Ut homo hoc videat, data est intellectui ejus cogitatio superior et inferior, seu interior et exterior, ut ex cogitatione superiore seu interiore videat, quid voluntas agit in cogitatione inferiore et exteriore; hoc videt sicut homo faciem in speculo, et cum hoc videt, et novit quid peccatum est, potest, si implorat opem Domini, id non velle, id fugere, et postea contra id agere, si non libere, usque cogere id per pugnam, et demum id aversari et abominari; et tunc primum percipit et quoque sentit, quod malum sit malum, ac quod bonum sit bonum, et non prius. Hoc nunc est explorare se, videre sua mala, et agnoscere illa, confiteri illa, et postea desistere ab illis. Sed quia pauci sunt, qui sciunt, quod hoc sit ipsa religio Christiana, quia illis solis est charitas et fides, et illi

soli ducuntur a Domino, et faciunt bonum ab Ipso, dicetur aliquid de illis, qui id non faciunt, et usque putant apud se religionem esse. Illi sunt hi: (1.) Qui confitentur se reos omnium peccatorum esse, et non inquirunt, aliquod apud se. (2.) Qui ex religione omittunt inquirere. (3.) Qui propter mundana nihil cogitant de peccatis, et inde illa non sciunt. (4.) Qui favent illis, et ideo non possunt scire illa. (5.) Quod peccata apud omnes illos non appareant, et quod ideo non removeri possint. (6.) Ultimo, causa hactenus ignota manifestabitur, cur mala non removeri possint, absque illorum exploratione, apparentia, agnitione, confessione, ac resistentia.

278[*secundo*]. Sed haec momenta singillatim lustranda sunt, quia sunt primaria Religionis Christianae a parte hominis. Primum: *De illis, qui confitentur se reos omnium peccatorum esse, et non inquirunt aliquod in se*, dicentes, "Sum peccator; natus sum in peccatis; nihil in me integrum est a capite ad calcem; non sum nisi quam malum; bone Deus, sis mihi propitius, ignosce mihi, purifica me, salva me, fac ut ambulem in puritate, et in via justi;" et plura similia; et usque non explorat se, et inde non scit aliquod malum, et nemo id quod non scit potest fugere, minus contra id pugnare. Et ille quoque credit se post confessiones mundum et lotum, cum tamen est immundus ac illotus a capite ad volam pedis; confessio enim omnium est sopitio omnium, et tandem occaecatio; et est sicut universale absque omni singulari, quod non est aliquid. [**2.**] Secundum: *De illis qui ex religione omittunt inquirere.* Sunt illi imprimis qui separant charitatem a fide; dicunt enim secum, "Cur inquiram num sit malum vel bonum, cur malum, cum id me non damnat? cur bonum, cum id me non salvat? Est sola fides cogitata et enuntiata cum fiducia et confidentia, quae justificat et purificat ab omni peccato; et cum semel justificatus sum, coram Deo integer sum. Sum quidem in malo, sed hoc Deus, illico cum fit, abstergit, et sic non apparet amplius;" praeter similia alia. Sed quis non videt, si aperit oculum, quod talia sint voces inanes, quibus nihil rei, quia nihil boni, inest? Quis non potest ita cogitare et loqui, etiam cum fiducia et confidentia, cum simul cogitat de inferno et de aeterna damnatione? Num talis vult scire

aliquid praeterea, sive sit verum sive bonum? De vero dicit, quid verum nisi quod fidem illam confirmat; de bono dicit, "Quid bonum, nisi id quod ex fide illa in me est? Sed ut in me sit, non faciam illud sicut ex me, quoniam id est meritorium; et bonum meritorium non est bonum." Ita omittit omnia usque dum non scit quid malum; quid tunc apud se explorabit et videbit? Annon tunc status ejus fit, quod ignis concupiscentiarium mali inclusus interiora mentis ejus consumat, ac devastet illa usque ad portam? Hanc solam custodit ne incendium appareat; sed aperitur post obitum, et tunc coram omnibus apparet. [**3.**] Tertium: *De illis qui propter mundana non cogitant de peccatis, et inde illa non sciunt.* Sunt qui mundum super omnia amant, et non admittunt aliquod verum quod ab aliquo falso religionis eorum abducat; dicentes secum, "Quid mihi hoc? Non meae cogitationis est." Ita rejiciunt id illico cum audiunt, et si audiunt, id suffocant. Iidem paene similiter faciunt cum audiunt praedicationes; ex illis non plus retinent quam aliquas voces, et non aliquam rem. Quia ita cum veris faciunt, ideo non sciunt quid bonum, unum enim agunt, et ex bono quod non est ex vero, non cognoscitur malum, nisi ut quoque dicatur bonum, quod fit per ratiocinia ex falsis. Hi sunt qui intelliguntur per semina quae ceciderunt inter spinas, de quibus ita Dominus:

> "Alia..semina ceciderunt inter spinas; et ascenderunt spinae, et suffocarunt illa. .... Hi sunt qui Verbum audiunt, sed cura saeculi hujus et fraus divitiarum suffocat Verbum, ut infrugiferum fiat" (*Matth.* xiii. 7, 22; *Marc.* iv. 7, [1]19; *Luc.* viii. 7, 14).

[**4.**] Quartum: *De illis, qui favent peccatis, et ideo non possunt scire illa.* Hi sunt qui agnoscunt Deum, et Ipsum secundum ritus solennes colunt, et apud se confirmant, quod aliquod malum, quod est peccatum, non sit peccatum; infucant enim id per fallacias et apparentias, et sic enormitatem ejus abscondunt; quod cum fecerunt, favent ei, ac id sibi amicum et familiare reddunt. Dicitur quod illi hoc faciant, qui Deum agnoscunt, quia alii non aliquod malum pro peccato reputant, omne enim peccatum est contra Deum. Sed exempla illustrent. Malum non peccatum facit lucri cupidus, qui aliquas defraudationis species, ex rationibus, quas excogitat, licitas reddit: similiter

facit, qui vindictam contra inimicos apud se confirmat ; et qui depraedationes illorum qui non hostes sunt in bellis. [**5.**] Quintum : *Quod peccata apud illos non appareant, et quod ideo non removeri possint.* Omne malum quod non apparet, fomentat se ; est sicut ignis in ligno sub cinere ; et est sicut sanies in vulnere quod non aperitur ; nam omne malum obstructum increscit, et non desinit priusquam totum consummatum est ; quare ne aliquod malum obstruatur, permittitur cuique cogitare pro Deo et contra Deum, proque sanctis ecclesiae et contra illa, et in mundo propterea non plecti. De hoc ita Dominus apud *Esaiam :*

> "A vola pedis usque ad caput non....est integritas, vulnus et cicatrix, et plaga recens, non expressa sunt, non obligata, et non emollita oleo. .... Lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis ; cessate malum facere : discite bonum facere ;....tunc si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent ; si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt. ....Si renueritis et rebellaveritis, gladio comedemini" (i. 6, 16, [17,] 18, 20) ;

'gladio comedi" significat falso mali perire. [**6.**] Sextum : *Causa hactenus occulta, cur mala non removeri possint absque illorum exploratione, apparentia, agnitione, confessione, et resistentia.* In praecedentibus memoratum est, quod universum caelum ordinatum sit in societates secundum [affectiones boni, et universum infernum secundum] concupiscentias mali affectionibus boni oppositas. Unusquisque homo quoad spiritum suum est in aliqua societate, in societate caelesti si in affectione boni, at in societate infernali si in concupiscentia mali. Hoc nescit homo cum in mundo vivit, sed usque quoad spiritum suum in aliqua est ; absque eo non potest vivere, et per id regitur a Domino. Si in societate infernali est, non potest inde educi a Domino nisi secundum leges Divinae Providentiae Ipsius, inter quas etiam est, ut homo videat quod ibi sit, utque velit exire, ac ut ipse id a se conetur. Hoc potes, homo cum in mundo est, non autem post mortem ; tunc enim manet in societate, cui se inseruit in mundo, in aeternum. Haec causa est, quod homo se exploraturus sit, peccata sua visurus et agniturus, ac paenitentiam acturus, et dein perseveraturus usque ad finem vitae. Quod ita sit, per multam experientiam usque ad plenam

fidem potuissem confirmare; sed documenta experientiae adducere non hujus loci est.

279. (iii.) *Quod quantum mala removentur, tantum remittantur.*—Error saeculi est, quod credatur, quod mala ab homine separata sint, immo ejecta, quando sunt remissa: et quod status vitae hominis momento mutari possit, etiam in oppositum, et sic homo a malo fieri bonus, consequenter ab inferno educi et illico in caelum transferri, hoc ex immediata Domini misericordia. Sed illi qui ita credunt et opinantur, nihil quicquam sciunt quid malum et quid bonum, et nihil quicquam de statu vitae hominis; et prorsus non, quod affectiones, quae sunt voluntatis, sint merae mutationes et variationes status substantiarum pure organicarum mentis; et quod cogitationes, quae sunt intellectus, sint merae mutationes et variationes formae illarum; et quod memoria sit status illarum mutationum permanens. Ex his et illis cognitis clare videri potest, quod aliquod malum non possit removeri nisi successive; et quod remissio mali non sit remotio ejus. Sed haec in compendio dicta sunt, quae nisi demonstrentur, quidem agnosci possunt, sed usque non comprehendi; et quod non comprehenditur, est sicut rota quae manu circum agitur: quare supradicta singillatim demonstranda sunt in ordine quo adducta. [**2.**] Primum: *Quod error saeculi sit, quod credatur quod mala separata, immo ejecta sint, quando sunt remissa.* Quod omne malum, in quod homo nascitur, et quod ipse actualiter imbuit, non separetur ab homine, sed removeatur, usque ut non appareat, mihi datum est scire e caelo. Antea in fide fui, in qua plerique in mundo, quod mala quando remittuntur, rejiciantur, et sicut sordes a facie per aquam, abluantur et abstergantur: sed simile non est cum malis seu peccatis; omnia remanent; et cum post paenitentiam remittuntur, e medio ad latera promoventur; et tunc quod in medio est, quia directe sub intuitu, in luce quasi diei apparet, et quod ad latera, in umbra, et quandoque sicut in tenebris noctis: et quia mala non separantur, sed modo removentur, hoc est, ad latera ablegantur, et homo potest transferri e medio circumcirca, fieri etiam potest, quod in mala sua, quae credidit rejecta esse, redire possit: homo enim talis est,

ut possit ab una affectione in alteram venire, et quandoque in oppositam, et sic ab uno medio in alterum; affectio hominis facit medium dum in illa est, est enim tunc in jucundo ejus et in luce ejus. [**3.**] Sunt quidam homines post mortem, qui a Domino in caelum elevantur, quia bene vixerunt, sed usque secum tulerunt fidem, quod mundi et puri sint a peccatis, et quod ideo non in aliquo reatu sint. Hi primum induuntur vestibus albis secundum fidem eorum, vestes albae enim significant statum purificatum a malis; sed postea incipiunt cogitare sicut in mundo, quod ab omni malo sicut abluti sint, et inde gloriari quod non amplius peccatores sint sicut alii; quod aegre potest separari a quadam elatione animi, et a quodam contemptu aliorum prae se; ideo tunc, ut a fide sua imaginaria removeantur, delegantur a caelo, et remittuntur in sua mala, quae in mundo contraxerunt, et simul monstratur illis, quod etiam sint in malis hereditariis, de quibus non prius sciverunt: et postquam sic acti sunt ad agnoscendum, quod mala eorum non sint ab illis separata, sed solum remota, et quod sic ex se impuri sint, immo non nisi quam malum, et quod a Domino detineantur a malis, ac teneantur in bonis, et quod hoc appareat illis sicut a se, denuo in caelum a Domino elevantur. [**4.**] Secundum: *Quod error saeculi sit, quod credatur quod status vitae hominis possit momento immutari, et sic homo a malo fieri bonus, consequenter ab inferno educi, et illico in caelum transferri, et hoc ex immediata Domini misericordia.* In hoc errore sunt illi qui separant charitatem a fide, et in sola fide ponunt salvationem; nam putant quod sola cogitatio et enuntiatio vocum, quae istius fidei sunt, si fiat cum fiducia et confidentia, justificet et salvet; quod etiam a multis ponitur momentaneum, et si non prius, circa ultimam horam vitae hominis. Hi non possunt aliter credere, quam quod status vitae hominis possit momento mutari, et homo ex immediata misericordia salvari. Sed quod misericordia Domini non sit immediata, et quod homo non possit a malo momento fieri bonus, et ex inferno educi et in caelum transferri, nisi per operationes Divinae Providentiae continuas ab infantia usque ad extremum vitae hominis, videbitur in ultimo paragrapho hujus transactionis: hic solum ex eo, quod omnes leges Divinae

Providentiae pro fine habeant reformationem et sic salvationem hominis ; ita inversionem status ejus, qui nativitate est infernalis, in oppositum, qui est caelestis ; quod non fieri potest nisi progressive, sicut homo recedit a malo et ejus jucundo ac intrat in bonum et ejus jucundum. [**5.**] Tertium : *Quod illi qui ita credunt, nihil quicquam sciant quid malum et quid bonum :* non enim sciunt, quod malum sit jucundum concupiscentiae agendi et cogitandi contra Divinum ordinem, et quod bonum sit jucundum affectionis agendi et cogitandi secundum Divinum ordinem ; et quod myriades concupiscentiarum sint, quae unumquodvis malum ingrediuntur et componunt, et quod myriades affectionum sint, quae similiter unumquodvis bonum, et quod myriades illae in tali ordine et nexu sint in interioribus hominis, ut non unum possit mutari, nisi simul omnia. Illi, qui hoc non sciunt, credere seu opinari possunt, quod malum, quod ut unicum coram illis apparet, possit facile removeri, et bonum, quod etiam ut unicum apparet, possit loco ejus inferri. Hi quia non sciunt quid malum et quid bonum, non possunt aliter quam opinari, quod detur momentanea salvatio et immediata misericordia ; sed quod non dabiles sint, videbitur in ultimo paragrapho hujus transactionis. [**6.**] Quartum : *Quod illi qui credunt momentaneam salvationem et immediatam misericordiam, non sciant quod affectiones, quae sunt voluntatis, sint merae mutationes status substantiarum pure organicarum mentis ; et quod cogitationes, quae sunt intellectus, sint merae mutationes et variationes formae illarum ; et quod memoria sit status istarum mutationum et variationum permanens.* Quis non agnoscit, quando dicitur, quod affectiones et cogitationes non dentur nisi in substantiis et earum formis, quae sunt subjecta, et quia dantur in [1]cerebro, quod plenum est substantiis et formis, vocantur formae pure organicae. Nemo, qui rationaliter cogitat, non potest non ridere ad quorundam phantasias, quod affectiones et cogitationes non sint in subjectis substantiatis, sed quod sint halitus modificati a calore et luce, sicut apparentes imagines in aere et aethere ; cum tamen cogitatio non plus dari potest separata a forma substantiali, quam visus a sua quae est oculus, auditus a sua quae auris, et gustus a sua quae est lingua. Specta cerebrum, et videbis substantias innu-

merabiles, et similiter fibras, et quod nihil non ibi organizatum sit; quid opus est alia confirmatione, quam oculari illa? [7.] Sed quaeritur, Quid ibi affectio et quid cogitatio? Hoc concludi potest ab omnibus et singulis quae in corpore; ibi sunt plura viscera, singula in sua sede fixa, et suas functiones per mutationes et variationes status et formae operantur; quod in operationibus suis sint, notum est; ventriculus in suis, intestina in suis, renes in suis, hepar, pancreas et lien in suis, ac cor et pulmo in suis; et omnes illae operae solum intrinsecus moventur, ac intrinsecus moveri est per mutationes et variationes status et formae. Inde constare potest, quod substantiarum pure organicarum mentis operationes non aliud sint, cum differentia quod operationes substantiarum organicarum corporis sint naturales, at mentis spirituales, et quod hae et illae unum faciant per correspondentias. [8.] Non potest ad oculum monstrari, quales sunt status et formae mutationes et variationes substantiarum organicarum mentis, quae sunt affectiones et cogitationes; sed usque possunt sicut in speculo videri a mutationibus et variationibus status pulmonis in loquela et cantu; est etiam correspondentia; nam sonus loquelae et cantus, et quoque articulationes soni, quae sunt voces loquelae et modulamina cantus, fiunt per pulmonem, ac sonus correspondet affectioni, et loquela cogitationi. Producuntur etiam ex illis, et hoc fit per mutationes et variationes status et formae substantiarum organicarum in pulmone, et ex pulmone per trachiam seu asperam arteriam in larynge et glottide, et postea in lingua, et demum in labris oris. Mutationes et variationes status et formae soni primae fiunt in pulmone, alterae in trachia et larynge, tertiae in glottide per varias aperturas ejus orificii, quartae in lingua per varias ejus applicationes ad palatum et dentes, quintae in labris oris per varias formas. Ex his constare potest, quod merae mutationes et variationes status formarum organicarum successive continuatae, producant sonos et illorum articulationes, quae sunt loquelae et cantus. Nunc quia sonus et loquela non aliunde producuntur quam ab affectionibus et cogitationibus mentis, nam ex his illa existunt, et nusquam absque illis, patet quod affectiones voluntatis sint mutationes et variationes

status substantiarum pure organicarum mentis, et quod cogitationes intellectus sint mutationes et variationes formae illarum substantiarum; similiter ut in pulmonariis. [**9.**] Quoniam affectiones et cogitationes sunt merae mutationes status formarum mentis, sequitur quod memoria non aliud sit quam status illarum permanens; nam omnes mutationes et variationes status in substantiis organicis tales sunt, ut semel imbutae permaneant; ita imbuitur pulmo producere varios sonos in trachia, ac variare illos in glottide, articulare illos in lingua, et modificare illos in ore; et quando organica illa semel imbuta sunt, in illis sunt, et reproduci possunt. Quod mutationes et variationes illae infinite perfectiores sint in organicis mentis quam in organicis corporis, constat ex illis quae in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. [1]199–204) dicta sunt, ubi ostensum est, quod omnes perfectiones crescant et ascendant cum gradibus et secundum illos. De his plura videantur infra (n. 319).

280. Quod peccata cum remissa sunt etiam sint remota, est quoque error saeculi. In illo errore sunt, qui credunt per Sacramentum Cenae sibi remissa esse peccata, tametsi non removerunt illa a se per paenitentiam: in illo etiam sunt, qui per solam fidem credunt salvari; tum etiam qui per dispensationes papales: omnes illi credunt immediatam misericordiam, et momentaneam salvationem. At cum hoc invertitur, fit veritas, nempe quod cum remota sunt peccata, etiam remissa sint; paenitentia enim praecedet remissionem, et absque paenitentia nulla est remissio: quare Dominus mandavit discipulis ut

> Praedicarent paenitentiam in remissionem peccatorum (*Luc.* xxiv.[2]47): Et Johannes "praedicavit baptisma paenitentiae in remissionem peccatorum" (*Luc.* iii. 3)

Dominus remittit omnibus sua peccata; non arguit et imputat; sed usque non potest nisi secundum leges Divinae Providentiae suae illa auferre; nam cum dixit Petro (interroganti quoties remitteret fratri in illum peccanti, num septies),

> Quod remitteret non modo septies, sed usque ad septuagies septies (*Matth.* xviii. 21, 22);

quid non Dominus, qui est ipsa Misericordia.

281. (iv.) *Quod sic permissio mali sit propter finem ut salvatio.*—Notum est, quod homo in plena libertate cogitandi et volendi sit, sed non in plena libertate loquendi et faciendi quicquid cogitat et vult. Potest enim cogitare sicut atheus, negare Deum, et sancta Verbi [et] ecclesiae blasphemare, immo potest velle loquela et facto illa perdere usque ad eorum internecionem; sed hoc leges civiles, morales et ecclesiasticae arcent; quare impia et scelesta illa intus fovet cogitando et volendo, et quoque intendendo, sed usque non faciendo. Homo qui non atheus est, etiam in plena libertate est cogitandi plura quae mali sunt, ut fraudulenta, lasciva, vindicativa, et alia insana, quod etiam facit per vices. Quis potest credere, quod nisi plena libertas foret homini, non modo non salvari posset, sed etiam in totum periret? [**2.**] Audiatur nunc causa: Omnis homo in malis plurium generum a nativitate est; illa mala insunt voluntati ejus; et quae voluntati insunt, amantur; nam quod homo ex interiori vult, hoc amat; et quod amat, hoc vult; et amor voluntatis influit in intellectum, et ibi facit ut jucundum ejus sentiatur; inde venit in cogitationes, et quoque in intentiones. Quare nisi permitteretur homini cogitare secundum amorem voluntatis ejus, qui illi ex hereditario insitus est, amor ille inclusus maneret et nusquam in conspectum hominis veniret; et amor mali non apparens est sicut hostis in insidiis, sicut sanies in ulcere, sicut venenatum in sanguine, et sicut putredo in pectore; quae si inclusa tenentur, letum inducunt. At vero cum licet homini cogitare mala amoris vitae suae usque ad intentionem, sanantur illa per media spiritualia, sicut morbi per media naturalia. [**3.**] Qualis homo futurus esset, si non liceret ei cogitare secundum jucunda amoris vitae suae, nunc dicetur. Non foret homo amplius; perditurus esset binas suas facultates, quae vocantur libertas et rationalitas, in quibus consistit ipsa humanitas; jucunda malorum istorum occuparent interiora mentis ejus, usque adeo ut recluderent portam, et tunc non posset aliter quam similia loqui et agere; et sic insaniret non solum coram se, sed etiam coram mundo, et tandem non sciret velare pudenda. Sed ne talis fiat, permittitur quidem ei cogitare et velle mala hereditatis suae, sed non loqui et facere illa; ac interea

discit civilia, moralia et spiritualia, quae etiam cogitationes ejus intrant, et removent insanias illas, et per illa a Domino sanatur; sed usque non ultra quam ut sciat custodire portam, nisi etiam agnoscat Deum, et imploret opem Ipsius, ut possit resistere illis: et quantum tunc resistit, tantum non admittit illas in intentiones, et tandem nec in cogitationes. [4.] Cum itaque in hominis libertate est cogitare sicut lubet, propter finem ut amor vitae ejus e latibulis suis in lucem intellectus ejus prodeat, et quod alioqui non sciret aliquid de suo malo, et ita nec fugaret illud, sequitur quod id apud illum accresceret, usque ut non locus redintegrationis superesset apud illum, et aegre apud liberos, si quos gigneret; nam malum parentis traducitur in prolem. Sed hoc ne fiat, Dominus providet.

282. Potuisset Dominus sanare intellectum apud omnem hominem, et sic facere ut non mala sed bona cogitet; hoc per varios timores, per miracula, per loquelas cum defunctis, perque visiones et somnia; sed modo sanare intellectum, est solum extrinsecus sanare hominem; intellectus enim cum ejus cogitatione est externum vitae hominis, ac voluntas cum ejus affectione est internum vitae ejus; quare sanatio solius intellectus foret sicut sanatio palliativa, per quam malignitas interior inclusa et inhibita exire, consumeret primum vicina et postea remota, usque dum omne morticinum esset. Ipsa voluntas est, quae sananda est, non per influxum intellectus in illam, quia ille non datur, sed per instructionem et hortationem ab intellectu. Si intellectus solum sanaretur, fieret homo sicut cadaver conditum, seu aromatibus fragrantibus et rosis circumvelatum, quae brevi a cadavere traherent putorem, ut non alicujus naribus possent admoveri; ita fieret cum veris caelestibus in intellectu, si malus voluntatis amor obstrueretur.

283. Quod permittatur homini cogitare mala usque ad intentionem eorum, est, ut dictum est, ut per civilia, moralia, et spiritualia removeantur; quod fit cum cogitat, quod contra justum et aequum sit, contra honestum et decorum, et contra bonum et verum, ita contra tranquillum, laetum et beatum vitae. Per illa tria sanat Dominus amorem voluntatis hominis; et quidem primum per ti-

mores, et postea per amores. Sed usque mala non separantur et ejiciuntur ex homine, sed modo removentur et ad latera delegantur; et quando ibi sunt, et bonum in medio, tunc mala non apparent; quicquid enim in medio est, hoc directe sub intuitu est, ac videtur et percipitur. At sciendum est, quod tametsi bonum est in medio, usque homo non ideo in bono sit, nisi mala quae ad latera sunt, vergant deorsum aut extrorsum; si spectant sursum aut introrsum, non remota sunt, nam usque connituntur redire ad medium. Deorsum aut extrorsum vergunt et spectant, quando homo fugit sua mala ut peccata, et magis adhuc cum aversatur illa; nam tunc illa damnat et devovet inferno, ac facit ut illuc spectent.

284. Intellectus hominis est recipiens tam boni quam mali, et tam veri quam falsi; non autem ipsa voluntas hominis; haec erit vel in malo vel in bono; non potest esse utroque; nam voluntas est ipse homo, et ibi amor vitae ejus. Bonum et malum autem in intellectu separata sunt sicut internum et externum; inde potest homo interius in malo esse et exterius in bono: at usque cum homo reformatur, bonum et malum committuntur, et tunc existit conflictus et pugna, quae si gravis est, vocatur tentatio, at si non gravis est, fit sicut fermentat vinum aut sicera. Si tunc bonum vincit, malum cum suo falso removetur ad latera, comparative sicut faex cadit ad fundum vasis; ac bonum fit sicut vinum post fermentationem generosum et sicera clara. At si malum vincit, tunc bonum cum suo vero removetur ad latera, ac fit turbidum ac tetrum, sicut infermentatum vinum ac infermentata sicera. Comparatio cum fermento est, quia "fermentum" in Verbo significat falsum mali (ut *Hosch.* vii. 4; *Luc.* xii. 1; et alibi).

QUOD DIVINA PROVIDENTIA AEQUE SIT APUD MALOS QUAM APUD BONOS.

285. Apud unumquemvis hominem tam bonum quam malum sunt binae facultates, quarum una facit intellectum, et altera voluntatem. Facultas quae facit intellectum, est quod possit intelligere et cogitare; haec inde vocatur rationalitas: et facultas quae facit voluntatem, est quod libere illa possit, nempe cogitare, et inde quoque loqui et facere, modo non sit contra rationem seu rationalitatem; libere enim agere, est quoties vult, et sicut vult. Quoniam hae binae facultates perpetuae sunt, et continuae a primis ad ultima in omnibus et singulis quae homo cogitat et agit, et illae non insunt homini a se, sed sunt apud hominem a Domino, sequitur quod praesentia Domini cum in illis etiam sit in singulis, immo in singularissimis hominis intellectus et cogitationis, tum voluntatis et affectionis, et inde in singularissimis loquelae et actionis. Remove illas facultates ab aliquo singularissimo, et non poteris id cogitare nec loqui sicut homo.

[**2.**] Quod homo per binas illas facultates sit homo, possi cogitare et loqui, percipere bona ac intelligere vera, non modo civilia et moralia, sed etiam spiritualia, ac reformari et regenerari, verbo, quod possit conjungi Domino, et per id vivere in aeternum, prius per multa ostensum est; tum etiam, quod binae illae facultates sint non modo hominibus bonis, sed etiam malis. Nunc quia illae facultate apud hominem a Domino sunt, et non homini appropriatae ut ejus, (Divinum enim non potest appropriari homini ut ejus, sed potest adjungi illi, et per id apparere sicut ejus,) et quia id Divinum apud hominem est in singularissimis ejus, sequitur quod Dominus regat singularissima, tam apud hominem malum, quam apud hominem bonum; ac regimen Domini est quod vocatur Divina Providentia.

286. Nunc quia lex Divinae Providentiae est, ut homo possit ex libero secundum rationem, hoc est, ex binis illis facultatibus, libertate et rationalitate, agere,—et quoque lex Divinae Providentiae est, quod id quod agit, appareat homini sicut ab ipso, et inde sicut ipsius,—tum lex,

quod permittenda sint mala, ut ex illis possit educi,—sequitur quod homo possit abuti illis facultatibus, et ex libero secundum rationem confirmare quicquid lubet; potest enim rationis facere quodcunque vult, sive sit sive non sit rationis in se. Quare aliqui dicunt, "Quid verum? Annon possum verum facere quodcunque volo?" Annon etiam mundus ita facit? Et qui hoc potest, facit id per ratiocinationes. Sume falsissimum, et dic ingenioso, Confirma, et confirmabit. Ut dic ei, ut confirmet quod homo sit bestia; aut dic quod anima sit sicut araneola in sua tela, et regat corpus sicut illa per fila; aut dic ei quod religio non sit aliquid sed modo vinculum, et confirmabit quodlibet horum, usque ut appareat sicut verum. Quid facilius? quia non scit quid apparentia, nec quid falsum ex caeca fide pro vero assumptum. [**2.**] Ex hoc est, quod homo non possit videre hoc verum, quod Divina Providentia sit in singularissimis intellectus et voluntatis, seu quod idem, in singularissimis cogitationum et affectionum apud unumquemvis hominem, tam malum quam bonum. Confundit se imprimis per id, quod sic forent mala etiam a Domino; sed quod usque ne hilum mali sit a Domino, sed ab homine, per id quod apparentiam, quod cogitet, velit, loquatur et agat ex se, apud se confirmaverit, videbitur in nunc sequentibus; quae ut clare videantur, demonstranda sunt in hoc ordine:

(i.) *Quod Divina Providentia non solum sit apud bonos sed etiam apud malos in singularissimis universalis; et quod usque non sit in illorum malis.*
(ii.) *Quod mali se ipsos continue inducant in mala, sed quod Dominus illos continue abducat a malis.*
(iii.) *Quod mali non possint a Domino prorsus abduci a malo, et duci in bono, quamdiu credunt propriam intelligentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid.*
(iv.) *Quod Dominus regat infernum per opposita, et quod malos qui in mundo sunt, regat in inferno quoad interiora, at non quoad exteriora.*

287. (i.) *Quod Divina Providentia non solum sit apud bonos, sed etiam apud malos, in singularissimis universalis; et quod usque non sit in illorum malis.*—Supra ostensum est, quod Divina Providentia sit in singularissimis cogitationum et affectionum hominis, per quod intelligitur, quod homo nihil possit cogitare et velle ex se, sed quod omne quod

cogitat et vult, et inde loquitur et facit, sit ex influxu; si bonum est, ex influxu e caelo, et si malum, ex influxu ab inferno; seu quod idem, quod bonum sit ex influxu a Domino; et malum ex proprio hominis. Sed scio, quod haec aegre possint comprehendi, quia distinguitur inter id quod influit e caelo seu a Domino, et inter id quod influit ex inferno seu a proprio hominis; et usque dicitur, quod Divina Providentia sit in singularissimis cogitationum et affectionum hominis, usque adeo, ut homo nihil possit cogitare et velle a se: sed quia dicitur quod etiam possit ab inferno, tum a proprio suo, apparet id sicut contradictorium, at usque non est: quod non sit, videbitur in sequentibus, postquam praemissa sunt aliqua, quae rem illustrabunt.

288. Quod nullus cogitare possit a se, sed a Domino, fatentur omnes angeli caeli; at quod nullus cogitari possit ab alio quam a se, dicunt omnes spiritus inferni. At his aliquoties ostensum est, quod non aliquis eorum cogitet ex se, nec possit, sed quod influat; verum frustra; non voluerunt recipere. Sed experientia docebit, primum, quod omne cogitationis et affectionis etiam apud spiritus inferni influat e caelo, sed quod bonum influens ibi vertatur in malum, et quod verum in falsum, ita omne in oppositum. Hoc ostensum est ita: demissum est e caelo aliquod verum ex Verbo, et hoc exceptum est ab illis qui supra in inferno erant, et ab his demissum est in inferiora usque ad infimum; ac id in via successive versum est in falsum, et tandem in falsum prorsus oppositum vero; et illi apud quos vertebatur, cogitabant falsum sicut ex se, et non sciebant aliter, cum tamen erat verum e caelo defluens, in via ad infimum infernum, ita falsificatum et perversum. Quod ita factum, ter aut quater audivi. Simile fit cum bono; hoc defluens e caelo progressive vertitur in malum bono oppositum. Inde patuit, quod verum et bonum a Domino procedens exceptum ab illis qui in falso et in malo sunt, permutetur, et in aliam formam transeat, usque ut prima forma non appareat. Simile fit apud omnem hominem malum, nam ille quoad spiritum suum est in inferno.

289. Quod nec aliquis in inferno cogitet a se sed ex aliis circum se, nec hi alii a se, sed etiam ex aliis, et quod

cogitationes et affectiones vadant in ordine a societate ad societatem, praeter quod ullus sciat aliter quam quod a se, hoc saepius ostensum est. Quidam qui crediderunt se cogitare et velle a se, missi sunt in societatem, intercepta communicatione cum vicinis, ad quas etiam illorum cogitationes exspatiari soluerunt, ac in illa detenti sunt: et tunc dictum est illis, ut cogitent aliter quam spiritus illius societatis cogitant, ac ut cogant se ad cogitandum contra illud; sed fassi sunt, quod hoc eis impossibile esset. [**2.**] Hoc factum est cum multis, et quoque cum Leibnitzio, qui etiam convictus est, quod nemo cogitet ex se sed ex aliis; et quod nec alii a se; et quod omnes ex influxu e caelo, et quod caelum ex influxu a Domino. Quidam de hac re meditati, dixerunt quod hoc stupendum sit, et quod vix aliquis possit adduci ad id credendum, quia est prorsus contra apparentiam; sed quod usque non possint negare, quia plene ostensum est. Sed tamen cum in admiratione fuerunt, dixerunt, quod sic non in culpa sint, quod malum cogitent; tum quod sic videatur sicut malum sit a Domino: et quoque quod non comprehendant, quomodo solus Dominus possit facere, ut omnes tam diversimode cogitent. Sed haec tria in sequentibus evolvenda sint.

290. Allatis experientiis etiam haec adjicienda est. Quando mihi datum est a Domino loqui cum spiritibus et angelis, hoc arcanum mihi statim detectum est; dictum enim mihi est e caelo, quod credam sicut alii, quod cogitem et quod velim ex me, cum tamen nihil ex me, sed si bonum, quod sit a Domino, et si malum, quod sit ab inferno. Quod ita esset, etiam per varias inductas cogitationes et affectiones mihi ad vivum demonstratum est, et successive datum id percipere et sentire; quare postea, ut primum aliquod malum in voluntatem, aut aliquod falsum in cogitationem illapsum est, inquisivi unde illud; et mihi detectum est, et quoque datum est cum illis loqui, illos redarguere, et adigere ut recederent, et sic suum malum et falsum retraherent, et apud se retinerent, et non tale quid cogitationi meae amplius infunderent. Hoc millies factum est; et in hoc statu nunc per plures annos permansi, et in eo adhuc permaneo: et usque videor mihi cogitare et velle ex me sicut alii, cum nulla differentia; ex Domini

enim Providentia est ut cuivis ita appareat, ut supra in suo articulo ostensum est. Spiritus novitii mirantur hunc meum statum, non videntes aliter quam quod non quicquam ex me cogitem et velim, et ideo quod sim sicut quoddam inane; verum illis aperui arcanum; et adhuc, quod etiam interius cogitem, et percipiam quid in cogitationem meam exteriorem influit, num e caelo vel num ex inferno, et quod hoc rejiciam, et illud recipiam; et quod usque videar mihi, sicut illi, ex me cogitare et velle.

291. Quod omne bonum e caelo sit, et quod omne malum ex inferno, in mundo non inter incognita est; notum est cuique in ecclesia. Quisnam ibi, qui sacerdotio inauguratus est, non docet quod omne bonum sit a Deo, et quod homo non aliquid ex se possit sumere, quod non datum est ei e caelo? tum etiam quod diabolus infundat mala in cogitationes, et seducat, atque excitet ad faciendum illa? Quare sacerdos qui credit se ex sancto zelo praedicare, orat ut Spiritus Sanctus doceat illum, ducat cogitationes suas, et loquelam ejus, et quidam dicunt se sensu percepisse quod acti sint, et cum praedicationes laudantur, pie respondent, quod non a se, sed a Deo locuti sint. Quare etiam cum vident aliquem bene loquentem et bene agentem, dicunt illum ad id a Deo ductum esse; et vicissim cum vident aliquem male loquentem et male agentem, dicunt illum ad id a diabolo ductum esse. Quod talis sermo sit in ecclesia, notum est; sed quis credit quod ita sit?

292. Quod ab unico fonte vitae influat omne quod homo cogitat et vult, et inde quod loquitur et facit, et quod usque unicus fons vitae, qui est Dominus, non in causa sit quod homo cogitet malum et falsum, illustrari potest per haec in mundo naturali. A sole ejus procedit calor et lux, et illa duo influunt in omnia subjecta et objecta, quae coram oculis apparent; non modo in subjecta bona et in objecta pulchra, sed etiam in subjecta mala et in objecta impulchra, et producunt varia in illis: influunt enim non solum in arbores, quae ferunt fructus bonos, sed etiam in arbores quae ferunt fructus malos, immo etiam in ipsos fructus, et dant vegetationes illis; similiter in semina bona, et quoque in zizanias: tum etiam in virgulta boni usus seu salutifera, et quoque in

virgulta mali usus seu toxicata ; et tamen idem calor est, et eadem lux, in quibus non aliqua causa mali, sed haec in subjectis et objectis recipientibus est. [2.] Simile facit calor qui excludit ova, in quibus latet ulula, bubo, aspis, sicut dum excludit ova, in quibus latet columba, avis pulchra et olor. Pone sub gallina ova utriusque generis, et ab ejus calore, qui in se est innocuus, illa excludentur ; quid itaque calor commune habet cum malis et noxiis illis? Similiter facit calor in paludinosa, stercorea, putria et cadaverosa influens, sicut facit cum in vinosa, fragrantia, vegeta et viva: quis non videt, quod causa non sit in calore, sed in subjecto recipiente? Eadem etiam lux in uno objecto sistit colores amoenos, et in altero inamoenos ; immo illustrat se in candidis et fulget, et opacat se in vergentibus ad nigrum, et furvat se. [3.] Simile est in mundo spirituali, ibi quoque est calor et lux a suo Sole, qui est Dominus, quae ex illo influunt in sua subjecta et objecta ; subjecta et objecta ibi sunt angeli et spiritus, in specie voluntaria et intellectualia illorum ; calor ibi est Divinus amor procedens, ac Lux ibi est Divina sapientia procedens ; haec non sunt in causa, quod ab uno aliter recipiantur quam ab altero ; nam dicit Dominus,

> Quod solem exoriri faciat super malos et bonos, et pluviam mittat super justos et injustos (*Matth.* v. 45) ;

per "Solem" in supremo spirituali sensu intelligitur Divinus Amor, et per "pluviam" Divina Sapientia.

293. His adjiciam angelicam sententiam de voluntate et de intelligentia apud hominem ; illa sententia est haec, quod non detur granum propriae voluntatis et propriae prudentiae apud ullum hominem ; dicentes, si daretur granum apud unumquemvis, non consisteret caelum nec infernum, ac periret totum genus humanum ; causam dicunt, quia myriades myriadum hominum, quot a creatione mundi nati sunt, constituunt caelum et infernum, quorum unum sub altero in tali ordine est, ut utrinque faciant unum, caelum unum Hominem pulchrum, et infernum unum Hominem monstrosum. Si unicuivis foret granum propriae voluntatis et propriae intelligentiae, illud unum non potuisset dari, sed distraheretur, et cum illo periret Divina illa Forma ; quae non aliter constare et

permanere potest, quam cum Dominus est omne in omnibus, et illi nihil in toto. Dicunt adhuc causam, quod cogitare et velle ex se, sit ipsum Divinum ; ac cogitare et velle ex Deo, sit ipsum humanum ; ac ipsum Divinum non potest appropriari alicui homini, sic enim homo foret Deus. Tene hoc, et ab angelis, si vis, confirmaberis, dum post obitum in mundum spiritualem venis.

294. Dictum est supra (n. 289), quod cum quidam convicti sunt, quod nullus cogitet ex se, sed ex aliis, et quod omnes alii non ex se, sed ex influxu per caelum a Domino, in admiratione dixerint, quod sic non in culpa sint quod malum faciant ; tum, quod sic videatur, quod malum sit a Domino : ut et, quod non comprehendant, quod Dominus solus possit facere, ut omnes tam diversimode cogitent. Nunc quia haec tria non possunt non influere in cogitationes apud illos, qui solum cogitant effectus ab effectibus, et non effectus a causis, necessum est ut illa assumantur, et ex causis detegantur. [**2.**] Primum : *Quod sic non in culpa forent, quod malum faciant ;* si enim omne quod homo cogitat, ab aliis influit, videtur sicut sit apud illos a quibus ; sed usque ipsa culpa est apud illum, qui recipit, nam recipit ut suum, nec scit aliud, neque vult scire aliud : quisque enim vult suus esse, et a semet duci, imprimis a semet cogitare et velle ; hoc enim est ipsum liberum, quod apparet sicut proprium, in quo omnis homo est ; quare si sciret quod id quod cogitat et vult, ab alio influat, videretur sibi sicut vinctus et captivus, non amplius sui juris ; et sic periret omne jucundum vitae ejus, et tandem ipsum humanum. [**3.**] Quod ita sit, vidi saepius confirmatum. Datum est quibusdam percipere et sentire quod ducerentur ab aliis ; tunc exarserunt ira, ut facti sint sicut impotes mentis ; et dixerunt, quod potius vellent vincti teneri in inferno, quam non licere cogitare sicut volunt, et velle sicut cogitant. Hoc non licere, vocabant ligari quoad ipsam vitam, quod durius et intolerabilius est quam ligari quoad corpus. Non licere loqui et facere sicut cogitant et volunt, hoc non vocabant ligari, quia jucundum vitae civilis et moralis, quod consistit in loquendo et faciendo, id refrenat et simul quasi lenit. [**4.**] Nunc quia homo non vult scire, quod ab aliis ducatur ad cogitandum, sed vult cogitare a se, et hoc

quoque credit, consequitur quod ipse in culpa sit, nec potest rejicere illam a se, quamdiu amat cogitare quod cogitat; at si id non amat, exsolvit se a nexu cum illis. Hoc fit, cum scit quod malum sit, ac ideo vult fugere illud et desistere ab illo. Tunc etiam ille a Domino eximitur a societate, quae in illo malo est, et transfertur in societatem, in qua id non est. Si autem scit malum, et non fugit illud, tunc imputatur ei culpa, et fit illius mali reus. Quicquid ergo homo ex se credit facere, hoc dicitur ex homine fieri, et non a Domino. [**5.**] Secundum: *Quod sic videatur, quod malum sit a Domino.* Hoc sicut conclusum potest cogitari ex illis, quae supra (n. 288) ostensa sunt, quae sunt, quod bonum influens a Domino vertatur in malum, ac verum in falsum in inferno. Sed quis non potest videre, quod malum et falsum non sint a bono et vero, ita a Domino, sed a subjecto et objecto recipiente, quod in malo et falso est, ac id pervertit et invertit? ut plene etiam ostensum est supra (n. 292). Unde autem malum et falsum est apud hominem, in praecedentibus pluries ostensum est. Facta etiam est experientia in mundo spirituali cum illis, qui crediderunt, quod Dominus potuisset apud malos removere mala, et loco illorum inferre bona, et sic transferre totum infernum in caelum, et salvare omnes; sed quod id impossibile sit, ad finem hujus transactionis, ubi de momentanea salvatione, et de immediata Misericordia, agendum est, videbitur. [**6.**] Tertium: *Quod non comprehendant, quod Dominus solus possit facere, ut omnes tam diversimode cogitent.* Est Divinus Amor Domini infinitus, ac Divina Sapientia Ipsius infinita, ac infinita amoris et infinita sapientiae a Domino procedunt, et illa influunt apud omnes in caelo, et inde apud omnes in inferno, et ab utroque apud omnes in mundo; quare non potest alicui deesse quod cogitet et velit, nam infinita sunt infinite omnia. Infinita illa, quae a Domino procedunt, non solum universaliter influunt, sed etiam singularissime; nam Divinum est universale ex singularissimis, et Divina singularissima sunt quae vocantur Universale, ut supra ostensum est; et Divinum singularissimum etiam infinitum est. Ex his constare potest, quod solus Dominus faciat unumquemvis cogitare et velle secundum quale ejus, et secundum leges suae Providentiae. Quod omnia

quae in Domino sunt, et a Domino procedunt, infinita sint, supra (n. 46–69,) ostensum est ; et quoque in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia* (n. 17–22).

295. (ii.) *Quod mali se ipsos continue inducant in mala, sed quod Dominus illos continue abducat a malis.*—Qualis Divina Providentia est apud bonos, facilius comprehenditur, quam qualis est apud malos: et quia de hac nunc agitur, dicetur in hac serie: (1.) Quod innumerabilia sint in unoquovis malo. (2.) Quod malus in sua mala se ex se continue profundius inducat. (3.) Quod Divina Providentia cum malis sit continua mali permissio, ob fine ut sit continua abductio. (4.) Quod abductio a malo fiat mille modis, etiam arcanissimis, a Domino.

296. Ut itaque Divina Providentia cum malis distincte percipiatur, et sic comprehendatur, explicanda sunt supradicta in illa serie, in qua allata sunt. Primum: *Quod innumerabilia sint in unoquovis malo.* Unumquodvis malum apparet coram homine sicut unum simplex ; sic apparet odium et vindicta, sic furtum et fraus, sic adulterium et scortatio, sic superbia et elatio animi, praeter reliqua ; et non scitur quod in unoquovis malo sint innumerabilia ; sunt plura quam in hominis corpore sunt fibrae et vasa : est enim homo malus in minima forma infernum, ac infernum consistit ex myriadibus 'myriadum, et unusquisque ibi est in forma sicut homo tametsi monstrosus, ac omnes fibrae ac omnia vasa in illo sunt inversa ; ipse spiritus est malum, apparens sibi sicut unum ; sed tot innumerabilia quot in illo sunt, tot sunt concupiscentiae illius mali ; est enim quisque homo suum malum aut suum bonum a capite ad volam pedis. Cum itaque talis est malus, patet quod sit unum malum compositum ex variis innumerabilibus, quae distincte mala sunt, et vocantur concupiscentiae mali. Ex his sequitur, quod illa omnia in ordine in quo sunt, a Domino reparanda et convertenda sint, ut homo reformari possit, et quod hoc non fieri possit nisi per Divinam Domini Providentiam successive a prima aetate hominis usque ad ultimam ejus. [**2.**] Omnis concupiscentia mali in inferno apparet, cum repraesentatur, sicut animal noxium, ut vel sicut draco, vel sicut basiliscus, vel sicut vipera, vel sicut bubo, vel sicut ulula, et sic porro ; similiter apparent concupiscentiae mali apud hominem malum,

cum spectatur ab angelis. Omnes hae formae concupiscentiarum singillatim convertendae sunt ; ipse homo, qui quoad spiritum apparet ut homo monstrum seu ut diabolus, convertendus est ut sit sicut angelus pulcher ; et unaquaevis concupiscentia mali convertenda est, ut appareat sicut agnus, aut ovis, aut sicut columba et turtur, quemadmodum affectiones boni angelorum in caelo, cum repraesentantur, apparent ; ac convertere draconem in agnum, basiliscum in ovem, ac bubonem in columbam, non potest fieri nisi quam successive, eradicando malum a suo semine, ac implantando bonum semen loco ejus. Sed hoc non fieri aliter potest, quam comparative sicut fit cum insitione arborum, quarum radices cum aliquo trunco remanent, sed usque insitus ramus succum per veterem radicem extractum vertit in succum facientem fructus bonos. Ramus ille inoculandus non aliunde desumi potest quam a Domino, qui est Arbor vitae ; quod etiam est secundum Domini verba, *Joh.* xv. 1–7. [**3.**] Secundum : *Quod malus in sua mala se ex se continue profundius inducat.* Dicitur, ex se, quia omne malum est ex homine, vertit enim bonum, quod a Domino est, in malum, ut supra dictum est. Quod malus se profundius inducat in malum, ipsa causa est, quod inferat se in societates infernales interius et interius, et quoque profundius et profundius, sicut vult et facit malum ; inde quoque crescit jucundum mali, et hoc occupat ita cogitationes ejus, ut tandem non sentiat dulcius. Et qui se in societates infernales interius et profundius intulit, fit sicut circumligatus vinculis ; sed quamdiu in mundo vivit, vincula non sentit ; sunt sicut ex molli lana, aut ex lenibus filis serici, quae amat quia titillant ; verum post mortem vincula illa ex mollibus fiunt dura, et ex titillantibus pungentia. [**4.**] Quod jucundum mali incrementa capiat, notum est ex furtis, latrociniis, depraedationibus, vindictis, dominationibus, lucris, et aliis. Quis non in illis secundum successus et secundum exercitia non inhibita sentit elevationes jucundi? Notum est, quod fur in furtis tale jucundum sentiat, ut non desistere possit ; et, mirum, quod amet unum nummum furatum plus quam decem nummos dono datos. Simile etiam foret cum adulteriis, nisi provisum esset, quod malum illud potentia decrescat secundum

abusum; at usque apud multos remanet jucundum cogitandi et loquendi illa, et si non plus, usque libido tangendi. [**5.**] Sed nescitur, quod hoc inde sit, quod se in societates infernales interius ac interius, tum profundius et profundius inferat, sicut ex voluntate et simul cogitatione committit mala: si modo in cogitatione sunt, et non in voluntate, nondum est cum malo in societate infernali, sed tunc intrat quando etiam sunt in voluntate; si tunc etiam cogitat quod id malum sit contra praecepta decalogi, et haec facit Divina, tunc ex proposito committit illud, et per id se demittit profunde, e quo non educi potest nisi per actualem paenitentiam. [**6.**] Sciendum est, quod omnis homo quoad spiritum suum sit in mundo spirituali in quadam societate ibi, malus homo in societate infernali, et bonus homo in societate caelesti, apparet etiam quandoque ibi, dum in alta meditatione est. Tum, quod sicut sonus cum loquela se circumfundit in aere in mundo naturali, ita affectio cum cogitatione se in societates circumfundat in mundo spirituali; est etiam correspondentia, nam affectio correspondet sono, et cogitatio loquelae. [**7.**] Tertium: *Quod Divina Providentia cum malis sit continua mali permissio, ob finem ut sit continua abductio.*—Quod Divina Providentia apud homines malos sit continua permissio, est quia ex vita illorum non aliud prodire potest quam malum; homo enim sive in bono est, sive in malo, non potest in utroque simul esse, nec per vices nisi sit tepidus; et malum vitae in voluntatem et per illam in cogitationem non inducitur a Domino, sed inducitur ab homine; et hoc dicitur permissio. [**8.**] Nunc quia omnia quae homo malus vult et cogitat sunt permissionis, quaeritur quid tunc ibi Divina Providentia est, quae dicitur in singularissimis esse apud unumquemvis hominem, tam malum quam bonum. Sed illa consistit in eo, quod continue permittat ob finem, et quod permittat talia quae finis sunt, et non alia; et quod mala quae ex permissione prodeunt, continue lustret, separet, purificet, et non convenientia amandet, et per ignotas vias exoneret. Haec fiunt imprimis in hominis interiore voluntate, et ex hac in interiore ejus cogitatione. Divina Providentia etiam continua est in eo, quod prospiciat ne amandanda et exoneranda rursus a voluntate reci-

piantur, quoniam omnia quae recipiuntur a voluntate, appropriantur homini ; at quae recipiuntur cogitatione, et non voluntate, illa separantur et ablegantur. Haec est continua Domini Providentia apud malos, quae, ut dictum est, est continua permissio ob finem ut sit perpetua abductio. [**9.**] De his homo vix aliquid scit, quia non percipit ; quod non percipiat, est primaria causa, quia sunt mala concupiscentiarum amoris vitae ejus, et illa mala non sentiuntur ut mala, sed ut jucunda, ad quae non aliquis attendit. Quis attendit ad jucunda sui amoris ? In his natat cogitatio ejus, sicut cymba quae fertur in vena fluvii ; ac percipitur sicut atmosphaera fragranter olens, quae pleno spiritu attrahitur : solum aliquid ex illis sentire potest in cogitatione sua externa, sed usque nec ad illa ibi attendit, nisi probe sciat quod sint mala. Sed de his plura in nunc sequentibus. [**10.**] Quartum : *Quod abductio a malo fiat mille modis, etiam arcanissimis, a Domino.* Ex illis solum aliqua mihi detecta sunt, verum non nisi quam communissima ; quae sunt, quod jucunda concupiscentiarum, de quibus homo nihil scit, catervatim et fasciculatim emittantur in cogitationes interiores, quae sunt spiritus hominis, et inde in cogitationes exteriores ejus, in quibus apparent sub aliquo sensu volupis, amoeni aut cupidi ; et commiscentur ibi cum jucundis naturalibus et sensualibus ejus. Ibi sunt media separationis et purificationis, et quoque viae abductionis et exonerationis. Media sunt imprimis jucunda meditationis, cogitationis, reflexionis propter aliquos fines, qui sunt usus, et fines qui sunt usus sunt totidem quot particularia et singularia negotii et functionis alicujus ; tum etiam quot sunt jucunda reflexionis propter fines ut appareat sicut homo civilis et moralis, et quoque sicut homo spiritualis, praeter injucunda quae interpolant. Illa jucunda quia sunt amoris ejus in externo homine, sunt media separationis, purificationis, excretionis et abductionis jucundorum concupiscentiarum mali interni hominis. [**11.**] Sit pro exemplo judex injustus, qui spectat lucra aut amicitias ut fines seu ut usus functionis suae ; is interius continue in illis est, sed exterius ut agat sicut legisperitus et justus ; ille continue in jucundo meditationis, cogitationis, reflexionis ac intentionis est, ut jus flectat, vertat, adaptet et coaptet, usque ut legibus conforme, ac justitiae analogon appareat ;

nec scit quod internum ejus jucundum consistat ex astutiis, fraudibus, dolis, furtis clandestinis, ac multis aliis, et quod illud jucundum ex tot jucundis concupiscentiarum mali compositum dominetur in omnibus et singulis externae cogitationis, in qua jucunda apparentiae quod sit justus et sincerus, sunt. In haec jucunda externa demittuntur jucunda interna, et commiscentur sicut cibi in ventriculo; et ibi separantur, purificantur et abducuntur; sed usque non alia jucunda concupiscentiarum mali quam quae graviora sunt: [**12.**] apud hominem enim malum non datur alia separatio, purificatio et abductio quam malorum graviorum a minus gravibus; at apud hominem bonum datur separatio, purificatio et abductio malorum non modo graviorum sed etiam minus gravium; et hoc fit per jucunda affectionum boni ac veri, ac justi et sinceri, in quas venit quantum mala spectat ut peccata, ac ideo fugit et aversatur illa, et magis si pugnat contra illa. Haec sunt media, per quae Dominus purificat omnes qui salvantur; purificat etiam eosdem per media externa, quae sunt famae et honoris, et quandoque lucri; sed usque his a Domino inserta sunt jucunda affectionum boni et veri, per quae diriguntur et aptantur ut fiant jucunda amoris proximi. [**13.**] Si quis videret jucunda concupiscentiarum mali simul in aliqua forma, aut distincte perciperet illa aliquo sensu, visurus et percepturus esset illa in tali numero, ut non definiri possint; est enim totum infernum [nihil] nisi forma omnium concupiscentiarum mali, et ibi nulla concupiscentia mali est alteri prorsus similis seu eadem, nec dari potest una alteri prorsus similis seu eadem in aeternum; et de innumerabilibus illis homo vix scit aliquid, minus quomodo connexa sunt. Et tamen a Domino per Divinam Ipsius Providentiam continue permittitur ut prodeant ob finem ut abducantur, quod fit in omni ordine et serie. Homo malus est in minima forma infernum, sicut homo bonus est in minima forma caelum. [**14.**] Quod abductio a malis fiat mille modis, etiam arcanissimis a Domino, non melius videri, et sic concludi potest, quam ex arcanis operationibus animae in corpore. Illae de quibus homo novit sunt hae; quod cibum, quem comesturus est, spectet, odore percipiat, appetat, gustet, dentibus comminuat, per linguam devolvat in stomachum,

et sic in ventriculum. At vero arcanae operationes animae, de quibus homo non aliquid scit, quia non sentit, sunt hae: quod ventriculus cibos receptos convolvat, per menstrua aperiat et separet, hoc est, digerat, ac convenientia porrigat osculis ibi hiantibus ac venis quae illa imbibunt; et quod quaedam amandet in sanguinem, quaedam in vasa lymphatica, quaedam in vasa lactea mesenterii, et quaedam demittat in intestina; dein quod chylus ex cisterna sua in mesenterio per ductum thoracicum subductus inferatur venae cavae, et sic in cor, et a corde in pulmonem, et ab hoc per sinistrum cordis ventriculum in aortam et ab hac per ramos in viscera totius corporis, et quoque in renes; in quorum unoquovis fit sanguinis separatio, purificatio, ac heterogeneorum abductio: ut taceam quomodo cor suum sanguinem in pulmone defaecatum submittit in cerebrum, quod fit per arterias, quae vocantur carotides, et quomodo cerebrum remittit sanguinem vivificatum in venam cavam mox supra ubi ductus thoracicus chylum infert, et sic rursus in cor. [**15.**] Haec praeter innumerabilia alia sunt arcanae operationes animae in corpore. Homo de his nihil sentit, et qui non scientiae anatomicae peritus est, nihil scit. Et tamen similia fiunt in interioribus mentis hominis; nam nihil potest fieri in corpore, nisi inde; est enim mens hominis ejus spiritus, ac spiritus ejus aeque est homo, cum sola differentia, quod quae fiunt in corpore, fiant naturaliter, et quae fiunt in mente, fiant spiritualiter; est omnimoda similitudo. Ex his patet, quod Divina Providentia operetur mille modis, etiam arcanissimis, apud unumquemvis hominem, et quod sit continua in fine purificandi illum, quia in fine salvandi est; et quod non plus incumbat homini, quam ut removeat mala in externo homine; reliqua providet Dominus, si imploratur.

297. (iii.) *Quod mali non possint a Domino prorsus abduci a malis, et duci in bonis, quamdiu credunt propriam intelligentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid.*—Apparet sicut homo possit semet abducere a malo, modo cogitet quod hoc aut illud sit contra commune bonum, contra utile, et contra jus gentis et gentium. Hoc potest tam malus, quam bonus, modo a nativitate aut ab exercitio talis est, ut intus in se analytice et ratio-

naliter distincte possit cogitare: sed usque tamen non potest semet abducere a malo. Causa est, quia facultas intelligendi et percipiendi res etiam abstracte data est unicuivis, tam malo quam bono, a Domino, ut supra passim ostensum est; at usque homo ex illa non potest se educere a malo: malum enim est voluntatis, ac intellectus non influit in voluntatem, nisi solum cum luce, ac illustrat et docet; et si calor voluntatis, hoc est, amor vitae hominis est fervidus ex concupiscentia mali, est tunc frigidus quoad affectionem boni; quare non recipit, sed vel rejicit vel exstinguit, vel per quoddam excogitatum falsum vertit in malum. Hoc fit sicut cum luce hiemis, quae aeque clara est qualis est lux aestatis, quae influens in arbores frigidas similiter facit; sed haec plenius videri possunt in hoc ordine:—(1.) Quod propria intelligentia, cum voluntas in malo est, non videat nisi quam falsum, et quod non videre velit nec possit aliud. (2.) Quod si propria intelligentia tunc videt verum, avertat se, aut falsificet illud. (3.) Quod Divina Providentia continue faciat hominem videre verum, et quod etiam det affectionem percipiendi illud, et quoque recipiendi illud. (4.) Quod homo per id abducatur a malo, non a se, sed a Domino.

298. Sed ut haec coram rationali homine [appareant], sive malus sit sive bonus, ita sive sit in luce hiemali sive in luce aestiva, in utraque enim colores similiter apparent, explicanda sunt in suo ordine. Primum: *Quod propria intelligentia, cum voluntas in malo est, non videat nisi falsum, et quod non videre velit nec possit aliud.*—Hoc saepius in mundo spirituali ostensum est. Unusquisque homo, dum fit spiritus, quod fit post mortem, tunc enim exuit materiale corpus ac induit spirituale, immittitur alternis in binos suae vitae status, externum ac internum. Dum in statu externo est, loquitur et quoque agit rationaliter et sapienter, prorsus sicut homo rationalis et sapiens in mundo, et quoque potest docere alios plura quae vitae moralis et civilis sunt; et si praedicator fuerat, potest etiam docere quae vitae spiritualis sunt. At cum ab externo hoc statu in internum suum mittitur, ac externus sopitur et internus expergiscitur, tunc, si malus est, mutatur scena; fit a rationali sensualis et a sapiente insanus; cogitat enim

tunc a voluntatis suae malo et ejus jucundo, ita ex propria intelligentia, ac non videt nisi quam falsum, et non agit nisi quam malum, credendo quod malitia sit sapientia, et quod astutia sit prudentia; et ex propria intelligentia credit se numen, et haurit tota mente artes nefandas. [**2.**] Tales insanias vidi pluries; et quoque quod in alternos illos status intra horae tempus bis aut ter missi sint; et tunc datum est illis videre suas insanias, et quoque agnoscere illas; at usque non voluerunt in statu rationali et morali manere, sed se ipsos sponte converterunt in statum internum sensualem et insanum; hunc enim amabant prae altero, quia in illo erat jucundum amoris vitae illorum. Quis potest credere, quod homo malus intra faciem suam talis sit, et quod talem metamorphosin subeat, cum intra illum venit? Ex sola hac experientia constare potest, qualis est propria intelligentia, quando ex malo voluntatis suae cogitat et agit. Aliter fit cum bonis: hi cum a statu externo in internum mittuntur, fiunt adhuc sapientiores et moratiores. [**3.**] Secundum: *Quod si propria intelligentia tunc videt verum, vel avertat se, vel falsificet illud.* Est homini proprium voluntarium, et est proprium intellectuale; proprium voluntarium est malum, et proprium intellectuale est falsum inde; hoc intelligitur per "voluntatem viri" et illud per "voluntatem carnis" (*Joh.* i. 13). Proprium voluntarium est in sua essentia amor sui, et proprium intellectuale est fastus ex illo amore; sunt hi bini sicut duo conjuges, et conjugium eorum vocatur conjugium mali et falsi. In hoc conjugium mittitur unusquisque malus spiritus, antequam in infernum; et cum ibi est, tunc non scit quid bonum, nam malum suum vocat bonum, sentit enim illud ut jucundum; et quoque tunc avertit se a vero, nec vult videre illud, quia falsum concordans cum suo malo videt sicut oculus pulchrum, et audit sicut auris harmonicum. [**4.**] Tertium: *Quod Divina Providentia continue faciat hominem videre verum, et quod etiam det affectionem percipiendi illud et recipiendi illud.* Hoc fit, quia Divina Providentia agit ab interiori, et per id influit in exteriora, seu a spirituali in illa quae sunt in naturali homine, ac per lucem caeli illuminat intellectum, et per calorem caeli vivificat voluntatem. Lux caeli in sua essentia est Divina Sapientia, et calor caeli in sua

essentia est Divinus Amor; et ex Divina Sapientia non aliud influere potest quam verum, et ex Divino Amore non aliud influere potest quam bonum, et ex hoc dat Dominus in intellectu affectionem videndi verum, et quoque percipiendi et recipiendi illud: sic fit homo non solum quoad externam faciem homo, sed etiam quoad internam. Quis non vult videri ut homo rationalis et spiritualis? Et quis non scit, quod velit videri ut ab aliis credatur quod sit verus homo? Si itaque solum est rationalis et spiritualis in externa forma, et non simul in interna, num ille est homo? num est aliud quam sicut histrio super theatro, aut sicut simia cui facies paene humana? Annon inde nosse potest, quod ille solum sit homo, qui interius est, sicut ab aliis vult videri; qui agnoscit unum, agnoscet alterum. Propria intelligentia solum potest externis inducere formam humanam, sed Divina Providentia inducit internis, et per interna externis illam formam; quae quando inducta est, homo non apparet ut homo, sed est homo. [**5.**] Quartum: *Quod homo per id abducatur a malo, non a se sed a Domino.* Quod cum Divina Providentia dat videre verum, et simul affectionem ejus, homo possit abduci a malo, est quia verum monstrat et dictat; et cum voluntas facit id, conjungit se cum illo, ac in se vertit verum in bonum; fit enim amoris ejus, et quod amoris est, hoc est bonum. Omnis reformatio fit per verum, et non absque illo, nam absque vero est voluntas continue in suo malo, et si consulit intellectum, non instruitur, sed confirmatur malum per falsa. [**6.**] Quod intelligentiam attinet, illa apparet ut sua atque propria tam apud hominem bonum quam apud hominem malum; et quoque tenetur bonus aeque agere ex intelligentia sicut propria, quemadmodum malus: sed qui credit Divinam Providentiam, ille abducitur a malo; at qui non credit, non abducitur: et ille credit, qui agnoscit malum esse peccatum, et ab illo vult abduci; et ille non credit qui non agnoscit et vult. Differentia inter binas illas intelligentias, est sicut inter id quod creditur esse in se, et inter id quod creditur non esse in se sed usque sicut in se; et est quoque sicut inter externum absque tali consimili interno, et inter externum cum consimili interno; ita sicut inter loquelas et gestus mimorum et hariolorum, qui agunt personas regum, principum et ducum, et inter ipsos

reges, principes et duces; hi interius et simul exterius tales sunt, illi autem modo exterius; quod cum exuitur, vocantur comoedi, histriones et ludiones.

299. (iv.) *Quod Dominus regat infernum per opposita; et quod malos qui in mundo sunt, regat in inferno quoad interiora, et non quoad exteriora.* Qui non scit quale caelum est et quale infernum, prorsus non scire potest qualis hominis mens est; mens hominis est ejus spiritus qui vivit post mortem. Causa est, quia mens seu spiritus hominis in omni forma est, in qua est caelum aut infernum; non differt quicquam, solum quod unum sit maximum, et alterum minimum, seu quod unum sit effigies et alterum typus: quare homo quoad mentem seu spiritum est in minima forma vel caelum vel infernum; est caelum qui a Domino ducitur, et est infernum qui a suo proprio. Nunc quia mihi datum est scire quale est caelum, et quale est infernum, ac interest scire qualis est homo quoad mentem seu spiritum suum, volo utrumque breviter describere.

300. Omnes qui in caelo sunt, non sunt nisi quam affectiones boni et inde cogitationes veri; et omnes qui in inferno sunt, non sunt nisi quam concupiscentiae mali et inde imaginationes falsi; quae utrinque ita ordinatae sunt, ut concupiscentiae mali ac imaginationes falsi in inferno prorsus oppositae sint affectionibus boni et cogitationibus veri in caelo; quare infernum est sub caelo, e diametro ei oppositum; ita e diametro sicut bini homines ex opposito sibi jacentes, aut stantes sicut antipodes, ita inversi, et conjuncti quoad plantas pedis, et calcitrantes. Quandoque etiam apparet infernum in tali situ seu versu respective ad caelum: causa est, quia illi qui [in] inferno sunt, concupiscentias mali faciunt caput, et affectiones boni pedes; at illi qui in caelo sunt, affectiones boni faciunt caput, et concupiscentias mali plantas pedis; inde oppositio mutua. Dicitur quod in caelo sint affectiones boni et inde cogitationes veri, et quod in inferno sint concupiscentiae mali et inde imaginationes falsi; et intelligitur quod sint spiritus et angeli qui tales; nam quisque est sua affectio aut sua concupiscentia; angelus caeli est sua affectio, et spiritus inferni sua concupiscentia.

301. Quod angeli caeli sint affectiones boni et inde

cogitationes veri, est quia sunt recipientes Divini Amoris et Divinae Sapientiae a Domino; ac omnes affectiones boni sunt ex Divino Amore, et omnes cogitationes veri sunt ex Divina Sapientia. Quod autem spiritus inferni sint concupiscentiae mali et inde imaginationes falsi, est quia in amore sui sunt et in propria intelligentia, et omnes concupiscentiae mali sunt ex amore sui, ac imaginationes falsi sunt ex propria intelligentia.

302. Ordinatio affectionum in caelo, et concupiscentiarum in inferno, est mirabilis, et soli Domino nota. Sunt utrinque distinctae in genera et species, ac ita conjunctae ut unum agant; et quia distinctae sunt in genera et species, distinctae sunt in societates majores et minores; et quia conjunctae sunt ut unum agant, conjunctae sunt sicut omnia quae apud hominem sunt. Inde caelum in sua forma est sicut homo pulcher, cujus anima est Divinus Amor et Divina Sapientia, ita Dominus; ac infernum in sua forma est sicut homo monstrosus, cujus anima est amor sui et propria intelligentia, ita diabolus: non enim est aliquis diabolus, qui solus est dominus ibi, sed amor sui ita vocatur.

303. Sed ut melius sciatur, quale est caelum et est infernum, pro affectionibus boni sumantur jucunda boni, et pro concupiscentiis mali sumantur jucunda mali; nam non datur affectio et concupiscentia absque jucundis, haec enim faciunt vitam cujusvis. Haec sunt quae ita distincta et conjuncta sunt, ut supra de affectionibus boni et de concupiscentiis mali dictum est. Jucundum suae affectionis implet et circumstipat unumquemvis angelum caeli, et quoque jucundum commune implet et circumstipat unamquamvis societatem caeli, et jucundum omnium simul seu communissimum universum caelum. Similiter jucundum suae concupiscentiae implet et circumstipat unumquemvis spiritum inferni, et jucundum commune unamquamvis societatem inferni, et jucundum omnium seu communissimum totum infernum. Quoniam, ut supra dictum est, affectiones caeli et concupiscentiae inferni sunt sibi e diametro oppositae, patet quod jucundum caeli sit tale injucundum in inferno ut illud non sustineant, et vicissim quod jucundum inferni sit tale injucundum in caelo, ut illud nec sustineant. Inde est antipathia, aversatio, et separatio.

304. Jucunda illa, quia faciunt vitam cujusvis in singulari, et omnium in communi, non sentiuntur ab illis qui in illis sunt, sed opposita sentiuntur quando appropinquant, imprimis cum vertuntur in odores ; quodlibet enim jucundum correspondet odori, ac in spirituali mundo in illud converti potest ; et tunc sentitur commune jucundum in caelo, sicut odor horti, cum varietate secundum fragrantia ibi ex floribus et fructibus ; et commune jucundum in inferno sentitur sicut stagnata aqua in quam conjectae sunt diversae sordes, cum varietate secundum maleolentia ex putribus et nidorosis inibi. Quomodo autem jucundum cujusvis affectionis boni in caelo, et jucundum concupiscentiae mali in inferno, sentitur, datum etiam est scire, sed prolixum foret hic illud exponere.

305. Audivi plures advenas e mundo conquestos, quod non sciverint quod sors vitae illorum foret secundum affectiones amoris illorum ; dicentes quod in mundo non de illis cogitaverint, minus de jucundis illorum, quia id amaverunt quod jucundum illis fuit ; et quod solum crediderint, quod cuivis sors esset secundum cogitationes ex intelligentia, imprimis secundum cogitationes ex pietate, et quoque ex fide. Sed illis responsum est, quod scire potuerint si voluerint, quod malum vitae sit ingratum caelo et injucundum Deo, ac gratum inferno ac jucundum diabolo ; et vicissim, quod bonum vitae sit gratum caelo ac jucundum Deo, ac ingratum inferno et injucundum diabolo, et inde quoque quod malum in se puteat, ac bonum in se fragret : et cum id potuerunt scire si voluerunt, cur non fugerunt mala ut infernalia et diabolica, et cur illis faverunt ex unica causa quia jucunda fuerunt? Et quia nunc sciunt quod jucunda mali tam tetre oleant, etiam scire possunt quod ita scatentes non in caelum venire possint. Post hoc responsum contulerunt se ad illos qui in similibus jucundis erant, quia ibi et non alibi respirare potuerunt.

306. Ex idea caeli et inferni nunc data constare potest qualis est mens hominis ; nam, ut dictum est, mens seu spiritus hominis est in minima forma vel caelum vel infernum ; quod nempe interiora ejus sint merae affectiones et inde cogitationes, distinctae in genera et species, sicut in societates majores et minores, ac conjunctae ut

unum agant; et quod Dominus illas regat similiter ut regit caelum aut infernum. Quod homo sit in minima forma vel caelum vel infernum, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, an. 1758, Londini edito (n. 51–87).

307. Nunc ad rem propositam, quod Dominus regat infernum per opposita, et quod malos, qui in mundo sunt, regat in inferno quoad interiora, et non quoad exteriora. Quod concernit Primum, *Quod Dominus regat infernum per opposita.* Supra (n. 288, 289), ostensum est, quod angeli caeli non in amore et sapientia, seu in affectione boni et inde cogitatione veri sint a se, sed a Domino; et quod e caelo influat bonum et verum in infernum, et quod ibi bonum vertatur in malum, et verum in falsum, ex causa quia interiora mentis eorum in contrario versu sunt. Nunc quia omnia inferni opposita sunt omnibus caeli, sequitur quod Dominus regat infernum per opposita. [**2.**] Secundum: *Quod Dominus malos, qui in mundo sunt, regat in inferno*, est quia homo quoad spiritum suum est in Mundo spirituali, et ibi in aliqua societate, in societate infernali si malus est, et in societate caelesti si bonus; mens enim hominis, quae in se est spiritualis, non potest alibi esse quam inter spirituales, inter quos etiam post mortem venit: quod ita sit, etiam supra dictum et ostensum est. Sed homo non est ibi quemadmodum spiritus qui societati inscriptus est; est enim homo continue in statu reformationis; quare secundum vitam suam et ejus mutationes transfertur a Domino ab una societate inferni in alteram, si malus est; at si se reformari patitur, educitur ex inferno, et subducitur in caelum, et quoque ibi transfertur ab una societate in alteram, et hoc usque ad mortem, post quam non amplius a societate in societatem ibi fertur, quia tunc non amplius in aliquo statu reformationis est, sed manet in illo in quo est secundum vitam. Quare dum homo moritur, inscriptus est suo loco. [**3.**] [r]Tertium: *Quod Dominus malos in mundo ita regat quoad interiora, aliter quoad exteriora.* Interiora mentis hominis regit Dominus sicut nunc dictum est, sed exteriora in mundo spirituum, qui medius est inter caelum et infernum. Causa est, quia homo ut plurimum alius est in externis quam est in internis; potest enim in externis mentiri lucis angelum, et tamen in internis esse spiritus tenebrarum; quare aliter

regitur externum ejus, et aliter internum ; externum regitur in mundo spirituum, internum autem in caelo vel in inferno, quamdiu in mundo est ; quare etiam cum moritur, primum venit in mundum spirituum, et ibi in externum suum, et hoc ibi exuitur ; quo exutus fertur in locum suum, cui inscriptus est. Quid mundus spirituum, et qualis ille, videatur in opere *De Caelo et Inferno*, Londini, an. 1758, edito (n. 421–535).

Quod Divina Providentia non appropriet alicui malum nec alicui bonum, sed quod propria prudentia utrumque appropriet.

308. Creditur paene ab unoquovis, quod homo cogitet et velit ex se, et inde loquatur et agat ex se. Quis aliud potest credere dum a se? cum apparentia quod ita sit, tam fortis est, ut nihil differat ab actualiter a se cogitare, velle, loqui et agere, quod tamen non dabile est. In *Sapientia Angelica De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est, quod unica Vita sit, et quod homines sint recipientes vitae; tum quod voluntas hominis sit receptaculum amoris, ac intellectus hominis sit receptaculum sapientiae, quae duo sunt unica illa Vita. Demonstratum etiam est, quod ex creatione sit, et inde ex Divina Providentia continue, ut vita illa appareat in homine, in tali similitudine, sicut esset ejus, proinde sicut propria; sed quod hoc sit apparentia, ob finem ut homo possit esse receptaculum. Demonstratum etiam est supra (n. 288–294), quod nullus homo cogitet ex se, sed ex aliis; et quod nec alii ex se, sed omnes ex Domino, ita tam malus quam bonus: tum quod hoc in orbe Christiano notum sit, imprimis apud illos qui non modo dicunt, sed etiam credunt, quod omne bonum et verum sit a Domino, tum quod omnis sapientia, ita fides et charitas; et quoque quod omne malum et falsum sit a diabolo seu ab inferno. [**2.**] Ex his omnibus non potest aliud conclusum sequi, quam quod omne influat quod homo cogitat et vult; et

quia omnis loquela fluit a cogitatione, sicut effectus a sua causa, et omnis actio a voluntate similiter, quod etiam omne id influat, quod homo loquitur et agit, tametsi derivative seu mediate. Quod omne influat quod homo videt, audit, odorat, gustat et sentit, non potest negari; quid non quod homo cogitat et vult? Num aliud potest esse discrimen, quam quod in organa sensuum externorum seu corporis influant talia quae in mundo naturali sunt, et quod in substantias organicas sensuum internorum seu mentis influant talia quae in mundo spirituali sunt? proinde quod sicut organa sensuum externorum seu corporis sunt receptacula objectorum naturalium, ita substantiae organicae sensuum internorum seu mentis sint receptacula objectorum spiritualium. Cum talis status est hominis, quid tunc est proprium ejus? et proprium ejus non est quod tale aut tale receptaculum sit, quia hoc proprium non aliud est quam quale ejus quoad receptionem, non autem est proprium vitae; per proprium enim a nemine intelligitur aliud, quam quod vivat ex se, et inde cogitet et velit ex se: sed quod hoc proprium non sit apud hominem, immo quod nec dari possit apud ullum, a supradictis consequitur.

309. Sed referam quid a quibusdam in mundo spirituali audivi; erant ex illis, qui crediderunt propriam prudentiam esse omne, ac Divinam Providentiam non aliquid. Dixi, quod non aliquod proprium homini sit, nisi velis id vocare proprium ejus, quod tale aut tale subjectum sit, seu tale aut tale organum, seu talis aut talis forma; sed hoc non est proprium quod intelligitur, est enim modo quale; at quod nulli homini aliquod proprium sit sicut proprium communiter intelligitur. Illi, qui prudentiae propriae addixerunt omnia, qui etiam vocari possunt proprietarii in imagine sua, excanduerunt ita, ut appareret flamma ex naribus, dicentes, "Loqueris paradoxa et insana; annon sic foret homo nihil et inane? vel foret idea et phantasia? vel foret sculptile aut statua?" [**2.**] Sed non potui aliter respondere, quam quod paradoxon et insanum sit credere, quod homo sit vita ex se, quodque sapientia et prudentia non influat a Deo, sed quod sint in homine, ita quoque bonum quod charitatis et verum quod fidei est. Haec sibi attribuere, ab omni sapiente vocatur

insanum, et inde quoque est paradoxon ; ac insuper sunt sicut illi, qui alterius domum et possessionem inhabitant, et cum in illis sunt, persuadent sibi quod suae sint, aut sicut oeconomi et dispensatores, qui omnia domini sui credunt esse sua ; et sicut servi ministratores, quibus dominus dedit talenta et minas ad negotiandum, non rationem redderent, sed retinerent ut sua, et sic fures agerent ; [**3.**] de his et illis dici potest quod insaniant, immo quod nihili et inanes, tum quod idealistae sint, quia bonum, quod est ipsum Esse vitae, non apud se a Domino habent, ita nec verum ; quare tales etiam vocantur "mortui," et quoque "nihili et inanes" (*Esai.* xl. 17, 23) ; et alibi, "formatores imaginis," tum "sculptilia" et "statuae." Sed de his plura in sequentibus, quae in hoc ordine lustrentur :—

(i.) *Quid Prudentia propria, et quid Prudentia non propria.*
(ii.) *Quod homo ex prudentia propria persuadeat sibi et confirmet apud se, quod omne bonum et verum sit a se et in se, similiter omne malum et falsum.*
(iii.) *Quod omne persuasum et confirmatum permaneat sicut proprium apud hominem.*
(iv) *Quod si homo crederet sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum ab inferno, non appropriaret sibi bonum et id meritorium faceret, nec appropriaret sibi malum, et se reum ejus faceret.*

310. (I.) *Quid Prudentia propria, et quid Prudentia non propria.*—In prudentia propria sunt, qui apparentias apud se confirmant, et illas faciunt veritates ; imprimis illam apparentiam, quod propria prudentia sit omne, et Divina Providentia non aliquid, nisi aliquod universale, quod tamen non dabile est absque singularibus ex quibus, ut supra ostensum est. Illi etiam sunt in fallaciis, nam omnis apparentia confirmata ut veritas fit fallacia ; et quantum se confirmant ex fallaciis, tantum fiunt naturalistae ; et tantum non credunt aliud, quam quod aliquo sensu corporis simul possunt percipere, imprimis sensu visus, quia hic praecipue unum agit cum cogitatione ; hi denique fiunt sensuales. Et si se confirmant pro natura contra Deum, claudunt interiora mentis suae, ac interponunt sicut velum, ac postea sub velo cogitant, nec aliquid quod supra illud est. Hi sensuales ab antiquis dicti fuerunt serpentes arboris scientiae. De his dicitur in mundo

spirituali, quod sicut se confirmant, ita mentis suae interiora occludant, usque tandem ad nasum, nasus enim significat perceptionem veri, et id non aliquam. Quales sunt nunc dicetur. [**2.**] Sunt prae aliis callidi et astuti, ac ratiocinatores ingeniosi; ac calliditatem et astutiam vocant intelligentiam et sapientiam; nec sciunt aliter. Illos, qui non tales sunt, spectant ut simplices et stupidos, imprimis cultores Dei, et confessores Divinae Providentiae. Quoad principia interiora mentis eorum, de quibus ipsi parum sciunt, sunt sicut illi qui vocantur Machiavelistae, qui homicidia, adulteria, furta et falsa testimonia in se spectata, nihili faciunt, et si ratiocinantur contra illa, est solum ex prudentia ne appareant tales. [**3.**] De vita hominis in mundo non aliter cogitant, quam quod illa sit similis vitae bestiae; et de vita hominis post mortem, quod sit sicut vapor vitalis, qui exsurgens e cadavere seu sepulcro relabitur, et sic moritur. Ex hac vesania est, quod spiritus et angeli sint aeres, et apud illos quibus injunctum est credere vitam aeternam, quod animae hominum similiter; et sic quod non videant, audiant et loquantur, proinde quod caeci, surdi et muti sint, et quod solum in particula aeris sui cogitent. Dicunt, Quomodo potest anima esse aliud? Nonne sensus externi una cum corpore mortui sunt? et quod illos non possint recipere priusquam anima reunitur cum corpore; et quia non aliter quam sensualiter et non spiritualiter comprehendere potuerunt statum animae post mortem, illum constabiliverunt; alioqui periisset fides de vita aeterna. Imprimis confirmant apud se amorem sui, illum vocantes vitae ignem, et excitamentum ad varios in regno usus. Et quia tales sunt, etiam sunt idola sui, ac cogitationes illorum, quia sunt fallaciae et ex fallaciis, sunt imagines falsi; et quia jucundis concupiscentiarum favent, sunt illi satanae et diaboli; satanae dicuntur qui concupiscentias mali apud se confirmant, et diaboli qui illas vivunt. [**4.**] Quales sunt sensuales homines astutissimi, etiam datum est scire. Infernum eorum est profunde a tergo, et volunt inconspicui esse; quare apparent ibi volantes sicut larvae, quae sunt phantasiae eorum, et vocantur genii. Quondam ex illo inferno aliqui emissi sunt, ut scirem quales sunt. Illi statim applicabant se cervici meae sub occipitio, et inde intrabant in

meas affectiones, non volentes in cogitationes, quas dextre evitabant; et affectiones meas variabant unam post alteram, animo flectendi illas insensibiliter in oppositas, quae sunt concupiscentiae mali; et quia nihil tangebant cogitationes, inflexissent et invertissent illas, me nesciente, nisi Dominus avertisset. [**5.**] Fiunt tales, qui in mundo non credunt dari aliquid Divinae Providentiae, et non aliud explorant apud alios, quam eorum cupiditates et desideria; et sic ducunt illos usque dum dominantur super illos. Et quia id tam clandestine et astute faciunt, ut alter non sciat, et sibi similes fiunt post mortem, ideo statim, dum in mundum spiritualem veniunt, in illud infernum dejiciuntur. Visi in luce caeli apparent absque naso; et quod mirum, est, quod, tametsi ita astuti sunt, usque sint sensuales prae reliquis. Quoniam antiqui sensualem hominem vocaverunt serpentem, et talis homo callidus, astutus et ratiocinator ingeniosus est prae aliis, ideo dicitur,

Quod serpens factus sit astutus prae omni fera agri (*Gen.* iii. 1).

et dicit Dominus,

"Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbae" (*Matth.* x. 16);

et quoque draco, qui etiam vocatur serpens antiquus, diabolus et satanas, describitur,

Quod haberet capita septem, et cornua decem, et super capitibus diademata septem (*Apoc.* xii. 3, 9);

per "capita septem" significatur astutia, per "cornua decem" significatur potentia persuadendi per fallacias, et per "diademata septem" significantur sancta Verbi et ecclesiae profanata.

311. Ex descriptione propriae prudentiae, et illorum qui in illa sunt, videri potest qualis est prudentia non propria, et quales illi qui in ea sunt; quod nempe prudentia non propria sit prudentia apud illos qui non apud se confirmant quod intelligentia et sapientia sint ex homine, dicentes "Quomodo quis potest sapere ex se, et quomodo quis potest bonum facere ex se?" Et hoc cum dicunt, vident in se quod ita sit, cogitant enim interius; et quoque credunt, quod alii similiter cogitent, imprimis eruditi, quia non sciunt quod aliquis solum exterius possit cogi-

tare. [2.] Non per aliquas confirmationes apparentiarum in fallaciis sunt; quare sciunt et percipiunt quod homicidia, adulteria, furta et falsa testimonia sint peccata, et fugiunt illa ideo; tum quod malitia non sit sapientia, et quod astutia non sit intelligentia; cum audiunt ratiocinationes ingeniosas ex fallaciis, mirantur et in se rident. Causa est, quia apud illos non est velum inter interiora et exteriora, seu inter spiritualia et naturalia mentis, sicut est apud sensuales; quare ex caelo recipiunt influxum, ex quo interius vident talia. [3.] Loquuntur simplicius et sincerius quam alii, ac in vita ponunt sapientiam, et non in sermone. Sunt respective sicut agni et oves, cum illi qui in prudentia propria sunt, sicut lupi et vulpes; et sunt sicut qui habitant in domo, et per fenestras vident caelum, illi autem qui in propria prudentia sunt, sunt sicut qui habitant in fundamento domus, et per suas fenestras non vident nisi quae sub terra sunt; et sunt sicut qui in monte stant, et vident illos qui in propria prudentia sunt sicut errantes in vallibus et in silvis. [4.] Ex his constare potest, quod prudentia non propria sit prudentia ex Domino, in simili apparentia in externis cum prudentia propria, sed in prorsus dissimili in internis; in internis apparet prudentia non propria in mundo spirituali sicut homo, at prudentia propria sicut simulacrum apparens vitale ex eo solo, quod illis qui in ea sunt, usque sit rationalitas et libertas seu facultas intelligendi et volendi, et inde loquendi et agendi; et quod per illas facultates possint simulare quod etiam homines sint. Quod talia simulacra sint, est quia mala et falsa non vivunt, sed solum bona et vera; et quia hoc ex rationalitate sua sciunt, nam si non scirent non simularent illa, possident vitale humanum in simulacris suis. [5.] Quis non scire potest, quod homo talis sit, qualis est interius? consequenter quod ille homo sit, qui interius est qualis vult videri exterius? et quod ille simulacrum sit, qui solum exterius homo est, et non interius? Cogita sicut loqueris pro Deo, pro religione, proque justitia et sinceritate, et eris homo; et tunc Divina Providentia erit prudentia tua, et videbis apud alios quod propria prudentia sit insania.

312. (ii.) *Quod homo ex prudentia propria persuadeat sibi, et confirmet apud se, quod omne bonum et verum sit a*

se et in se; similiter omne malum et falsum.—Fiat argumentatio per analogiam inter bonum et verum naturale, ac bonum et verum spirituale. Quaeritur, Quid verum et bonum in visu oculi? Annon id ibi est verum quod vocatur pulchrum, et ibi bonum quod vocatur jucundum? sentitur enim jucundum ex visis pulchris. Quid verum et bonum in auditu? Annon id ibi est verum quod vocatur harmonicum, et id ibi est bonum quod vocatur amoenum? sentitur enim amoenum ex auditis harmonicis. Similiter in aliis sensibus. Inde patet quid verum et bonum naturale. Expendatur nunc quid verum et bonum spirituale. Num verum spirituale est aliud quam pulchrum et harmonicum rerum et objectorum spiritualium? et num bonum spirituale est aliud quam jucundum et amoenum ex percepta illorum pulchritudine aut harmonia? [**2.**] Videatur nunc, num aliud dici possit de uno quam de altero; seu de spirituali quam de naturali. De naturali dicitur, quod pulchrum et jucundum in oculo influant ex objectis, et quod harmonicum et amoenum in aure influant ex instrumentis. Quid aliud est in substantiis organicis mentis? Dicitur de his quod illa insint, et de illis quod influant; sed si quaeritur, cur dicitur quod influant, non aliud responderi potest quam quia distantia apparet; at cur dicitur quod insint, non aliud responderi potest quam quia distantia non apparet: consequenter, quod apparentia distantiae sit quae facit, quod credatur aliud de illis quae homo cogitat et percipit, quam de illis quae videt et audit. Sed hoc cadit, dum scitur quod spirituale non sit in distantia sicut est naturale. Cogita de sole et luna, aut de Roma et Constantinopoli: annon sunt in cogitatione absque distantia, modo cogitatio illa non conjungitur cum experientia facta per visum aut per auditum? Cur itaque persuades tibi, quod quia distantia in cogitatione non apparet, bonum et verum, ut et malum et falsum sint ibi, et non influant? [**3.**] Addam his experientiam, quae in mundo spirituali communis est. Potest unus spiritus infundere suas cogitationes et affectiones in alterum spiritum, et hic non scit aliter quam quod id sit suae propriae cogitationis et affectionis; hoc vocatur ibi cogitare ex alio et cogitare in alio. Hoc millies vidi, et quoque centies ego feci; et tamen apparentia distantiae fuit insignis. Ast

ut primum sciverunt, quod alius esset qui intulit cogitationes et affectiones illas, indignati sunt, et se averterunt, agnoscentes tamen quod distans non appareat in visu interno seu cogitatione, nisi detegatur, sicut in visu [1]externo seu oculo, et quod inde credatur quod influat. [**4.**] Huic experientiae cottidianam meam adjiciam. Spiritus mali saepius in meam cogitationem injecerunt mala et falsa, quae apud me apparuerunt sicut in me et a me essent, seu quod ipse cogitarem illa; sed quia novi quod mala et falsa essent, inquisivi quinam illa injecerunt, ac detecti et abacti sunt; et erant in eximia a me distantia. Ex his constare potest, quod omne malum cum ejus falso influat ab inferno ac omne bonum cum ejus vero influat a Domino, et quod utrumque appareat sicut in homine.

313. Quales illi sunt qui in propria prudentia, et quales qui in prudentia non propria, et inde in Divina Providentia sunt, describitur in Verbo per Adamum et Chaivam uxorem ejus in horto Edenis, ubi binae arbores, una vitae, et altera scientiae boni et mali, et per eorum esum ex hac arbore. Quod per Adamum et Chaivam uxorem ejus in sensu interno seu spirituali intelligatur et describatur Antiquissima Domini Ecclesia in hac tellure, prae sequentibus nobilis et caelestis, videatur supra (n. 241); per cetera significantur haec sequentia: [**2.**] per "hortum Edenis" significatur sapientia hominum illius ecclesiae; per "arborem vitae" Dominus quoad Divinam Providentiam, et per "arborem scientiae" homo quoad propriam prudentiam; per "serpentem" sensuale et proprium hominis, quod in se est amor sui et fastus propriae intelligentiae, ita diabolus et satanas; per "esum ex arbore scientiae," appropriatio boni et veri, quod haec non a Domino et inde Domini sint, sed quod ab homine et inde hominis. Et quia bonum et verum sunt ipsa Divina apud hominem, per bonum enim intelligitur omne amoris, et per verum omne sapientiae, ideo si homo vindicat sibi illa ut sua, non potest aliter credere quam quod sit sicut Deus; quare dixit serpens,

> "Quo die comederitis de eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut Deus scientes bonum et malum" (*Genes.* iii. 5);

ita quoque faciunt illi qui in amore sui et inde fastu pro-

priae intelligentiae sunt, in inferno ; [**3.**] per damnationem "serpentis" significatur damnatio proprii amoris et propriae intelligentiae, per damnationem "Chaivae" damnatio proprii voluntarii, et per damnationem "Adami" damnatio proprii intellectualis, per "spinam et tribulum," quae terra germinabit illi, significatur mere falsum et malum ; per "ejectionem ex horto" significatur deprivatio sapientiae ; per "custoditionem viae ad arborem vitae" tutela Domini ne sancta Verbi et ecclesiae violentur ; per "folia ficus" per quae texerunt nuditates, significantur vera moralia, per quae velantur illa quae amoris et fastus eorum sunt ; et per "tunicas pellis," quibus postea vestiebantur, apparentiae veri, in quibus solis sunt. Hic est intellectus illorum spiritualis. Sed maneat qui vult in sensu litterae, sciat modo quod ille in caelo ita intelligatur.

314. Quales sunt illi, qui infatuati sunt ex propria intelligentia, constare potest ex [1]illorum imaginariis in rebus interioris judicii ; pro exemplo, de influxu, de cogitatione, deque vita. De *Influxu* inverse cogitant, ut quod visus oculi influat in visum internum mentis qui est intellectus ; et quod auditus auris influat in auditum internum, qui etiam est intellectus ; et non percipiunt quod intellectus ex voluntate influat in oculum et in aurem, et non modo faciat illos sensus, sed etiam utatur illis ut suis instrumentis in naturali mundo. Sed quia hoc non secundum apparentiam est, non percipiunt, solummodo si dicitur, quod naturale non influat in spirituale, sed quod spirituale in naturale ; at usque tunc cogitant, "Quid spirituale nisi quam purius naturale ?" tum "Annon apparet quod si oculus videt aliquod pulchrum, et auris audit aliquod harmonicum, mens, quae est intellectus et voluntas, delectetur ?" non scientes quod oculus non videat ex se, nec lingua gustet ex se, nec nares odorent ex [se], nec cuticula sentiat ex se ; sed quod sit mens seu spiritus hominis, qui illa ibi sensu percipit, et ex illo secundum quale ejus afficitur ; sed usque quod mens seu spiritus hominis non sentiat illa a se, sed a Domino, et quod aliter cogitare, sit ex apparentiis, et si confirmantur, ex fallaciis. [**2.**] De *Cogitatione*, dicunt, quod sit aliquod modificatum in aere, variatum secundum objecta, et ampliatum

secundum cultum ; ita quod ideae cogitationum sint imagines, sicut meteora, apparentes in aere ; et quod memoria sit tabula cui impressae sunt ; non scientes quod cogitationes sint aeque in substantiis pure organicis, sicut sunt visus et auditus in suis. Spectent modo cerebrum, et vïdebunt illud talibus substantiis plenum : laede illas et delirabis, ac perde illas et morieris. Quid autem cogitatio, et quid memoria, videatur supra (n. 279, fin.). [**3.**] De *Vita* non sciunt aliud, quam quod sit quaedam naturae activitas, quae se facit sentiri diversimode, sicut corpus quod vivit, se organice movet. Si dicitur quod sic natura vivat, hoc negant, sed quod natura det vivere. Si dicitur, "Annon tunc vita dissipatur, cum corpus moritur," respondent quod vita in particula aeris, quae vocatur anima, maneat. Si dicitur, Quid tunc Deus? Numne Ille est ipsa Vita? ad haec tacent, et non volunt edicere quod cogitant. Si dicitur, Velitisne quod Divìnus Amor et Divina Sapientia sint ipsa Vita? respondent, Quid amor et quid sapientia? Nam in suis fallaciis non vident quid haec, nec quid Deus. Haec adducta sunt, ut videatur quomodo homo a propria prudentia infatuatur, ex causa quia omnia ex apparentiis et inde fallaciis concludit.

[1]**316.** Quod propria prudentia persuadeat et confirmet, quod omne bonum et verum ab homine in homine sit, est quia propria prudentia est proprium intellectuale hominis influens ex amore sui, qui est proprium voluntarium hominis ; et proprium non potest aliter quam sua facere omnia ; non enim potest ab illo elevari. Omnes qui a Divina Domini Providentia ducuntur, elevantur a proprio, et tunc vident quod omne bonum et verum a Domino sit, immo etiam vident, quod id quod a Domino in homine est, sit perpetuo Domini, et nusquam hominis. Qui aliter credit, est sicut qui domini sui bona apud se deposita habet, ac illa sibi vindicat aut appropriat ut sua, qui non est dispensator sed est fur ; et quia proprium hominis non est nisi quam malum, quare ille etiam immergit illa suo malo, ex quo consumerentur, sicut uniones stercori aut liquori acetoso injectae.

317. (iii.) *Quod omne persuasum et confirmatum permaneat sicut proprium apud hominem.*—Creditur a multis, quod non videri aliquod verum ab homine possit, nisi ex

confirmatis, sed hoc est falsum. In illis quae civilia et oeconomica regni et reipublicae sunt, non videri potest utile et bonum, nisi sciantur plura statuta et sancita ibi; inque rebus judicii nisi sciantur leges; inque rebus naturalibus, ut in physicis, chymicis, anatomicis, mechanicis et aliis, nisi homo imbutus sit scientiis. Sed in puris rationalibus, moralibus et spiritualibus, apparent vera ex ipsa luce eorum, modo homo ex justa educatione aliquantum rationalis, moralis, et spiritualis factus est. Causa est, quia unusquisque homo quoad spiritum suum, qui est qui cogitat, est in mundo spirituali, ac unus inter illos ibi, proinde in luce spirituali, quae interiora intellectus ejus illustrat, et quasi dictat. Nam lux spiritualis in sua essentia est Divinum Verum Divinae Sapientiae Domini. Inde est quod homo possit analytice cogitare, de justo et recto in judiciis concludere, ac honestum in morali vita, et bonum in spirituali, videre; et quoque multa vera, quae non in tenebras cadunt nisi quam ex confirmatis falsis. Illa videt homo comparative vix aliter quam sicut videt animum alterius ex facie ejus, ac percipit affectiones ejus ex sono loquelae ejus, absque alia scientia quam quae cuivis insita est. Cur non homo suae vitae interiora, quae sunt spiritualia et moralia aliquatenus ex influxu videret, cum nullum animal est, quod non scit sua necessaria, quae sunt naturalia ex influxu? Avis scit nidos facere, ova ponere, pullos excludere, et novit suas escas; praeter mirabilia alia, quae vocantur instinctus.

318. Sed quomodo status hominis ex confirmationibus et inde persuasionibus mutatur, nunc dicetur, sed in hoc ordine. (1.) Quod nihil non confirmari possit, et quod falsum plus quam verum. [1](2.) Quod confirmato falso non appareat verum, sed quod ex confirmato vero appareat falsum. (3.) Quod posse confirmare quicquid lubet, non sit intelligentia, sed solum ingeniositas, dabilis etiam apud pessimos. (4.) Quod detur confirmatio intellectualis et non simul voluntaria, at quod omnis confirmatio voluntaria etiam sit intellectualis. (5.) Quod confirmatio mali voluntaria et simul intellectualis faciat, ut homo credat propriam prudentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid; non autem sola confirmatio intellectualis. (6.) Quod omne confirmatum ex voluntate et simul

intellectu permaneat in aeternum, non autem id quod modo confirmatum est ab intellectu. [2.] Quod attinet Primum, *Quod nihil non confirmari possit, et quod falsum prae vero:* quid non potest confirmari, cum ab atheis confirmatur, quod Deus non sit Creator universi, sed quod natura sit creatrix sui; quod religio sit modo vinculum, ac pro simplicibus et pro vulgo; quod homo sit sicut bestia, et quod moriatur similiter: cum confirmatur quod adulteria sint licita, similiter furta clandestina, fraudes, et machinationes dolosae; quod astutia sit intelligentia, ac malitia sapientia? Quis non confirmat suam haeresin? Annon volumina confirmationibus plena sunt pro binis regnantibus in Christiano Orbe? Fac decem haereses etiam abstrusas, et dic ingenioso ut confirmet, et confirmabit omnes. Si illas dein videris solum ex confirmatis, annon visurus es falsa ut vera? Quoniam omne falsum lucet in naturali homine ex apparentiis et fallaciis ejus, et non verum nisi in spirituali homine, patet, quod falsum prae vero possit confirmari. [3.] Ut sciatur, quod omne falsum et omne malum possit confirmari usque ut falsum appareat sicut verum, ac malum sicut bonum, sit pro exemplo: confirmetur, quod lux sint tenebrae et tenebrae lux. Potestne dici, "Quid lux in se? Num sit nisi quoddam apparens in oculo secundum statum ejus? Quid lux clauso oculo? Annon vespertilionibus et noctuis tales oculi sunt? videntne lucem ut tenebras, ac tenebras ut lucem? Audivi de quibusdam quod similiter viderint; deque infernalibus quod tametsi in tenebris sunt, usque se mutuo videant. Annon lux est homini in somniis in media nocti. Annon sic tenebrae sunt lux, et lux tenebrae?" Sed responderi potest, "Quid hoc? Lux est lux sicut verum est verum, et tenebrae sunt tenebrae sicut falsum est falsum." [4.] Sit adhuc exemplum: confirmetur quod corvus sit albus. Annon potest dici, "Nigredo ejus est modo umbra, quae non est reale ejus? Sunt pennae ejus intus albae, corpus similiter; sunt haec substantiae ex quibus ille: quia nigredo ejus est umbra, ideo albescit corvus cum fit senex; visi sunt tales. Quid nigrum in se nisi quam album? Mole vitrum nigrum, et videbis quod pulvis sit albus; quare cum vocas corvum nigrum, loqueris ex umbra, et non ex reali." Sed

responderi potest, "Quid hoc? sic dicerentur omnes aves albae." Haec tametsi contra sanam rationem sunt, adducta sunt, ut videri possit, quod falsum prorsus oppositum vero, ac malum prorsus oppositum bono, possit confirmari. [**5.**] Secundum: *Quod confirmato falso non appareat verum, sed quod ex confirmato vero appareat falsum.*—Omne falsum est in tenebris, et omne verum in luce, ac in tenebris non apparet aliquid, immo nec scitur quid, nisi palpando; aliter in luce. Quare etiam in Verbo falsa vocantur tenebrae, et inde illi qui in falsis sunt, dicuntur ambulare in tenebris et in umbra mortis; et vicissim ibi vera vocantur lux, et inde illi qui in veris sunt, dicuntur ambulare in luce, et vocantur filii lucis. [**6.**] Quod confirmato falso non appareat verum, et quod ex confirmato vero appareat falsum, patet a multis: ut, quis videret aliquod verum spirituale, nisi Verbum id doceret? Foretne mera caligo, quae non discuti potuit, nisi quam per lucem in qua Verbum est, et nisi apud illum, qui vult illustrari? Quis haereticus potest falsa sua videre, nisi admittat genuinum ecclesiae verum; prius non videt illud. Locutus sum cum illis qui se in fide separata a charitate confirmaverunt, ac interrogati numne viderint tam multa in Verbo de amore et charitate, de operibus et factis, de custodiendis praeceptis, et quod beatus et sapiens sit qui facit, ac stultus qui non facit; dixerunt quod illa dum legerunt, non viderint aliter quam quod sint fides, et sic illa sicut occlusis oculis praeteriverint. [**7.**] Illi qui in falsis se confirmaverunt sunt sicut qui in pariete vident striaturas, et cum in umbra vesperae sunt striatum illud in phantasia vident sicut equitem aut hominem, quae imago visionaria dissipatur a luce diei influente. Quis potest sentire immundum spirituale adulterii, nisi qui est in mundo spirituali castitatis? Quis potest sentire crudele vindictae, nisi qui in bono ex amore proximi est? Quis adulter et quis cupidus vindictae non subsannat illos qui jucunda illorum vocant infernalia, ac vicissim jucunda amoris conjugialis et amoris proximi caelestia? et sic porro. [**8.**] Tertium:—*Quod posse confirmare quicquid lubet, non sit intelligentia, sed solum ingeniositas, dabilis etiam apud pessimos.*—Dantur confirmatores dexterrimi, qui non sciunt aliquod verum, et usque possunt confirmare

et verum et falsum, et aliqui eorum dicunt, "Quid verum? Num sit? Annon id est verum quod facio verum?" Et usque hi in mundo creduntur intelligentes, et tamen non sunt nisi quam incrustatores parietis. Non alii sunt intelligentes, quam qui percipiunt verum esse verum, et hoc per veritates continue perceptas confirmant. Hi et illi parum discerni possunt, quia non discerni potest inter lucem confirmationis et lucem perceptionis veri; nec apparet aliter quam quod illi qui in luce confirmationis sunt, etiam in luce perceptionis veri sint, cum tamen discrimen est sicut inter lucem fatuam et lucem genuinam; et lux fatua in mundo spirituali est talis, ut vertatur in tenebras influente luce genuina. Talis fatua lux est apud multos in inferno, qui dum in lucem genuinam emittuntur, prorsus nihil vident: ex quibus patet, quod posse confirmare quicquid lubet, sit modo ingeniositas, dabilis etiam apud pessimos. [**9.**] Quartum:—*Quod detur confirmatio intellectualis et non simul voluntaria, et quod omnis confirmatio voluntaria etiam sit intellectualis.*—Sint exempla illustrationi. Illi qui confirmant fidem separatam a charitate, et usque vitam charitatis vivunt, in genere qui confirmant falsum doctrinae et tamen non vivunt secundum illud, sunt qui in confirmatione intellectuali sunt, et non simul in confirmatione voluntaria: at qui confirmant falsum doctrinae, et vivunt secundum illud, illi sunt qui in confirmatione voluntaria et simul in intellectuali sunt. Causa est, quia intellectus non influit in voluntatem, sed voluntas in intellectum. Ex his etiam patet quid falsum mali est, et quid falsum non mali: quod falsum non mali possit conjungi cum bono, non autem falsum mali, causa est, quia falsum non mali est falsum in intellectu et non in voluntate, et falsum mali est falsum in intellectu ex malo in voluntate. [**10.**] Quintum: *Quod confirmatio mali voluntaria et simul intellectualis faciat, ut homo credat propriam prudentiam esse omne, et Divinam Providentiam non aliquid; non autem sola confirmatio intellectualis.*—Sunt plures qui apud se confirmant propriam prudentiam ex apparentiis in mundo, sed usque non negant Divinam Providentiam; his est modo confirmatio intellectualis; at qui simul negant Divinam Providentiam, illis quoque est confirmatio voluntaria; at haec una cum persuasione est praecipue

apud illos qui cultores naturae et simul cultores sui sunt. [II.] Sextum: *Quod omne confirmatum voluntate et simul ab intellectu permaneat in aeternum; non autem id quod modo confirmatum est ab intellectu:* id enim quod solius intellectus est, non est in homine, sed est extra illum; est solum in cogitatione; et nihil intrat hominem, et ei appropriatur, nisi quod excipitur a voluntate, hoc enim fit amoris vitae ejus; quod hoc permaneat in aeternum, in nunc sequenti numero dicetur.

319. Quod omne confirmatum voluntate et simul ab intellectu permaneat in aeternum, est quia quisque est suus amor, et amor est voluntatis ejus; tum quia quisque homo est suum bonum aut suum malum; nam omne id bonum dicitur quod est amoris, similiter malum. Quoniam homo est suus amor, est quoque forma sui amoris, ac vocari potest organum amoris vitae suae. Supra (n. 279) dictum est, quod affectiones amoris et inde cogitationes hominis sint mutationes et variationes status et formae substantiarum organicarum mentis ejus; nunc dicetur, quid et quales sunt illae mutationes et variationes. Idea illarum potest comparari a corde et pulmone, quod sint expansiones et compressiones, seu dilatationes et contractiones alternae, quae in corde vocantur systole et diastole, in pulmone respirationes; quae sunt extensiones et retentiones, sive diductiones et coarctationes lobulorum ejus reciprocae: hae sunt mutationes et variationes status cordis et pulmonis. Similes dantur in reliquis visceribus corporis, et quoque consimiles in partibus eorum, per quas sanguis et succus animalis recipitur et promovetur. [2.] Similes etiam dantur in formis organicis mentis, quae sunt subjecta affectionum et cogitationum hominis, ut supra ostensum est; cum differentia, quod harum expansiones et compressiones, seu reciprocationes, sint in tali superiore perfectione respective, ut non vocibus linguae naturalis possint exprimi, solum vocibus linguae spiritualis, quae non aliter sonare possunt, quam quod sint ingyrationes et egyrationes vorticillares, ad modum perpetuarum et inflexarum helicum, in formas vitae receptivas mirifice confasciatarum. [3.] Quales autem hae substantiae et formae pure organicae sunt apud malos, et quales apud bonos, nunc dicetur. Apud bonos sunt illae spira-

tae antrorsum, apud malos autem retrorsum; et quae spiratae sunt antrorsum, versae sunt ad Dominum, et ab Ipso recipiunt influxum; at quae spiratae sunt retrorsum, versae sunt ad infernum, et inde recipiunt influxum. Sciendum est, quod quantum retrorsum versae sunt, tantum a tergo apertae sint, et a facie clausae; ac vicissim, quod quantum antrorsum versae sunt, tantum a facie apertae sint, et a tergo clausae. [4.] Ex his constare potest, qualis forma seu quale organum est homo malus, et qualis forma seu quale organum est homo bonus, quod sint in contrario versu; et quia versus semel inductus non retorqueri potest, patet, quod qualis est cum moritur, talis permaneat in aeternum. Amor voluntatis hominis est, qui facit illum versum, seu qui convertit et invertit, nam ut supra dictum est, quisque homo est suus amor. Inde est, quod quisque post mortem eat viam amoris sui, ad caelum qui in amore bono est, et ad infernum qui in amore malo est; nec quiescit quam in illa societate ubi ejus amor regnans est: et quod mirum est, quisque novit viam; est sicut naribus odoret illam.

320. (iv.) *Quod si homo crederet sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum ab inferno, non appropriaret sibi bonum, et id meritorium faceret, nec appropriaret sibi malum, ac se reum ejus faceret.*—Sed haec quia sunt contra fidem illorum, qui apud se confirmaverunt apparentiam, quod sapientia et prudentia ab homine sint, et non influant secundum statum organizationis mentis eorum, (de qua mox supra, n. 319,) ideo demonstranda sunt: quod ut fiat distincte, erit in hoc ordine:—(1.) Quod qui confirmat apud se apparentiam, quod sapientia et prudentia sint ab homine et inde in illo ut ejus, non videre possit aliter, quam quod alioqui non foret homo, sed vel bestia, vel sculptile; cum tamen contrarium est. (2.) Quod credere et cogitare sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum ab inferno, appareat sicut impossibile, cum tamen id est vere humanum et inde angelicum. (3.) Quod ita credere et cogitare sit impossibile illis, qui non agnoscunt Divinum Domini, et qui non agnoscunt mala esse peccata; at quod possibile sit illis, qui duo illa agnoscunt. (4.) Quod qui in duabus illis agnitionibus

sunt, solum reflectant super mala apud se, et illa a se ad infernum, unde sunt, rejiciant, quantum illa ut peccata fugiunt et aversantur. (5.) Quod sic Divina Providentia non appropriet alicui malum, nec alicui bonum, sed quod propria prudentia utrumque appropriet.

321. Sed haec in proposito ordine explicentur. Primum : *Quod qui confirmat apud se apparentiam, quod sapientia et prudentia sint ab homine et in homine ut ejus, non videre possit aliter, quam quod alioqui non foret homo, sed vel bestia, vel sculptile ; cum tamen contrarium est.* Ex lege Divinae Providentiae est, ut homo cogitet sicut a se, utque prudenter agat sicut a se, sed usque ut agnoscat, quod sit a Domino. Inde sequitur quod qui cogitat et prudenter agit sicut a se, et simul agnoscit quod sit a Domino, ille sit homo ; non autem ille, qui confirmat apud se, quod omne quod cogitat et quod agit, sit ex se ; tum nec ille, qui quia scit quod sapientia et prudentia a Deo sunt, usque exspectat influxum. Hic enim fit sicut sculptile, et ille sicut bestia. Quod ille qui exspectat influxum sit sicut sculptile, patet ; oportet enim ut is stet vel sedeat immotus, manibus remissis, oculis vel clausis vel apertis absque nictu, non cogitando nec animando. Quid tunc vitae illi est? [**2.**] Quod ille qui credit quod omnia quae cogitat et agit, sint ex se, non dissimilis bestiae sit, etiam patet ; nam cogitat solum ex mente naturali, quae homini communis est cum bestiis, et non ex mente rationali spirituali, quae est mens vere humana ; haec enim mens agnoscit, quod solus Deus cogitet ex se, et quod homo ex Deo : quare etiam talis non scit discrimen inter hominem et bestiam aliud quam quod homo loquatur et bestia sonet ; et credit quod uterque moriatur similiter. [**3.**] De illis qui expectant influxum adhuc aliquid dicetur. Illi non recipiunt aliquem, nisi quam pauci qui ex corde desiderant illum, hi quandoque recipiunt aliquod responsum per vivam perceptionem in cogitatione, vel per tacitam loquelam in illo, et raro per manifestam ; et tunc hoc, ut cogitent et agant sicut volunt et sicut possunt, et quod qui sapienter agit sapiens sit, et qui stulte agit stultus sit ; et nusquam instruuntur quid crediturі et quid facturi sint ; et hoc ex causa, ne rationale et liberum humanum pereat ; quod est, ut quisque ex libero secundum rationem agat,

cum omni apparentia sicut ex se. Illi qui per influxum instruuntur quid crediturі aut quid facturi sint, non instruuntur a Domino, nec ab aliquo angelo caeli, sed a quodam spiritu Enthusiastico, Quaqueriano, vel Moraviano, et seducuntur. Omnis influxus a Domino fit per illustrationem intellectus, et per affectionem veri, et per hanc in illam. [**4.**] Secundum: *Quod credere et cogitare sicut veritas est, quod omne bonum et verum sit a Domino, ac omne malum et falsum ab inferno, appareat sicut impossibile; cum tamen id est vere humanum et inde angelicum.*— Credere et cogitare quod omne bonum et verum sit a Deo, apparet possibile, modo non aliquid ultra dicatur; causa est, quia est secundum fidem theologicam, contra quam non licet cogitare. At credere et cogitare quod omne malum et falsum sit ex inferno, apparet impossibile, quia sic etiam crederetur, quod homo nihil posset cogitare. Sed usque cogitat homo sicut ex se, tametsi ex inferno; quia Dominus dat cuivis, quod cogitatio, undecunque sit, appareat in illo sicut sua; alioqui homo non viveret homo, nec posset educi ex inferno, ac introduci in caelum, hoc est, reformari, ut multis supra ostensum est. [**5.**] Quare etiam Dominus dat homini scire et inde cogitare quod in inferno sit si in malo, et quod ex inferno cogitet si ex malo; et quoque dat cogitare media, quomodo possit ab inferno exire, et non cogitare ex illo, sed venire in caelum et ibi cogitare ex Domino; et quoque dat homini liberum electionis. Ex quibus videri potest, quod homo possit cogitare malum et falsum sicut ex se, et quoque cogitare quod id et illud sit malum et falsum; proinde quod sit modo apparentia quod a se, sine qua homo non foret homo. Ipsum humanum et inde angelicum est cogitare ex veritate; et hoc veritas est, quod homo non cogitet ex se, sed quod ei detur a Domino cogitare, in omni apparentia ut ex se. [**6.**] Tertium: *Quod ita credere et cogitare sit impossibile illis qui non agnoscunt Divinum Domini, et qui non agnoscunt mala esse peccata; et quod possibile sit illis qui duo illa agnoscunt.*— Quod id impossibile sit illis qui non agnoscunt Divinum Domini, est quia solus Dominus dat homini cogitare et velle; et qui non agnoscunt Divinum Domini, illi sejuncti ab Ipso credunt quod cogitent a se. Quod impossibile

etiam sit illis qui non agnoscunt mala esse peccata, est quia hi cogitant ex inferno, et quisque ibi putat quod a se cogitet. Quod autem possibile sit illis qui duo illa agnoscunt, constare potest ex illis quae supra (n. 288–294) in copia allata sunt. [**7.**] Quartum: *Quod qui in duabus illis agnitionibus sunt, solum reflectant super mala apud se, ac illa ad infernum, unde sunt, rejiciant, quantum illa ut peccata fugiunt et aversantur.*—Quis non scit, vel scire potest, quod malum sit ab inferno, et quod bonum e caelo? Et quis non inde scire potest, quod quantum homo fugit et aversatur malum, tantum fugiat et aversetur infernum? Et quis inde non scire potest, quod, quantum quis malum fugit et aversatur, tantum velit et amet bonum; proinde quod tantum a Domino ab inferno eximatur, et ad caelum ducatur? Haec omnis rationalis homo, modo scit quod infernum et caelum sint, et quod malum sit a sua origine et bonum a sua, videre potest. Nunc si homo reflectit super mala apud se, (quod idem est cum explorare se,) et fugit illa, tunc evolvit se ab inferno, et hoc rejicit ad tergum; ac immittit se in caelum, et ibi Dominum spectat a facie. Dicitur quod homo hoc faciat, sed facit id sicut a se, tunc ex Domino. Cum homo agnoscit hoc verum ex bono corde et ex pia fide, tunc latet id intus in omni quod postea sicut ex se cogitat et facit; quemadmodum prolificum in semine, quod intus comitatur usque ad novum semen; et quemadmodum volupe in appetitu cibi, quem semel agnovit sibi salutiferum esse; verbo, est sicut cor et anima in omni quod cogitat et facit. [**8.**] Quintum: *Quod sic Divina Providentia non appropriet alicui malum nec alicui bonum, sed quod propria prudentia appropriet utrumque.*—Hoc consequitur ex omnibus quae nunc dicta sunt. Finis Divinae Providentiae est bonum; hoc itaque in omni operatione intendit. Quare non appropriat alicui bonum, nam sic illud fieret meritorium; nec appropriat alicui malum, nam sic illum reum mali faceret. Utrumque tamen facit homo ex proprio, quia hoc non est nisi quam malum; proprium voluntatis ejus est amor sui, ac proprium intellectus ejus est fastus propriae intelligentiae; et ex hoc est propria prudentia.

QUOD OMNIS HOMO REFORMARI POSSIT, ET QUOD PRAEDESTIATIO NON DETUR.

322. Sana ratio dictat, quod omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infernum; sunt enim omnes nati homines, et inde imago Dei in illis est. Imago Dei in illis est, quod possint intelligere verum, et quod possint facere bonum. Posse intelligere verum est ex Divina Sapientia, ac posse facere bonum est ex Divino Amore; illa potentia est imago Dei, quae manet apud hominem sanum, et non eradicatur. Inde est quod possit fieri homo civilis et moralis, et qui est civilis et moralis, is etiam potest fieri spiritualis, nam civile et morale est receptaculum spiritualis. Civilis homo dicitur, qui scit leges sui regni ubi est civis, et vivit secundum illas; et moralis homo dicitur, qui leges illas facit mores suos, et virtutes suas, et ex ratione illas vivit. [**2.**] Nunc dicam quomodo vita civilis et moralis est receptaculum vitae spiritualis: Vive illas leges non modo ut leges civiles et morales, sed etiam ut Leges Divinas, et eris homo spiritualis. Vix datur gens tam barbara, quae non per leges sancivit, quod non occidendum sit, non cum alterius uxore scortandum, non furandum, non false testandum, non violandum quod alterius est. Has leges civilis et moralis homo servat, ut sit vel ut appareat bonus civis; sed si illas leges non simul Divinas facit, est modo civilis et moralis homo naturalis; at si illas etiam Divinas facit, fit civilis et moralis homo spiritualis. Differentia est, quod hic non sit modo bonus civis regni terrestris, sed etiam bonus civis regni caelestis, ille autem bonus civis regni terrestris non autem regni caelestis. Bona, quae faciunt, distinguunt illos; bona quae civiles et morales naturales faciunt, non sunt bona in se, est enim homo et mundus in illis; bona quae civiles et morales spirituales faciunt, sunt bona in se, quia Dominus et caelum in illis est. [**3.**] Ex his constare potest, quod quisque homo, quia natus est ut fieri possit civilis et moralis naturalis, etiam natus sit ut fieri possit civilis et moralis spiritualis; est modo ut agnoscat Deum, et non faciat mala quia contra Deum sunt, sed faciat bona quia cum Deo sunt; per hoc venit spiritus in civilia et moralia

ejus, et vivunt; at absque eo non est aliquis spiritus in illis, et inde non vivunt. Quare naturalis homo, utcunque civiliter et moraliter agit, vocatur mortuus, at spiritualis homo vivus. [**4.**] Ex Divina Domini Providentia est, quod cuivis genti sit aliqua religio, et primarium omnis religionis est, agnoscere quod sit Deus, nam alioqui non vocatur religio; et omnis gens quae vivit suam religionem, hoc est, quae non facit malum quia est contra suum Deum, recipit aliquod spirituale in suo naturali. Quis, cum audit aliquem Gentilem dicentem, quod hoc et illud malum non velit facere, quia est contra suum Deum, non secum dicit, "Annon hic salvatur? Apparet sicut non possit aliter." Hoc dictat ei sana ratio. Et vicissim, quis, cum audit Christianum dicentem, "Hoc et illud malum nihili facio; quid hoc quod dicatur esse contra Deum?" non secum dicit, "Num hic salvatur? apparet sicut non possit." Hoc etiam sana ratio dictat. [**5.**] Si dicit, "Sum natus Christianus, sum baptizatus, novi Dominum, legi Verbum, obivi Sacramentum Cenae;" num haec sunt aliquid, cum homicidia aut vindictas quae illa spirat, adulteria, furta clandestina, falsa testimonia aut mendacia, et varias violentias, non facit peccata? Num talis cogitat de Deo, aut de aliqua vita aeterna? Num cogitat quod sint? Dictatne sana ratio, quod talis salvari non possit? Haec de Christiano dicta sunt; quia Gentilis plus quam Christianus ex religione in vita sua de Deo cogitat. Sed de his plura in sequentibus dicentur, in hoc ordine.

(i.) *Quod finis creationis sit caelum ex humano genere.*
(ii.) *Quod inde ex Divina Providentia sit, quod unusquisque homo possit salvari, et quod salventur qui Deum agnoscunt et bene vivunt.*
(iii.) *Quod ipse homo in culpa sit, si non salvatur.*
(iv.) *Quod sic omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infernum.*

323. (i.) *Quod finis creationis sit caelum ex humano genere.*—Quod caelum non ex aliis consistat, quam qui nati sint homines, in opere *De Caelo et Inferno*, (Londini, an. 1758 edito,) et quoque supra, ostensum est; et quia caelum non ex aliis consistit, sequitur quod finis creationis sit caelum ex humano genere. Quod ille creationis finis fuerit, quidem supra n. 27 ad 45, demonstratum est;

sed idem adhuc manifestius videbitur ex his explicatis. (1.) Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum. (2.) Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum in statu beato. (3.) Quod sic omnis homo creatus sit ut in caelum veniat. (4.) Quod Divinus Amor non possit aliter quam id velle, et quod Divina Sapientia non possit aliter quam id providere.

324. Quoniam ex his quoque videri potest, quod Divina Providentia non sit alia praedestinatio quam ad caelum, et quod nec in aliam mutari possit, demonstrandum hic est, quod finis creationis sit caelum ex humano genere, in proposito ordine. Primum: *Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum.* In transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, Parte Tertia et Quinta, ostensum est, quod apud hominem sint tres gradus vitae, qui vocantur naturalis, spiritualis, et caelestis, et quod hi gradus actualiter apud unumquemvis sint; et quod apud bestias non sit nisi quam unus gradus vitae, qui est similis ultimo gradui apud hominem, qui vocatur naturalis. Ex quo sequitur, quod homo per elevationem vitae suae ad Dominum sit prae bestiis in illo statu, ut possit intelligere tale quod Divinae Sapientiae, ac velle tale quod Divini Amoris est, ita Divinum recipere; et qui Divinum recipere potest, ita ut videat et percipiat illud in se, ille non potest aliter quam conjunctus Domino esse, et per conjunctionem illam vivere in aeternum. [**2.**] Quid Dominus cum omni creatione universi, nisi etiam creavisset imagines et similitudines Sui, quibus communicare possit suum Divinum? Alioqui quid foret aliud quam facere ut aliquid sit et non sit, seu ut aliquid existat et non existat, hoc non propter aliud, quam ut posset e longinquo contemplari meras vicissitudines, ac continuas variationes sicut super aliquo theatro? Quid Divinum in illis, nisi forent propter finem, ut inservirent subjectis quae Divinum recipirent propius, ac viderent et sentirent id? Et quia Divinum est inexhaustae gloriae, num id apud se solum retineret, et num hoc posset? Amor enim vult suum communicare alteri, immo dare ex suo quantum potest. Quid non Divinus Amor, qui est infinitus? Num dare potest et rursus auferre? Foretne hoc dare quod periturum est? quod intus in se non est aliquid, quia cum perit fit nihil, non est Est in illo. Sed

dat quod Est, seu quod non desinit esse, et hoc est aeternum. [3.] Ut omnis homo vivat in aeternum, aufertur id quod est mortale apud illum. Mortale ejus est materiale corpus, quod aufertur per ejus mortem. Sic nudatur immortale ejus, quod est mens ejus, et fit tunc spiritus in forma humana; mens ejus est ille spiritus. Quod mens hominis non mori possit, viderunt sophi seu sapientes antiqui; dixerunt enim, Quomodo potest animus seu mens mori, cum potest sapere? Interiorem eorum ideam de eo pauci hodie sciunt; sed fuit illa, quae in communem illorum perceptionem e caelo illapsa est, quod Deus sit ipsa Sapientia, cujus particeps est homo, et Deus immortalis seu aeternus est. [4.] Quoniam mihi datum est loqui cum angelis, etiam aliquid ab experientia dicam. Locutus sum cum illis qui ante multa saecula vixerunt, cum illis qui ante diluvium, et cum quibusdam post diluvium, cumque illis qui tempore Domini vixerunt, et cum uno ex Apostolis Ipsius, et cum pluribus qui in saeculis postea; et omnes illi visi sunt sicut homines in media aetate, et dixerunt quod nesciant quid mors, solum quod sit damnatio. Omnes etiam qui bene vixerunt, dum in caelum veniunt, in aetatem suam in mundo juvenilem veniunt, et illa manent in aeternum; etiam qui senes et decrepiti fuerunt in mundo; ac feminae, tametsi fuerunt vetulae et anus, in florem suae aetatis et pulchritudinis redeunt. [5.] Quod homo post mortem vivat in aeternum, patet ex Verbo, ubi vita in caelo vocatur "vita aeterna"

(Ut *Matth.* xix. 29; xxv. 46; *Marc.* x. 17; *Luc.* x. 25; xviii. 30; *Joh.* iii 15, 16, 36; v. 24, 25, 39; vi. 27, 40, 68; xii. 50):

tum etiam simpliciter "vita"

(*Matth.* xviii. 8, 9; *Joh.* v. 40; xx. 31).

Dominus etiam dixit ad discipulos,

"Quia Ego vivo, etiam vos vivetis" (*Joh.* xiv. 19):

et de resurrectione, quod

Deus sit "Deus viventium, et non Deus mortuorum;" tum Quod non mori amplius possint (*Luc.* xx. 36, 38).

[6.] Secundum: *Quod omnis homo creatus sit ut vivat in aeternum in statu beato*, est consequens; nam qui vult ut homo vivat in aeternum, vult etiam ut vivat in statu beato. Quid vita aeterna absque illo? Omnis amor vult alterius

bonum, amor parentum vult bonum liberorum; amor sponsi et mariti vult bonum sponsae et uxoris; et amor amicitiae vult bonum amicorum. Quid non Divinus Amor? Et bonum quid aliud est quam jucundum? et Divinum Bonum quid aliud quam beatum aeternum? Omne bonum ex jucundo seu beato sui dicitur bonum: bonum quidem vocatur id quod datur et possidetur; sed nisi etiam sit jucundum, est bonum sterile, quod in se non est bonum. Ex his patet, quod vita aeterna etiam sit beatum aeternum. Hic status hominis est finis creationis; at quod solum illi qui in caelum veniunt in illo statu sint, non est Dominus in culpa, sed est homo; quod homo sit in culpa, videbitur in sequentibus. [**7.**] Tertium: *Quod sic omnis homo creatus sit, ut in caelum veniat.* Hoc finis creationis est: sed quod non omnes veniant in caelum, est quia imbuunt jucunda inferni opposita beato caeli; et qui non in beato caeli sunt, non possunt intrare caelum, non enim sustinent illud. Nemini, qui in mundum spiritualem venit, negatur ascendere in caelum; sed qui in jucundo inferni est, dum illuc venit, palpitat corde, laborat respiratione, vita incipit perire, angitur, cruciatur, et se volvit sicut serpens admotus igni; hoc sic, quia oppositum agit in oppositum. [**8.**] Sed usque quia homines nati sunt, et per id in facultate cogitandi et volendi, et inde in facultate loquendi et agendi sunt, non possunt mori: at quia non cum aliis possunt vivere quam cum illis qui in simili jucundo vitae sunt, ad illos remittuntur; consequenter qui in jucundis mali sunt, ad suos; et qui in jucundis boni sunt ad suos. Immo datur cuivis in jucundo sui mali esse, modo non infestet illos qui in jucundo boni sunt; sed quia malum non potest aliter quam infestare bonum, inest enim malo odium contra bonum, quare ne damnum inferant, removentur, et in sua loca in inferno dejiciuntur, ubi jucundum illorum vertitur in injucundum. [**9**]. Sed hoc non tollit, quin homo ex creatione sit et inde nascatur talis, ut in caelum possit venire; in caelum enim venit omnis qui infans moritur, educatur ac instruitur ibi, sicut homo in mundo, ac per affectionem boni et veri imbuitur sapientia, et fit angelus. Similiter potuisset homo, qui educatur et instruitur in mundo; nam simile inest illi quod infanti. De infantibus in mundo spirituali videatur in opere *De Caelo et Inferno*

(Londini, an. 1758, edito, n. 329–345). [10.] Sed quod non simile fiat cum multis in mundo, est quia amant primum gradum vitae suae, qui vocatur naturalis, et non volunt ab illo recedere, et fieri spirituales; et gradus vitae naturalis in se spectatus non amat nisi quam semet et mundum, cohaeret enim cum sensibus corporis, qui etiam exstant mundo; at gradus vitae spiritualis in se spectatus amat Dominum et caelum, et quoque semet et mundum, sed Deum et caelum ut superius, principale et dominans, ac semet et mundum ut inferius, instrumentale et famulans. [11.] Quartum: *Quod Divinus Amor non possit aliter quam id velle, et quod Divina Sapientia non possit aliter quam id providere.*—Quod Divina Essentia sit Divinus Amor et Divina Sapientia, in transactione de *Divino Amore et Divina Sapientia*, plene ostensum est; ibi etiam demonstratum est (n. 358–370), quod Dominus in omni embryone humano formet duo receptacula, unum Divini Amoris et alterum Divinae Sapientiae; receptaculum Divini Amoris pro futura voluntate hominis, et receptaculum Divinae Sapientiae pro futuro intellectu ejus; et quod sic cuivis homini indiderit facultatem volendi bonum, et facultatem intelligendi verum. [12.] Nunc quia hae binae facultates hominis ex nativitate a Domino inditae sunt, et inde Dominus est in illis ut in suis apud hominem, patet quod Divinus Ipsius Amor non possit aliter velle, quam ut homo in caelum veniat, et ibi aeterna beatitudine fruatur; et quoque quod Divina Sapientia non possit aliter quam id providere. Sed quia ex Divino Ipsius Amore est, ut homo sentiat beatum caeleste in se sicut suam, et hoc non fieri potest, nisi homo in omni apparentia teneatur, quod a se cogitet, velit, loquatur et agat, ideo non potest hominem aliter ducere quam secundum leges Divinae suae Providentiae.

325. (ii.) *Quod inde ex Divina Providentia sit, quod unusquisque homo possit salvari; et quod salventur qui Deum agnoscunt et bene vivunt.*—Quod unusquisque homo possit salvari, ex supra demonstratis patet. Quidam opinantur, quod ecclesia Domini sit solum in Christiano orbe, quia Dominus ibi solum notus est, et ibi solum est Verbum: sed usque sunt multi qui credunt, quod ecclesia Dei sit communis, seu extensa et sparsa per universum terrarum

orbem, ita etiam apud illos qui Dominum ignorant, et non Verbum habent; dicentes, quod hoc non eorum culpa sit, et quod illis ignorantia invincibilis sit; et quod contra Amorem et Misericordiam Dei sit, quod aliqui ad infernum nascantur, cum tamen aeque sunt homines. [**2.**] Nunc quia Christianis, si non omnibus usque multis, est fides, quod ecclesia communis sit, quae etiam Communio vocatur, sequitur quod dentur communissima ecclesiae, quae omnes religiones ingrediuntur, et faciunt Communionem illam. Quod communissima illa sint agnitio Dei et bonum vitae, videbitur in sequente ordine. (1.) Quod agnitio Dei faciat conjunctionem Dei cum homine, et hominis cum Deo, et quod negatio Dei faciat disjunctionem. (2.) Quod quisque agnoscat Deum, et conjungatur Ipsi secundum bonum vitae suae. (3.) Quod bonum vitae, seu bene vivere, sit fugere mala quia sunt contra religionem, ita contra Deum. (4.) Quod haec sint communia omnium religionum, per quae unusquisque potest salvari.

326. Sed haec singillatim lustranda et demonstranda sunt. Primum: *Quod agnitio Dei faciat cojunctionem Dei cum homine et hominis cum Deo, et quod negatio Dei faciat sejunctionem.*—Aliqui possunt cogitare, quod salvari queant aeque qui non agnoscunt Deum quam qui agnoscunt, modo vitam moralem agant: dicentes, "Quid operatur agnitio? Estne solum cogitatio? Possumne facile agnoscere, cum pro certo scio quod Deus sit? Audivi de Illo, sed non vidi Illum: fac ut videam et credam." Talis sermo est multis qui negant Deum, quando eis libere ratiocinari cum agnitore Dei licet. Sed quod agnitio Dei conjungat, et negatio Dei sejungat, illustrabitur per quaedam mihi nota in spirituali mundo. Ibi cum quis cogitat de altero, et vult loqui cum illo, sistitur alter illico praesens; hoc commune ibi est, et nusquam fallit. Causa est, quia in mundo spirituali non est distantia, sicut in mundo naturali, sed est modo apparentia distantiae. [**2.**] Alterum est, quod sicut cogitatio ex aliqua cognitione alterius facit praesentiam, ita amor ex aliqua affectione alterius faciat conjunctionem; ex qua fit quod simul eant et amice colloquantur, inque una domo habitent, vel in una societate, ac saepius conveniant, et mutuas operas praestent. Contrarium etiam fit, ut quod qui non amat alterum, et magis

qui odit alterum, non videat nec conveniat illum, ac distent secundum gradum quo non amat, seu quo odit; immo si praesens est, et tunc recordatur odii, fit inconspicuus. [3.] Ex his paucis constare potest, unde praesentia, et unde conjunctio in spirituali mundo; quod nempe praesentia sit ex recordatione alterius cum desiderio videndi illum, et quod conjunctio sit ex affectione quae est amoris. Simile est cum omnibus quae in mente humana sunt; in illa sunt innumera, et singula ibi consociata et conjuncta sunt secundum affectiones, aut sicut una res amat alteram. [4.] Haec conjunctio est conjunctio spiritualis, quae sibi similis est in communibus et particularibus. Spiritualis haec conjunctio originem ducit ex conjunctione Domini cum mundo spirituali, et cum mundo naturali, in communi et in particulari. Ex quibus patet, quod quantum quis cognoscit Dominum, et ex cognitionibus cogitat de Ipso, tantum Dominus praesens sit; et quantum quis agnoscit Ipsum ex affectione amoris, tantum Dominus illi conjunctus sit: ac vicissim, quod quantum quis non cognoscit Dominum, tantum Dominus absens sit; et quod quantum quis negat Ipsum, tantum sejunctus sit. [5.] Conjunctio facit, ut Dominus vertat faciem ejus ad Se, et tunc ducat illum; et sejunctio facit, ut infernum vertat faciem ejus ad se, ac ducat illum. Quare omnes angeli caeli vertunt suas facies ad Dominum ut Solem, et omnes spiritus inferni avertunt suas facies a Domino. Ex his patet, quid operatur agnitio Dei, et quid negatio Dei. Et illi, qui negant Deum in mundo, negant Ipsum post mortem; et fiunt organizati secundum descriptionem supra (n. 319): et organizatio inducta in mundo permanet in aeternum. [6.] Secundum: *Quod quisque agnoscat Deum, et conjungatur Ipsi secundum bonum vitae suae.*— Cognoscere Deum possunt omnes qui aliquid ex religione sciunt; possunt quoque ex scientia seu memoria loqui de Deo; et aliqui etiam ex intellectu cogitare de Deo; sed hoc, si non bene vivit, non aliud facit quam praesentiam; potest enim nihilominus avertere se ab Ipso, et vertere se ad infernum, quod fit si male vivit. At agnoscere Deum corde, non possunt alii quam qui bene vivunt; hos Dominus secundum bonum vitae eorum avertit ab inferno, et vertit ad Se. Causa est, quia hi soli amant Deum;

amant enim Divina, quae ab Ipso sunt, faciendo illa. Divina quae sunt a Deo, sunt praecepta legis Ipsius; haec sunt Deus, quia Ipse est suum Divinum procedens; et hoc est amare Deum; quare Dominus dicit,

> Qui praecepta Mea facit, ille est qui amat Me, qui autem praecepta Mea non facit, ille Me non amat (*Joh.* xiv. 21–24):

[7.] quae causa est, quod binae tabulae decalogi sint, una pro Deo, et altera pro homine. Deus continue operatur, ut homo recipiat illa quae in sua tabula sunt, sed si homo non facit illa quae in sua tabula sunt, non recipit agnitione cordis illa quae in tabula Dei sunt; et si non recipit, non conjungitur. Quare binae illae tabulae conjunctae sunt ut unum sint, et vocatae tabulae foederis, et foedus significat conjunctionem. Causa quod quisque agnoscat Deum, et conjungatur Ipsi secundum bonum vitae suae, est quia bonum vitae est simile bono quod in Domino est, et inde quod a Domino est; quare cum homo in bono vitae est, fit conjunctio. Contrarium est cum malo vitae; hoc rejicit Dominum. [8.] Tertium: *Quod bonum vitae seu bene vivere, sit fugere mala quia sunt contra religionem, ita contra Deum.* Quod hoc sit bonum vitae, seu bene vivere, plene ostensum est in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma*, a principio ad finem. Quibus haec solum adjiciam, quod si bona facias in omni copia, ut si templa aedifices, illa ornes ac impleas donariis, si sumptus impendas hospitalibus et xenodochiis, si eleemosynas des cottidie, opituleris viduis et pupillis, si sancta cultus sedulo obeas, immo si cogites, loquaris et praedices illa sicut ex corde, et tamen non fugis mala ut peccata contra Deum, omnia illa bona non sunt bona; sunt vel hypocritica vel meritoria, nam usque malum intus in illis est: vita enim cujusvis est in omnibus et singulis quae facit; at bona non aliter fiunt bona, quam per remotionem mali ab illis. Ex his patet, quod fugere mala quia contra religionem, ita contra Deum sunt, sit bene vivere. [9.] Quartum: *Quod haec sint communia omnium religionum, per quae unusquisque potest salvari.* Agnoscere Deum, et non facere malum quia est contra Deum, sunt duo quae faciunt quod religio sit religio; si deest unum, non potest dici religio; nam agnoscere Deum et facere malum, est

contradictorium; tum facere bonum et non agnoscere Deum; non enim datur unum absque altero. Provisum est a Domino, ut paene ubivis aliqua religio sit, et quod in unaquavis duo illa sint; et quoque a Domino provisum est, ut unusquisque qui agnoscit Deum, et non facit malum quia est contra Deum, locum habeat in caelo. Caelum enim in complexu refert unum Hominem, cujus vita seu anima est Dominus: in caelesti illo Homine sunt omnia quae in homine naturali, cum differentia qualis est inter caelestia et naturalia. [**10.**] Notum est, quod in homine non modo sint formae organizatae ex vasis sanguineis et ex fibris nerveis, quae vocantur viscera, sed etiam quod sint cutes, membranae, tendines, cartilagines, ossa, ungues et dentes. Haec sunt in minori gradu viva, quam sunt ipsae formae organizatae, quibus illa inserviunt pro ligamentis, tegumentis, et fulcris. Caelestis ille Homo, qui est caelum, ut in illo omnia illa sint, non potest ex hominibus unius religionis componi, sed ex hominibus plurium religionum; inde omnes, qui duo illa universalia ecclesiae faciunt suae vitae, locum habent in caelesti illo Homine, hoc est, caelo, et fruuntur felicitate in suo gradu: sed de his videantur plura supra (n. 254). [**11.**] Quod illa duo sint primaria in omni religione, constare potest ex eo, quod illa duo sint quae decalogus docet, et ille fuit primum Verbi, et e monte Sinai a Jehovah viva voce promulgatus, et binis tabulis lapideis digito Dei inscriptus, et dein positus in arca vocabatur Jehovah, et faciebat sanctum sanctorum in tabernaculo, et adytum in templo Hierosolymitano; et sancta erant omnia ex illo solo quae ibi; praeter plura de decalogo in arca ex Verbo, quae in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 53–61), allata sunt; quibus haec adjiciam. Notum est ex Verbo, quod arca, in qua binae tabulae, quibus inscriptus erat decalogus, fuerunt, a Philistaeis capta sit, ac posita in fano Dagonis in Aschdodo, et quod Dagon coram illa in terram deciderit, et postea caput cum volis manuum a corpore divulsum super limine fani jaceret; et quod Aschdodaei et Ekronitae propter Arcam percussi sint haemorrhoidibus ad plura millia, et quod terra illorum devastata fuerit a muribus: tum quod Philistaei, ex consilio primorum gentis suae, fecerint quinque haemorrhoides et quinque mures

ex auro, ac plaustrum novum, et super hoc posuerint arcam, et juxta illam haemorrhoides et mures ex auro, et per binas vaccas, quae boabant in via ante plaustrum, arcam ad filios Israelis remiserint, a quibus vaccae et plaustrum sacrificabantur (videatur 1 *Sam.* v. et vi.). [**12.**] Nunc dicetur, quid omnia illa significabant. "Philistaei" significabant illos qui in fide separata a charitate sunt; "Dagon" representabat religiosum illud; "haemorrhoides" quibus percussi sunt, significabant amores naturales, qui separati ab amore spirituali immundi sunt; ac "mures" significabant devastationem ecclesiae per falsificationes veri; "plaustrum novum," super quo remiserunt arcam, significabat doctrinam novam, sed naturalem, nam "currus" in Verbo significat doctrinam ex veris spiritualibus; "vaccae" significabant affectiones bonas naturales; "haemorrhoides ex auro" significabant amores naturales purificatos et factos bonos; "mures ex auro" significabant vastationem ecclesiae per bonum sublatam, "aurum" enim in Verbo significat bonum; "boatio vaccarum in via" significabat difficilem conversionem concupiscentiarum mali naturalis hominis in affectiones bonas; quod "vaccae cum plaustro in holocaustum oblatae sint," significabat quod sit Dominus propitiatus sic. [**13.**] Haec sunt quae per illa historica spiritualiter intelliguntur; conjunge illa in unum sensum, et fac applicationem. Quod per Philisthaeos repraesentati sint qui in fide separata a charitate sunt, videatur in *Doctrina Novae Hierosolymae de Fide* (n. 49–54). Et quod arca ex decalogo ibi incluso sanctissimum ecclesiae fuerit, in *Doctrina Vitae pro Nova Hierosolyma* (n. 53–61).

327. (iii.) *Quod ipse homo in culpa sit, si non salvatur.*—Hoc verum modo auditum ab omni rationali homine agnoscitur, quod a bono non possit profluere malum, nec a malo bonum, quia opposita sunt; consequenter, quod a bono non profluat nisi quam bonum, et a malo non nisi quam malum. Cum hoc verum agnoscitur, etiam agnoscitur hoc, quod bonum verti possit in malum, non a bono sed a malo recipiente; omnis enim forma vertit influum in suum quale (videatur supra, n. 292). Nunc quia Dominus est Bonum in ipsa sua essentia, seu ipsum Bonum, patet quod a Domino non profluere possit malum, nec ab

Ipso produci, sed quod possit verti in malum a subjecto recipiente, cujus forma est forma mali. Tale subjectum est homo quoad proprium suum. Hoc continue recipit bonum a Domino, et continue vertit illud in quale formae suae, quae est forma mali. Inde sequitur, quod homo sit in culpa, si non salvatur. Est quidem malum ab inferno, sed quia id inde recipit ut suum, et per id appropriat sibi illud, ideo simile est, sive dicatur quod malum sit ab homine, sive dicatur quod malum sit ab inferno. Sed unde est appropriatio mali, usque tandem ut religio pereat, dicetur in hac serie:—(1.) Quod omnis religio successu temporis decrescat et consummetur. (2.) Quod omnis religio decrescat et consummetur per inversionem imaginis Dei apud hominem. (3.) Quod hoc existat ex continuis incrementis mali hereditarii in generationibus. (4.) Quod usque a Domino provideatur, ut quisque salvari possit. (5.) Quod etiam provideatur, ut nova ecclesia loco devastatae prioris succedat.

328. Sed haec in serie demonstranda sunt. Primum: *Quod omnis religio successu temporis decrescat et consummetur.*—In hac tellure fuerunt plures ecclesiae, una post alteram; nam ubi datur genus humanum, ibi datur ecclesia; caelum enim, quod est finis creationis, est ex humano genere, ut supra demonstratum est; et non aliquis in caelum venire potest, nisi sit in duobus universalibus ecclesiae, quae sunt agnoscere Deum, et bene vivere, ut mox supra (n. 326), ostensum est. Inde sequitur, quod in hac tellure fuerint ecclesiae ab antiquissimo tempore, usque ad tempus hodiernum. Illae ecclesiae describuntur in Verbo, sed non historice, modo Ecclesia Israelitica et Judaica; ante quam tamen plures fuerunt, et hae solum ibi descriptae sunt per gentium et personarum nomina, et per quaedam de illis. [**2.**] Antiquissima Ecclesia, quae prima fuit, descripta est per Adamum et Chaivam uxorem ejus. Ecclesia sequens, quae Ecclesia Antiqua vocanda est, descripta est per Noachum et tres ejus filios, ac per posteros ex illis; haec fuit ampla, et extensa per plura regna Asiae,—quae fuerunt terra Canaan cis et trans Jordanem, Syria, Assyria et Chaldaea, Mesopotamia, Aegyptus, Arabia, Tyrus et Sidon: apud hos fuit Verbum vetustum, de quo in *Doctrina Novae Hierosolymae de*

Scriptura Sacra (n. 101–103). Quod illa ecclesia in his regnis fuerit, constat ex variis, quae de illis in propheticis Verbi memorantur. Sed illa ecclesia insigniter mutata est ab Ebero, ex quo orta est ecclesia Hebraea: in hac cultus per sacrificia primum insitutus est. Ex Hebraea Ecclesia nata est Ecclesia Israelitica et Judaica, sed solenniter insituta propter Verbum, quod ibi conscriberetur. [**3.**] Hae quatuor ecclesiae intelliguntur per statuam visam Nebuchadnezari in somnio, cujus caput erat ex auro puro, pectus et brachia ex argento, venter et femora ex aere, ac crura et pedes ex ferro et argilla (*Dan.* ii. 32, 33). Nec aliud per saecula aureum, argenteum, cupreum, et ferreum, a scriptoribus antiquis memorata, intelligitur. Quod Ecclesiae Judaicae successerit Ecclesia Christiania, notum est. Quod omnes illae ecclesiae successu temporis decreverint usque ad finem, qui vocatur consummatio, ex Verbo etiam videri potest. [**4.**] Consummatio Ecclesiae Antiqussimae, quae facta est per esum ex arbore scientiae, per quem significatur fastus propriae intelligentiae, describitur per diluvium. Consummatio Ecclesiae Antiquae describitur per varias devastationes gentium, de quibus in Verbo tam historico quam prophetico, cumprimis per ejectionem gentium e terra Canaane a filiis Israelis. Consummatio Ecclesiae Israeliticae et Judaicae intelligitur per destructionem templi Hierosolymitani, et per abductionem populi Israelitici in perpetuam captivitatem, ac gentis Judaicae in Babyloniam: et demum per alteram templi et simul Hierosolymae destructionem, ac illius gentis dispersionem: quae consummatio praedicitur in multis locis apud prophetas (et apud *Danielem*, ix. 24–27). Ecclesiae autem Christianae successiva vastatio usque ad finem, describitur a Domino, apud *Matthaeum* (xxiv.), apud *Marcum* (xiii.), et apud *Lucam* (xxi.); ipsa vero ejus consummatio in *Apocalypsi*. Ex his constare potest, quod ecclesia successu temporis decrescat et consummetur; ita quoque religio. [**5.**] Secundum: *Quod omnis religio decrescat et consummetur per inversionem imaginis Dei apud hominem.* Notum est, quod homo creatus sit in imaginem Dei, secundum similitudinem Dei (*Genes.* i. 26): sed dicetur, quid imago et quid similitudo Dei. Deus solus est Amor et Sapientia; homo creatus est ut sit receptaculum

utriusque ; ut voluntas ejus sit receptaculum Divini Amoris, ac ut intellectus ejus sit receptaculum Divinae Sapientiae. Quod duo illa a creatione sint apud hominem, et quod illa faciant hominem et quod illa etiam apud unumquemvis formentur in utero, supra ostensum est. Homo itaque imago Dei est, quod sit recipiens Divinae Sapientiae ; et similitudo Dei est, quod sit recipiens Divini Amoris ; quare receptaculum quod vocatur intellectus, est imago Dei, et receptaculum quod vocatur voluntas, est similitudo Dei. Inde quia homo creatus et formatus est ut sit receptaculum, sequitur, quod creatus et formatus sit, ut voluntas ejus recipiat amorem a Deo, ac ut intellectus ejus recipiat sapientiam a Deo ; quae homo etiam recipit, dum agnoscit Deum, et vivit secundum praecepta Ipsius, sed in minori et majori gradu, sicut ex religione scit Deum, et scit praecepta ; proinde sicut scit vera, nam vera docent quid Deus et quomodo agnoscendus est, tum quid praecepta et quomodo vivendum secundum illa. [**6.**] Imago Dei et similitudo Dei non sunt deperditae apud hominem, sed sunt sicut deperditae ; manent enim insitae in binis ejus facultatibus, quae vocantur libertas et rationalitas, de quibus supra multis actum est : factae sunt sicut deperditae, cum homo fecit receptaculum Divini Amoris, quod est voluntas ejus, receptaculum amoris sui, ac receptaculum Divinae Sapientiae, quod est intellectus ejus, receptaculum propriae intelligentiae. Per id invertit imaginem et similitudinem Dei, avertit enim illa receptacula a Deo, et convertit illa ad se : inde est, quod illa supra occlusa sint, et infra aperta, seu quod a facie occlusa et a tergo aperta ; cum tamen a creatione fuerunt a facie aperta et a tergo occlusa : et cum illa ita inverse aperta et occlusa sunt, tunc receptaculum amoris seu voluntas recipit influxum ex inferno seu a suo proprio, similiter receptaculum sapientiae seu intellectus. Inde in ecclesiis ortus est cultus hominum loco cultus Dei, ac cultus ex doctrinis falsi loco cultus ex doctrinis veri, hic ex propria intelligentia, ille ex amore sui. Ex his patet, quod religio successu temporis decrescat et consummetur per inversionem imaginis Dei apud hominem. [**7.**] Tertium : *Quod hoc existat ex continuis incrementis mali hereditarii in generationibus.* Quod malum hereditarium non sit ex Adamo et Chaiva uxore ejus

per esum ex arbore scientiae, sed quod successive derivetur et transplantetur a parentibus in proles, et sic ex continuis incrementis ingravescat in generationibus, supra dictum et ostensum est. Cum malum inde ingravescit apud multos, tunc a se dispergit malum in plures; nam in omni malo est libido seducendi, in quibusdam ardens ex ira contra bonum, inde contagium mali. Hoc cum invasit praesules, moderatores et antesignanos in ecclesia, fit religio perversa, ac media sanationis, quae sunt vera, per faisificationes fiunt corrupta. Ex his nunc est successiva vastatio boni et desolatio veri in ecclesia usque ad consummationem ejus. [**8.**] Quartum: *Quod usque a Domino provideatur, ut quisque salvari possit.* Providetur a Domino, ut ubivis sit religio, et in unaquavis religione sint duo essentialia salutis, quae sunt, agnoscere Deum et non facere malum quia est contra Deum. Reliqua quae sunt intellectus et inde cogitationis, quae vocantur fidei, providentur cuivis secundum vitam ejus, nam illa sunt accessoria vitae; et si praecedunt, usque non vitam prius accipiunt. Providetur etiam, quod omnes qui vixerunt bene, et agnoverunt Deum, post mortem instruantur ab angelis, et tunc illi qui in binis illis essentialibus religionis in mundo fuerunt, vera ecclesiae, qualia sunt in Verbo, acceptant, et Dominum pro Deo caeli et ecclesiae agnoscunt: et hoc recipiunt facilius quam Christiani, qui ideam de Humano Domini separato a Divino Ipsius secum e mundo tulerunt. Provisum etiam est a Domino, ut omnes qui moriuntur infantes, ubicunque nati sunt, salventur. [**9.**] Datur etiam cuivis homini post mortem copia emendandi vitam, si possibile; instruuntur et ducuntur a Domino per angelos; et quia tunc sciunt quod vivant post mortem, et quod caelum et infernum sint, principio recipiunt vera; sed illi qui non agnoverunt Deum, et fugerunt mala ut peccata in mundo, brevi post fastidiunt vera, ac recedunt; et illi qui agnoverunt illa ore et non corde, sunt sicut virgines stultae, quae lampades habebant et non oleum, ac petierunt oleum ab aliis, et quoque abiverunt et emerunt et tamen non in nuptias intromissae sunt. "Lampades" significant vera fidei, et "oleum" significat bonum charitatis. Ex his constare potest, quod Divina Providentia sit, ut quisque salvari possit, et quod ipse homo

sit in culpa si non salvatur. [10.] Quintum: *Quod etiam provideatur, ut nova ecclesia loco devastatae prioris succedat.*—Hoc factum est ab antiquissimis temporibus, quod nempe devastata ecclesia priore successerit nova; post Ecclesiam Antiquissimam successit Antiqua; post Antiquam Israelitica seu Judaica; post hanc Christiana; quod etiam post hanc successura sit nova ecclesia, praedicitur in *Apocalypsi*, quae ibi intelligitur per "Novam Hierosolymam" descendentem e caelo. Causa, quod nova ecclesia loco devastatae prioris successura a Domino provideatur, in *Doctrina Novae Hierosolymae de Scriptura Sacra* (n. 104–113) videatur.

329. (iv.) *Quod sic omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infernum.*—Quod Dominus nullum ad infernum dejiciat, sed quod ipse spiritus semet, in opere *De Caelo et Inferno*, (Londini, an. 1758 edito, n. 545–550,) ostensum est. Ita fit cum omni malo et impio post mortem; similiter fit cum malo et impio in mundo; cum differentia, quod in mundo reformari possit, ac amplecti et imbuere media salvationis, non autem post exitum e mundo. Media salvationis se referunt ad haec duo, quod fugienda sint mala quia sunt contra leges Divinas in Decalogo, et ut agnoscatur quod Deus sit. Hoc potest unusquisque, modo non amet mala; influit enim Dominus continue cum potentia in voluntatem ut possit fugere mala, et cum potentia in intellectum ut possit cogitare quod Deus sit; sed usque nemo potest unum nisi simul alterum: sunt duo illa conjuncta sicut binae tabulae decalogi conjunctae sunt, quarum una est pro Domino, et altera pro homine: Dominus ex sua tabula illustrat unumquemvis, et dat potentiam; sed quantum homo facit illa quae in sua tabula sunt, tantum recipit potentiam et illustrationem; antea apparent binae illae sicut una super alteram jacentes et conclusae sigillo, at sicut homo facit illa quae in sua tabula sunt, recluduntur et aperiuntur. [2.] Quid hodie decalogus nisi sicut libellus aut codicillus occlusus, solum in manibus infantum et puerorum apertus? Dic alicui profecto in aetatem, ne hoc fac quia est contra decalogum, quis attendit? At si dicis, Ne hoc fac quia est contra leges Divinas, ad hoc potest attendere, cum tamen praecepta decalogi sunt ipsae leges Divinae. Facta est experi-

entia in mundo spirituali cum pluribus, qui cum contemptu rejecerunt cum dicebatur decalogus seu catechesis. Causa est, quia decalogus in altera tabula, quae est tabula hominis, docet, quod fugienda sint mala ; et qui non fugit illa, (vel ex impietate, vel ex religione quod opera nihil faciant sed sola fides,) cum aliquo contemptu audit nominari decalogum seu catechesin, sicut audiret nominari aliquem librum infantiae, qui non illis amplius alicujus usus est. [**3.**] Haec dicta sunt, ut sciatur quod nulli homini desit cognitio mediorum, per quae salvari possit, nec potentia si vult salvari: ex quo sequitur, quod omnes praedestinati sint ad caelum, et nullus ad infernum. Sed quia apud aliquos invaluit fides de praedestinatione ad non salvationem, quae est damnatio, et haec fides est damnosa, et illa non discuti potest, nisi etiam ratio videat insanum et crudele in illa, quare de ea in hac serie agendum est. (1.) Quod praedestinatio alia quam ad caelum, sit contra Divinum Amorem et infinitatem ejus. (2.) Quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinam Sapientiam et infinitatem ejus. (3.) Quod salventur illi soli qui intra ecclesiam nati sunt, sit haeresis insana. (4.) Quod aliqui ex humano genere ex praedestinato damnati sint, sit haeresis crudelis.

330. Sed ut appareat quam damnosa est fides praedestinationis communiter intellectae, quatuor illa argumenta reassumenda sunt et confirmanda. Primum: *Quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinum Amorem, qui infinitus.* Quod Jehovah seu Dominus sit Divinus Amor, et quod ille infinitus sit, et Esse omnis vitae ; tum quod homo creatus sit in imaginem Dei secundum similitudinem Dei, in transactione *De Divino Amore et Divina Sapientia*, demonstratum est: et quia omnis homo formatur in utero in illam imaginem secundum illam similitudinem a Domino, ut quoque demonstratum est, sequitur quod Dominus sit caelestis Pater omnium hominum, et quod homines sint spirituales filii Ipsius ; ita etiam Jehovah seu Dominus vocatur in Verbo, et ita homines vocantur ibi, quare dicit,

> "Patrem vestrum ne vocetis patrem vestrum in terra, unus namque est Pater vester, qui in caelis est" (*Matth.* xxiii. 9);

per quod intelligitur quod solus sit Pater quoad vitam, et

quod pater in terra sit solum pater quoad indumentum vitae, quod est corpus; quare in caelo non alius nominatur Pater quam Dominus. Quod homines filii dicantur et nati ab Ipso, qui non vitam illam invertunt, patet etiam a multis locis in Verbo. [**2.**] Inde constare potest, quod Divinus Amor sit in omni homine tam malo quam bono; consequenter quod Dominus qui est Divinus Amor, non aliter possit agere cum illis, quam sicut pater in terra cum suis liberis; ac infinite magis, quia Divinus Amor est infinitus; tum quod a nullo recedere possit, quia vita cujusvis est ab Ipso. Apparet sicut recedat a malis, sed mali recedunt, at usque ex amore ducit illos. Quare dominus dicit,

> "Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis:....quis est vestrum homo, qui si filius ejus petierit panem, num lapidem dabit illi?....Si igitur vos qui mali estis, nostis bona dona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in caelis, dabit bona petentibus Ipsum" (*Matth.* vii. 7–11):

et alibi,

> Quod solem suum exoriri faciat super malos et bonos, ac pluviam mittat super justos et injustos (*Matth.* v. 45).

Notum etiam est in ecclesia, quod Dominus omnium salutem velit, et nullius mortem. Ex his videri potest, quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinum Amorem. [**3.**] Secundum: *Quod praedestinatio alia quam ad caelum sit contra Divinam Sapientiam, quae infinita.* Divinus Amor per Divinam suam Sapientiam providet media, per quae unusquisque homo salvari potest; quare dicere quod praedestinatio alia sit quam ad caelum, est dicere quod non providere possit media, per quae salvatio, cum tamen omnibus sunt media, ut supra ostensum est, et haec sunt ex Divina Providentia, quae infinita est. Quod autem sint qui non salvantur, est causa quia Divinus Amor vult ut homo felicitatem et beatudinem caeli sentiat in se, nam alioqui non foret ei caelum; et hoc non fieri potest, nisi ut appareat homini quod cogitet et velit ex se, absque illa enim apparentia nihil ei appropriaretur, nec foret homo; propter hoc est Divina Providentia, quae est Divinae Sapientiae ex Divino Amore. [**4.**] Sed hoc non tollit veritatem, quod omnes praedestinati sint ad caelum et nullus ad infernum; at si media

salvationis deessent, tolleret: quod autem media salvationis unicuivis provisa sint, et quod caelum tale sit, ut omnes ex quacunque religione sint, qui bene vivunt, locum ibi habeant, supra demonstratum est. Est homo sicut terra, quae producit omnis generis fructus, ex qua facultate terra est terra, quod etiam producat malos fructus, non tollit quin etiam producere possit bonos, at tolleret si non potuisset producere nisi quam malos. Homo etiam est sicut objectum, quod lucis radios in se variegat; si modo sistit colores inamoenos, non est lux in causa; possunt etiam lucis radii variegari in colores amoenos. [**5.**] Tertium: *Quod salventur illi soli, qui intra ecclesiam nati sunt, sit haeresis insana.* Sunt illi qui extra ecclesiam nati sunt aeque homines ut illi qui intra illam, ex simili origine caelesti, aeque animae viventes et immortales. Est illis quoque religio, ex qua agnoscunt quod Deus sit, et quod bene vivendum sit, et qui agnoscit Deum et bene vivit, fit spiritualis in suo gradu, et salvatur, ut supra ostensum est. Dicitur quod non sint baptizati, sed baptizatio non alios salvat, quam qui spiritualiter lavantur, hoc est, regenerantur, baptismus enim est in signum et memoriale ejus. [**6.**] Quod Dominus illis non notus sit, et absque Domino nulla salus; at nulla alicui salus est propterea, quod ei Dominus notus sit, sed quod vivat secundum praecepta Ipsius; ac notus est cuivis qui agnoscit Deum, nam Dominus est Deus caeli et terrae, ut Ipse docet (*Matth.* xxviii. 18, et alibi); et praeterea illi qui extra ecclesiam sunt, ideam de Deo ut Homine, plus quam Christiani, habent; et illi, quibus idea de Deo ut Homine est, et bene vivunt, acceptantur a Domino; agnoscunt etiam Deum unum persona et essentia, secus ac Christiani: et quoque cogitant de Deo in vita sua; mala enim faciunt peccata contra Deum, et qui hoc faciunt, illi cogitant de Deo in vita sua. Praecepta religionis sunt Christianis ex Verbo, sed pauci sunt qui aliqua praecepta vitae inde hauriunt; [**7.**] Pontificii non legunt illud; et Reformati qui in fide separata a charitate sunt, non attendunt ad illa ibi quae concernunt vitam, sed solum quae fidem; et usque totum Verbum non est nisi quam Doctrina vitae. Christianismus est modo in Europa, Mahumedismus et Gentilismus est in Asia, Indiis, Africa et America; et

genus humanum in his partibus orbis decies excedit multitudine id genus humanum quod in parte orbis Christiani est; et in hac sunt pauci, qui religionem in vita ponunt. Quid itaque insanius est credere, quam quod hi solum salventur, et illi condemnentur, et quod caelum sit homini ex nativitate, et non ex vita? Quare dicit Dominus,

> "Dico..vobis, quod multi ab oriente et occidente venient et accumbent cum Abrahamo, Isaco et Jacobo in regno caelorum; filii vero regni ejicientur" (*Matth.* viii. 11, 12).

[**8.**] Quartum: *Quod aliqui ex humano genere ex praedestinato damnati sint, sit haeresis crudelis.* Crudele enim est credere, quod Dominus, qui est ipse Amor et ipsa Misericordia, patiatur ut tam ingens multitudo hominum nascatur ad infernum, seu quod tot myriades myriadum nascantur damnati et devoti, hoc est, quod nascantur diaboli et satanae; et quod non ex Divina sua Sapientia provideat, ne illi qui bene vivunt et agnoscunt Deum, in ignem et cruciatum aeternum conjiciantur. Est usque Dominus omnium Creator et Salvator, et Ipse solus ducit omnes, ac nullius mortem vult; quare crudele est credere et cogitare, quod tanta multitudo gentium et populorum sub auspicio et sub intuitu Ipsius ex praedestinato traderetur diabolo in praedam.

Quod Dominus non possit agere contra leges Divinae Providentiae, quia agere contra illas foret agere contra Divinum Amorem suum et contra Divinam Sapientiam suam, ita contra Se Ipsum.

331. In *Sapientia Angelica de Divino Amore et Divina Sapientia* ostensum est, quod Dominus sit Divinus Amor et Divina Sapientia, et quod haec duo sint ipsum Esse et ipsa Vita, ex quibus omne Est et Vivit; tum etiam ostensum est, quod simile procedat ab Ipso, ut et quod Divinum Procedens sit Ipse. Inter illa quae procedunt, est Divina Providentia primarium; haec enim continue est in fine, propter quem creatum est universum:

operatio et progressio finis per media est quae vocatur Divina Providentia. [**2.**] Nunc quia Divinum Procedens est Ipse, ac Divina Providentia est primarium quod procedit, sequitur quod agere contra leges Divinae suae Providentiae sit agere contra Se Ipsum. Potest etiam dici, quod Dominus sit Providentia, sicut dicitur quod Deus sit Ordo; nam Divina Providentia est Divinus Ordo primario circa salvationem hominum, et sicut non datur ordo absque legibus, leges enim faciunt illum, et unaquaevis lex ab ordine trahit ut quoque sit ordo, inde sequitur, quod sicut Deus est Ordo, etiam sit Lex sui ordinis: simile dicendum est de Divina Providentia, quod sicut Dominus est sua Providentia, etiam sit Lex suae Providentiae. Inde patet, quod Dominus non possit agere contra leges Divinae suae Providentiae, quia agere contra illas, foret agere contra Se Ipsum. [**3.**] Porro, non datur aliqua operatio nisi in subjectum et per media in illud, operatio nisi in subjectum et per media in illud, non datur; subjectum Divinae Providentiae est homo, media sunt Divina Vera per quae illi sapientia, et Divina Bona per quae illi amor, Divina Providentia per illa media operatur finem suum, qui est salvatio hominis, nam qui vult finem etiam vult media, quare cum volens operatur finem, operatur illum per media. Sed haec evidentiora fient, dum perlustrantur in hoc ordine:

(i.) *Quod operatio Divinae Providentiae ad salvandum hominem inchoet ab ejus nativitate, ac perstet usque ad finem vitae ejus, et postea in aeternum.*
(ii.) *Quod operatio Divinae Providentiae continue fiat per media ex pura misericordia.*
(iii.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia non dabilis sit.*
(iv.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia sit praester volans in ecclesia.*

332. (i.) *Quod operatio Divinae Providentiae ad salvandum hominem inchoet ab ejus nativitate, ac perstet usque ad finem vitae ejus, et postea in aeternum.*—Supra ostensum est, quod caelum ex humano genere sit ipse finis creationis universi, et quod finis ille in sua operatione et progressione sit Divina Providentia ad salvandum homines; et quod omnia quae extra hominem sunt, et inserviunt illi pro usu, sunt fines creationis secundarii,—quae in

summa, se referunt ad omnia quae in tribus regnis, animali, vegetabili et minerali, sunt. Cum illa quae ibi sunt, secundum leges ordinis Divini in prima creatione constibilitas constanter procedunt, quomodo tunc non potest finis primarius, qui est salvatio generis humani, secundum sui ordinis leges, quae sunt leges Divinae Providentiae, constanter procedere? [**2.**] Specta modo arborem fructus; annon illa ab exiguo semine primum nascitur ut tenue germen, et postea successive crescit in caulem, et expandit ramos, et hi operiuntur foliis, et dein extrudit flores, et parit fructus, et in illis ponit nova semina, per quae perpetuitati suae prospicit? Simile fit cum omni virgulto, et cum omni herba agri. Annon in his omnia et singula constanter et mirabiliter secundum leges sui ordinis a fine ad finem procedunt? Quid non similiter finis primarius, qui est caelum ex humano genere? Num aliquid in ejus progressione dari potest, quod non secundum leges Divinae Providentiae constantissime procedat? [**3.**] Quoniam est correspondentia vitae hominis cum vegetatione arboris, fiat parallelismus seu comparatio: infantia hominis est comparative sicut tenerum germen arboris pullulans e terra ex semine; pueritia et adolescentia hominis est sicut germen illud crescens in caulum et ramusculos: vera naturalia, quibus omnis homo primum imbuitur, sunt sicut folia quibus rami operiuntur ("folia" non aliud in Verbo significant); initiamenta hominis in conjugium boni et veri, seu conjugium spirituale, sunt sicut flores quos arbor illa tempore veris producit; vera spiritualia sunt foliola istorum florum; primitiva conjugii spiritualis, sunt sicut inchoamenta fructus; bona spiritualia quae sunt bona charitatis, sunt sicut fructus; significantur etiam per "fructus" in Verbo; procreationes sapientiae ex amore, sunt sicut semina, per quas procreationes homo fit sicut hortus et paradisus. Homo etiam in Verbo describitur per arborem, ac ejus sapientia ex amore per hortum; per "hortum Edenis" non aliud significatur. [**4.**] Homo quidem est arbor mala ex semine, sed usque datur insitio seu inoculatio ex ramulis desumptis ex Arbore vitae, per quos succus ex veteri radice exantlatus vertitur in succum facientem fructus bonos. Haec comparatio facta est, ut sciatur, quod cum tam constans progressio Divinae

Providentiae est in vegetatione et regeneratione arborum, constans omnino erit in reformatione et regeneratione hominum, qui arboribus multum praestantiores sunt, secundum haec Domini verba:

> "Nonne quinque passeres venduntur assariis duobus, unus tamen ex illis non est oblivioni datus coram Deo? jam vero etiam pili capitis vestri omnes numerati sunt, ideo ne timete, multum passeribus praestatis. .... Quis praeterea ex vobis sollicitus potest apponere ad staturam suam cubitum ..; si ergo ne minimum potestis, cur de reliquis solliciti estis? Attendite ad lilia quomodo crescunt: .... quod si gramen in agro quod hodie est, cras autem in clibanum injicitur, Deus ita vestit, quanto magis vos, o parvae fidei homines" (*Luc.* xii: 6, 7, 25–28).

333. Dicitur quod operatio Divinae Providentiae ad salvandum hominem inchoet a nativitate ejus et perstet usque ad finem vitae ejus. Quod ut intelligatur, sciendum est, quod Dominus videat, qualis homo est, ac praevideat qualis vult esse, ita qualis futurus est; et liberum voluntatis ejus non potest auferri, ut sit homo et inde immortalis, ut prius multis ostensum est; quare Dominus praevidet statum ejus post mortem, et illum providet a nativitate ejus usque ad finem vitae. Apud malos providet permittendo et continue abducendo a malis; apud bonos autem providet ducendo ad bonum. Ita Divina Providentia est continue in operatione salvandi hominem; sed non salvari possunt plures quam salvari volunt, ac illi volunt salvari, qui Deum agnoscunt, et ab Ipso ducuntur; et illi non volunt, qui Deum non agnoscunt, et semet ducunt; hi enim non cogitant de vita aeterna, et de salvatione, illi vero cogitant. Hoc videt Dominus, et usque ducit illos, et ducit secundum leges Divinae Providentiae suae, contra quas non potest agere, quoniam agere contra illas, foret agere contra Divinum suum Amorem, et contra Divinam suam Sapientiam, quod est contra Se Ipsum. [**2.**] Nunc quia praevidet omnium status post mortem, et quoque praevidet loca illorum, qui non salvari volunt, in inferno, ac loca illorum, qui salvari volunt, in caelo, sequitur, quod, ut dictum est, provideat malis sua loca permittendo et abducendo, ac bonis sua loca ducendo; quod nisi fieret continue a nativitate cujusvis ad finem vitae ejus, caelum non subsisteret, nec infernum: nam absque illa Praevidentia et simul Provi-

dentia non foret caelum nec infernum nisi confusum quoddam. Quod cuivis suus locus a Domino ex praeviso provisus sit, videatur supra (n. 202, 203). [**3.**] Hoc illustrari potest per hanc comparationem: si jaculator aut sclopetarius collimaret ad scopum, et a scopo post illum duceretur linea recta ad milliaris distantiam, si in collimatione aberraret ungue solum, telum vel globulus ad finem milliaris immensum recederet a linea post scopum ducta. Ita foret, nisi Dominus omni momento, immo minutissimo spectaret aeternum in praevidendo et providendo cujusvis locum post mortem; sed hoc fit a Domino, quia omne futurum est Ipsi praesens, et omne praesens est Ipsi aeternum. Quod Divina Providentia in omni quod facit, spectet infinitum ac aeternum, videatur supra (n. 46–69, 214, seq.).

334. Dicitur etiam quod operatio Divinae Providentiae perstet in aeternum, quoniam omnis angelus perficitur sapientia in aeternum; at quisque secundum gradum affectionis boni et veri, in quo fuit cum abivit e mundo. Hic gradus est qui in aeternum perficitur; quod ultra illum gradum est, hoc extra angelum est, et non intra illum; et id quod extra illum est, non potest perfici intra illum. Hoc intelligitur per

> "Mensuram bonam, pressam, agitatam et superfluentem," quae dabitur in sinum illorum, qui remittunt et dant aliis (*Luc.* vii. 37, 38);

hoc est, qui in bono charitatis sunt.

335. (ii.) *Quod operatio Divinae Providentiae continue fiat per media ex pura misericordia.*—Sunt media et modi Divinae Providentiae. Media sunt, ex quibus homo fit homo, ac perficitur quoad intellectum et quoad voluntatem; modi sunt, per quos illa fiunt. Media ex quibus homo fit homo, ac perficitur quoad intellectum, communi voce vocantur vera, quae fiunt ideae in cogitatione, et dicuntur res in memoria, et in se sunt cognitiones, ex quibus scientiae. Omnia illa media in se spectata sunt spiritualia; sed quia sunt in naturalibus, ex indusio seu vestitu suo apparent sicut naturalia, et quaedam sicut materialia. Media illa infinita sunt numero, ac infinita sunt varietate; sunt simplicia et composita minus et magis, et sunt imperfecta et perfecta minus et magis. Sunt media pro for-

manda et perficienda vita civili naturali ; tum pro formanda et perficienda vita morali rationali ; ut et pro formanda et perficienda vita spirituali caelesti. [**2.**] Media illa succedunt, unum genus post alterum, ab infantia usque ad aetatem hominis ultimam, et post illam in aeternum : et sicut succedunt crescendo, ita priora fiunt media posteriorum, ingrediuntur enim omne formatum sicut causae mediae ; nam ex his omnis effectus seu omne conclusum est efficiens, et inde fit causa ; ita posteriora fiunt successive media : et quia hoc fit in aeternum, non datur postremum seu ultimum, quod claudit. Nam sicut aeternum est absque fine, ita sapientia quae in aeternum crescit est absque fine. Si finis sapientiae foret apud sapientem, periret jucundum sapientiae ejus, quod consistit in perpetua multiplicatione et fructificatione ejus ; et sic jucundum vitae ejus, et loco ejus succederet jucundum gloriae, in quo solo non est vita caelestis ; fit homo ille sapiens tunc non amplius sicut juvenis, sed sicut senex, et tandem sicut decrepitus. [**3.**] Tametsi sapientia sapientis in caelo crescit in aeternum, usque tamen non datur sapientiae angelicae approximatio ad sapientiam Divinam talis, ut illam possit contingere ; est comparative sicut dicitur de linea recta circum hyperbolam ducta continue approximante et nusquam tangente ; et sicut dicitur de quadrando circulo. Ex his constare potest, quid intelligitur per media, per quae Divina Providentia operatur, ut homo sit homo, ac ut perficiatur quoad intellectum ; et quod haec media communi voce dicantur vera. Totidem etiam sunt media, per quae homo formatur et perficitur quoad voluntatem, sed haec communi voce dicuntur bona ; ex his est homini amor, ex illis autem est homini sapientia. Conjunctio illorum facit hominem ; nam qualis illa est, talis est homo. Haec conjunctio est quae vocatur conjugium boni et veri.

336. Modi autem, per quos Divina Providentia operatur in media, et per media ad formandum hominem, et ad perficiendum illum, sunt etiam infiniti numero et infiniti varietate ; totidem quot sunt operationes Divinae Sapientiae ex Divino Amore ad salvandum hominem ; ita quot sunt operationes Divinae Providentiae secundum leges suas, de quibus supra actum est. Quod modi illi arcanissimi sint,

supra illustratum est per operationes animae in corpus, de quibus homo tam parum novit, ut vix aliquid; ut quomodo oculus, auris, naris, lingua, cuticula, sentiunt; ac quomodo ventriculus digerit, mesenterium chylificat, hepar sanguinem elaborat, pancreas et lien purificant, renes ab humoribus impuris secernunt, cor illum colligit et distribuit, pulmo illum decantat; et quomodo cerebrum sanguinem sublimat, et e novo vivificat; praeter innumera alia, quae omnia sunt arcana, in quae vix aliqua scientia potest intrare. Ex his patet, quod adhuc minus possit intrari in arcanas operationes Divinae Providentiae; satis est quod sciantur leges ejus.

337. Quod Divina Providentia operetur omnia ex pura misericordia, est quia ipsa Essentia Divina est purus Amor, et hic est qui per Divinam Sapientiam operatur, et haec operatio est quae vocatur Divina Providentia. Quod purus ille Amor sit pura Misericordia, est,—(1.) Quia operatur apud omnes qui in universo terrarum orbe sunt, qui tales sunt, ut nihil possint ex se. (2.) Quod operetur apud malos et injustos aeque ac apud bonos et justos. (3.) Quod ducat illos in inferno, et inde eripiat illos. (4.) Quod ibi perpetuo luctetur cum illis, et pugnet pro illis contra diabolum, hoc est, contra mala inferni. (5.) Quod propterea in mundum venerit, et subiverit tentationes usque ad ultiman illarum, quae fuit passio crucis. (6.) Quod continue agat cum immundis ut mundos reddat, et cum insanis ut sanos reddat: ita continue laboret ex pura misericordia.

338. (iii.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia non dabilis sit.*—In antecedentibus ostensum est quod operatio Divinae Providentiae ad salvandum hominem, inchoet ab ejus nativitate, et perstet usque ad finem vitae ejus, et postea in aeternum; tum quod operatio illa continue fiat per media ex pura misericordia. Ex his sequitur, quod non detur momentanea salvatio, nec immediata misericordia. Sed quia multi, qui de rebus Ecclesiae seu religionis non aliquid cogitant ex intellectu, credunt quod ex immediata misericordia salventur, et inde quod salvatio sit momentanea, et tamen hoc contra veritatem est, et insuper est fides damnosa, interest ut expendatur in suo ordine. (1.) Quod fides de momentanea salvatione ex

immediata misericordia capta sit ex statu naturali hominis. (2.) Quod haec fides sit ex ignorantia status spiritualis, qui prorsus diversus est a statu naturali. (3.) Quod doctrinae omnium ecclesiarum in Christiano orbe, interius spectatae, sint contra momentaneam salvationem ex immediata misericordia; sed usque quod externi ecclesiae homines illam stabiliant. [**2.**] Primum: *Quod fides de momentanea salvatione ex immediata misericordia, capta sit ex statu naturali hominis.* Naturalis homo ex suo statu non aliter scit quam quod gaudium caeleste sit sicut gaudium mundanum, ac quod similiter influat et recipiatur; pro exemplo, quod sit sicut qui pauper est, dives fit, et sic qui e tristi statu egestatis in felicem statum opulentiae venit; vel sicut qui vilis est, et fit honoratus, et sic e contemptu in gloriam venit; aut sicut qui e domo luctus in gaudium nuptiarum venit. Quia hi status possunt intra diem mutari, et non alia idea est de statu hominis post mortem, patet unde est, quod credatur salvatio momentanea ex immediata misericordia. [**3.**] In mundo etiam possunt plures in uno consortio et in una societate civili esse et simul laetari, et tamen omnes differre animis; hoc fit in statu naturali. Causa est, quia externum unius hominis potest accommodari externo alterius, utcunque interna dissimilia sunt. Ex hoc statu naturali etiam concluditur, quod salvatio sit modo admissio ad angelos in caelum, et quod admissio sit ex immediata misericordia: quare etiam creditur, quod malis aeque possit dari caelum quam bonis, et quod tunc consociatio sit similis quae in mundo, cum differentia quod illa sit plena gaudio. [**4.**] Secundum: *Sed quod haec fides sit ex ignorantia status spiritualis, qui prorsus diversus est a statu naturali.* De statu spirituali, qui est status hominis post mortem, supra multis in locis actum est; et ostensum, quod unusquisque sit suus amor, et quod nemo possit vivere cum aliis quam cum illis qui in simili amore sunt, et quod si ad alios venit, non respirare possit suam vitam. Inde est, quod quisque post mortem veniat in societatem suorum, qui sunt qui in simili amore sunt, et quod hos cognoscat sicut affines et sicut amicos; et quod mirum est, cum illos convenit et videt, est sicut illos ab infantia cognovisset; est affinitas et amicitia spiri-

tualis, quae hoc facit. Immo plus, non potest aliquis in societate habitare in alia domo quam in sua, cuivis in societate sua domus est, quam invenit sibi paratam, ut primum societatem intrat. In consortiis potest esse cum aliis extra suam domum, sed usque non alibi quam in sua morari. Et quod adhuc plus est, non potest aliquis in alterius conclavi sedere quam in suo loco ; si in alio fit sicut impos mentis et mutus ; et quod mirabile est, quisque dum intrat conclave, scit suum locum ; similiter fit in templis ; et quoque in coetibus quando congregati sunt. [**5.**] Ex his patet, quod status spiritualis sit prorsus diversus a statu naturali, ac talis ut aliquis non possit alibi esse quam ubi regnans ejus amor est ; ibi enim est jucundum vitae ejus, et quisque vult in suae vitae jucundo esse ; et spiritus hominis non potest alibi, quia id facit vitam ejus, immo ipsam respirationem, ut et pulsum cordis ejus. Aliter in mundo naturali : in hoc externum hominis ab infantia edoctum est jucunda alia simulare facie, loquela et gestu, quam illa quae sunt interni ejus ; quare ex statu hominis in mundo naturali non potest concludi ad statum ejus post mortem ; nam status cujusvis post mortem est spiritualis, qui est, quod non possit alibi esse, quam in jucundo sui amoris, quod sibi in mundo naturali per vitam comparavit. [**6.**] Ex his manifeste constare potest, quod nemo possit immitti in jucundum caeli, quod communi voce vocatur gaudium caeleste, qui in jucundo inferni est, seu quod idem, in jucundum boni qui in jucundo mali est : quod adhuc clarius potest concludi ex eo, quod nemini post mortem negetur ascendere in caelum, monstratur ei via, datur copia, et intromittitur ; sed dum in caelum venit, et aspiratu jucundum ejus attrahit, incipit angi pectore, et torqueri corde, ac sentire deliquium, in quo se contorquet sicut anguis admotus igni, et cum aversa facie e caelo, et conversa ad infernum, praeceps aufugit, nec quiescit quam in societate amoris sui. Inde constare potest, quod in caelum venire non sit alicui ex immediata misericordia ; proinde quod non solum sit admitti, ut multi in mundo autumant ; tum quod nec sit momentanea salvatio, nam haec ponit immediatam misericordiam. [**7.**] Fuerunt quidam qui in mundo momentaneam salvationem ex immediata miseri-

cordia crediderunt; et dum spiritus facti voluerunt ut jucundum illorum infernale seu jucundum mali, ex Divina Omnipotentia et simul ex Divina Misericordia transmutaretur in jucundum caeleste seu jucundum boni, et quia ita cupiverunt, etiam permissum est ut ab angelis fieret, qui tunc removerunt jucundum illorum infernale: sed illi tunc, quia id erat jucundum amoris vitae eorum, proinde vita eorum, jacuerunt sicut mortui, absque omni sensu et omni motu; nec possibile fuit insufflare aliam vitam quam suam; quia omnia mentis et corporis eorum, quae retro versa erant, non potuerunt retorqueri in contrarium: quare resuscitati sunt per immissionem jucundi amoris vitae eorum. Post id dixerunt, quod in illo statu interius senserint dirum et quoddam horrendum, quod non voluerunt propalare. Quare in Caelo dicitur, quod facilius sit convertere bubonem in turturem, et serpentem in agnum, quam aliquem spiritum infernalem in angelum caeli. [**8.**] Tertium: *Quod doctrinae ecclesiarum in Christiano orbe, interius spectatae, sint contra momentaneam salvationem ex immediata misericordia: sed usque quod externi ecclesiae homines illam stabiliant.* Doctrinae omnium ecclesiarum interius spectatae docent vitam. Cujusnam ecclesiae doctrina est, quae non docet, quod homo se exploraturus sit, visurus et agniturus sua peccata; confessurus illa, paenitentiam acturus, et dein victurus vitam novam? Quis absque hoc monito et praecepto admittitur ad Sanctam Communionem? Inquire et confirmaberis. Cujus ecclesiae doctrina est, quae non fundatur super praeceptis decalogi? Ac praecepta decalogi sunt praecepta vitae. Quis homo ecclesiae, in quo aliquid ecclesiae est, qui non agnoscit, cum audit, quod salvetur qui bene vivit, et condemnetur qui male? Quare in Fide symbolica Athanasiana, quae etiam est Doctrina in toto Christiano orbe recepta, haec dicuntur:

"Quod Dominus venturus sit ad judicandum vivos et mortuos; et tunc illi qui bona fecerunt, intrabunt in vitam aeternam, et qui mala fecerunt, in ignem aeternum."

[**9.**] Ex quibus patet, quod doctrinae omnium ecclesiarum interius spectatae doceant vitam; et quia docent vitam, doceant quod salvatio sit secundum vitam; ac vita hominis

non momento inspiratur, sed formatur successive, et reformatur sicut homo fugit mala ut peccata; proinde sicut novit quid peccatum, ac cognoscit et agnoscit id, et sicut non vult illud, et inde desistit ab illo; et sicut novit etiam illa media, quae se referunt ad cognitionem Dei. Per haec et illa formatur et reformatur vita hominis, quae non uno memento possunt infundi; removendum enim est malum hereditarium, quod in se est infernale, et loco ejus implantandum est bonum, quod in se erit caeleste. Homo ex malo suo hereditario comparari potest buboni quoad intellectum, et serpenti quoad voluntatem; et homo reformatus potest comparari columbae quoad intellectum, et ovi quoad voluntatem: quare momentanea reformatio et inde salvatio foret comparative sicut momentanea conversio bubonis in columbam, ac serpentis in ovem. Quis non videt, qui scit aliquid de vita hominis, quod hoc non detur, nisi bubonis et serpentis natura auferatur, et columbae et ovis natura implantetur? [**10.**] Notum etiam est, quod omnis intelligens possit intelligentior fieri, et omnis sapiens sapientior, et quod intelligentia et sapientia apud hominem possit crescere, et apud quosdam crescat, ab infantia usque ad finem vitae ejus, et quod homo sic continue perficiatur. Quid non plus intelligentia et sapientia spiritualis? Haec per duos gradus supra intelligentiam et sapientiam naturalem ascendit, et cum ascendit, fit angelica, quae est ineffabilis. Quod haec apud angelos crescat in aeterum, supra dictum est. Quis non comprehendere potest, si vult, quod impossibile sit, quod id, quod perficitur in aeternum, sit perfectum in instanti?

339. Ex his nunc patet, quod omnes qui cogitant ex vita de salvatione, non cogitent de aliqua salvatione momentanea ex immediata misericordia, sed de mediis salutis, in quae et per quae Dominus secundum leges Divinae suae Providentiae operatur, ita per quae homo a Domino ex pura misericordia ducitur. At illi, qui non cogitant ex vita de salute, ponunt momentaneum in salvatione, ac immediatum in misericordia; ut faciunt illi qui separant fidem a charitate, (charitas est vita,) et momentaneum fidei ponunt, et si non prius, circa ultimam mortis horam. Et hoc quoque faciunt illi, qui remissionem peccatorum

absque paenitentia credunt esse absolutionem a peccatis, et sic salvationem, et obeunt Sanctam Cenam; tum qui fidunt indulgentiis monachorum; et qui precibus illorum pro defunctis; ac dispensationibus ex potestate sibi vindicata super animas hominum.

340. (iv.) *Quod momentanea salvatio ex immediata misericordia sit prester volans in ecclesia.*—Per presterem volantem intelligitur malum ex igne infernali lucens, simile quod per "presterem volantem" apud *Esaiam:*

> "Ne laeteris Philisthaea tota, quod fracta sit virga percutiens te; nam e radice serpentis exibit basiliscus, cujus fructus prester volans" (xiv. 29).

Tale malum volat in ecclesia, quando momentanea salvatio ex immediata misericordia creditur; nam per id, (1.) aboletur religio. (2.) Inducitur securitas. (3.) Et damnatio imputatur Domino. [**2.**] Quod concernit Primum: *Quod per id aboleatur religio.* Sunt duo essentialia et simul universalia religionis, agnitio Dei et paenitentia. Haec duo vana sunt illis, qui credunt salvari ex sola misericordia, utcunque vivunt, nam quid opus pluribus, quam dicere, "Miserere mei, Deus?" De omnibus reliquis, quae religionis sunt, in caligine sunt, immo caliginem amant. De primo essentiali ecclesiae, quod est agnitio Dei, non aliud cogitant, quam "Quid Deus? quis vidit Illum?" Si dicitur quod sit et quod sit unus, dicunt quod sit unus; si dicitur quod sint tres, etiam dicunt quod sint, sed quod tres nominandi sint unus: haec est agnitio Dei apud illos. [**3.**] De altero essentiali ecclesiae, quod est paenitentia, nihil cogitant, consequenter nec de aliquo peccato, et tandem non sciunt quod aliquod peccatum sit. Et tunc audiunt et hauriunt cum voluptate, quod lex non damnet, "quia Christianus sub ejus jugo non est, si dicas modo, Miserere mei Deus propter Filium, et salvaberis." Haec est paenitentia vitae apud illos. Sed remove paenitentiam, seu quod idem est, separa vitam a religione, quid superest nisi quam vox, "Miserere mei?" Inde est, quod nec aliud potuerint dicere, quam quod salvatio sit momentanea per illas voces, et si non prius, usque circa mortis horam. Quid tunc Verbum illis, nisi quam vox obscura et aenignatica ex tripode in antro emissa; aut sicut respon-

sum non intellectum ex oraculo idoli? Verbo, si removes paenitentiam, hoc est, separas vitam a religione, quid homo tunc aliud quam malum ex igne infernali lucens, seu prester volans in ecclesia? nam absque paenitentia est homo in malo, et malum est infernum. [**4.**] Secundum: *Quod per fidem momentaneae salvationis ex pura et sola misericordia inducatur securitas vitae.* Securitas vitae oritur vel ex fide impii quod non sit vita post mortem, vel ex fide separantis vitam a salvatione. Hic tametsi crederet vitam aeternam, usque cogitat, "Sive bene vivam sive male vivam, salvari possum, quoniam salvatio est pura misericordia, et misericordia Dei est universalis, quia non vult alicujus mortem." Et si forte incidit cogitatio quod misericordia imploranda sit per voces fidei receptae, potest cogitare, quod hoc possit fieri, si non prius, usque ante mortem. Omnis homo qui in illa securitate est, nihili facit adulteria, defraudationes, injustitias, violentias, blasphemationes, vindictas; sed carnem suam et spiritum suum ad omnia illa relaxat; nec scit quid spirituale malum et ejus concupiscentia: si audit aliquid de hoc ex Verbo, est comparative sicut id quod incidit in ebenum et resilit, vel sicut id quod incidit in scrobem et absorbetur. [**5.**] Tertium: *Quod per illam fidem damnatio imputetur Domino.* Quis non potest concludere, quod non homo, sed Dominus in culpa sit, si non salvatur, dum unumquemvis potest salvare ex pura misericordia? Si dicitur, quod medium salvationis sit fides; sed quis homo est cui non dari potest illa fides, est enim illa solum cogitatio, quae potest infundi in omni statu spiritus abstracti a mundanis, etiam cum fiducia: et ille quoque potest dicere, "Non possum illam sumere a me ipso;" si itaque non datur, et homo damnatur, quid damnatus aliud cogitare potest, quam quod Dominus in culpa sit, qui potuit et non voluit? Annon id foret Ipsum vocare immisericordem? Ac insuper in excandescentia fidei suae potest dicere, "Cur tot damnatos potest videre in inferno, cum tamen momento potest salvare omnes ex pura misericordia?" et plura similia, quae non aliter vocari possunt quam nefandae insimulationes contra Divinum. Ex his nunc constare potest, quod fides momentaneae salvationis ex pura misericordia, sit prester volans in ecclesia.

* * *

[6.] Ignoscatis quod haec adjiciantur, ut superfluum chartae impleatur.

Ascenderunt quidam spiritus ex permissione ab inferno, et mihi dixerunt, "Scripsisti multa ex Domino, scribe etiam aliquid e nobis."

Respondi, "Quid scribam?"

Dicebant "Scribe, quod unusquisque spiritus, sive bonus sive malus sit, in suo jucundo sit, bonus in sui boni jucundo, et malus in sui mali jucundo."

Quaesivi, "Quid vestrum jucundum?"

Dixerunt quod esset jucundum adulterandi, furandi, defraudandi, mentiendi.

Et iterum quaesivi, "Qualia sunt jucunda illa?"

Dixerunt quod sentiantur ab aliis sicut fetores ex stercoribus, et sicut putores ex cadaveribus, et sicut nidores ex urinis stagnatis."

Dixi, "Sunt illa vobis jucunda?"

Dixerunt quod sint jucundissima.

Dixi, "Tunc estis sicut immundae bestiae, quae in talibus degunt."

Responderunt, "Si simus, sumus; sed talia sunt deliciae narium nostrarum."

[7.] Quaesivi, "Quid plura e vobis scribam?"

Dixerunt, "Hoc, quod unicuivis liceat in suo jucundo esse, etiam immundissimo, ut illud vocant, modo non infestet bonos spiritus et angelos; sed quia non aliter potuimus quam illos infestare, abacti sumus, et dejecti in infernum, ubi patimur dira."

Dixi, "Cur infestavistis bonos?"

Responderunt quod non potuerint aliter; est sicut furor invadat, cum vident aliquem angelum, et sentiunt sphaeram Divinam circum illum.

Tunc dixi, "Sic estis etiam sicut ferae."

Quo audito supervenit furor, qui apparuit sicut ignis odii; et ne damnum inferrent, in infernum retracti sunt.

De jucundis sensis ut odores ac ut nidores in mundo spirituali, videatur supra (n. 303–305, 324).

INDEX LOCORUM SCRIPTURAE SACRAE.

PRAEFATIUNCULA EDITORIS.—*In hoc Indice, non aliter quam in ceteris nostris,*

Notae numeri hujusmodi,..... **1, 3,** *designant* versus ad verbum productos.

Notae generis ejusdem, cum punctis, designant versuum partes:—

Puncta signum antecedentia, **..1,** partem primam non datam indicant;
Puncta supra signum posita, **1̈,** partem mediam non datam indicant;
Puncta signum sequentia,... **1..,** partem ultimam non datam indicant.

Omissionem verbi unius *puncto uno monstravimus;* duorum vel trium verborum, *punctis duobus;* plurium, *tribus.*

Notae hujusmodi, ... *1, 3,* *designant* versus ad verbum non productos.

Interclusae hoc modo,..... (1, 3,) *designant* versus memoratos, sed non allatos.

Genesis.

i. *26,*.....328[5]
26, 27,.....123[1]
(*Cap. cit.*,).....241[1]
iii. *1,*.....310[5]
...5,.....313[2]
.15...,.....211[1]

Exodus.

xx. *7,*.....230[2]
xxxii. *2–5, 35,*.....132
4–6,.....132
(*Cap. cit.*,).....243

Leviticus.

iii. *17,*.....231[9]
vii. *23–25,*.....231[9]

1 Samuelis.

v. (*Cap. cit.*,).....326[11]
vi. (*Cap. cit.*,).....326[11]

2 Samuelis.

xxiv. **.1,**.....244

1 Regum.

xi. *3,*.....245

Esaias.

i. **6̈, 16, 17̈..., ...18, 20...,** 278*b*[5]
vi. *9, 10,*.....260[2]
xiv. **.4..., ...22...,**.....257[2]
4, 22,.....231[5]
12,.....257[3]
12̈..., 13, 14,.....257[2]
29,.....340[1]
(*Cap. cit.*,).....231[5]
xl. *17, 23,*.....309[3]

Jeremias.

vii. **2...,3...,4,9...,10.,...11,**..128[5]

Ezechiel.

i. (*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
viii. *3 seq.*,.....134*a*[1]
x. (*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
xi. **1̈..., .24,**.....134*a*[1]
xl. *2, 26,*.....134*a*[1]
(*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
xli. (*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
xlii. (*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
xliii. *5,*.....134*a*[1]
(*Cap. cit.*,).....134*a*[1]
xliv.-xlviii. (*Cap. cit.*,).....134*a*[1]

Daniel.

ii. *32, 33,*.....328[3]
vii. *1 seq.*,.....134*a*[2]
1, 2, 7, 13,.....134*a*[2]
viii. *1 seq.*,.....134*a*[2]
2,.....134*a*[2]
ix. *21,*.....134*a*[2]
24,.....134*a*[3]
24–27,.....328[4]
x. *1, 7, 8,*.....134*a*[2]

Hoscheas.

vii. *4,*.....284

Sacharias.

i. *8 seq.*, ... 134*a*[2]
18, ... 134*a*[2]
ii. *1, 5, seq.*, ... 134*a*[2]
iv. *1 seq.*, ... 134*a*[2]
v. *1, 6*, ... 134*a*[2]
vi. *1 seq.*, ... 134*a*[2]

Matthaeus. *w*

v. **·8̈**, ... 33[5]
...28, ... 111[2], 152
...36, ... 159
37, ... 219[3]
45, ... 173
...45, ... 292[3], 330[2]
vi. **...9̈**, ... 230[2]
19, 20, 21̇, ... 217[6]
·23, ... 264[3]
24..., ... 18, 233[2]
vii. **7, ·9, 11**, ... 330[2]
...13, 14, ... 250[5]
19, 20, ... 128[1]
22̈, 23, ... 128[1]
(22,) ..... 230[2]
·24̇, 26·, ... 128[1]
viii. **·11, 12̈...**, ... 330[7]
x. **...16**, ... 310[5]
22, ... 231[9]
(22,) ..... 230[2]
41̇, 42̈, ... 230[3]
xii. **...25, 30**, ... 233[2]
31, 32, ... 98[3]
32, ... 231[6]
·43, 44, 45..., ... 231[8]
43-45, ... 133
xiii. **·7, ...22**, ... 278[3]
12̇..., ... 227[4]
12, ... 17
13, ... 231[9]
(15,) ..... 260[2]
...33, ... 25
xv. **11**, *17-19*, ... 80
xvi. **·27̈**, ... 128[2]
xviii. (5, 20,) ..... 230[2]
(8, 9,) ..... 324[5]
·20, ... 256[2]
21, 22, ... 280
xix. (29,) ..... 230[2], 324[5]
xx. **...26, 27̈**, ... 215[11]
xxi. (9,) ..... 230[2]
...43, ... 128[2]
xxii. *11-13*, ... 223
xxiii. **·9**, ... 330[1]
25̈, 26, ... 150[1]
xxiv. (9, 10,) ..... 230[2]
(*Cap. cit.*,) ..... 328[4]
xxv. *14-31*, ... 210[2]
·28, 29..., ... 17
·29..., ... 227[4]
32, 33, 42-46, ... 101[1]
...41, ... 101[1]
(46,) ..... 324[5]
xxviii. *18*, ... 245
(18,) ..... 330[6]
19, ... 262[6]

Marcus. *k*

i. **...4**, ... 114[2]
...14̈, ...15̈, ... 114[3]
iv. *7, 19*, ... 278[3]
12, ... 260[2]
25, ... 17, 227[4]
vi. **..12**, ... 114[2]
x. (17,) ..... 324[5]
xiii. *13*, ... 231[9]
(*Cap. cit.*,) ..... 328[4]

Lucas.

iii. **...3**, ... 114[2], 280
·8̈..., ·9̇, ... 114[2]
vi. *37, 38*, ... 334
45, ... 80
·46, 47..., 48̈..., 49..., ... 91[3]
46-49, ... 128[1]
viii. *7, 14*, ... 278[3]
(10,) ..... 260[2]
18, ... 17, 227[4]
...21, ... 128[2]
x. (25,) ..... 324[5]
xii. *1*, ... 284
6, 7, 25·, 26, 27..., 28, 332[4]
14-48, ... 179[1]
15-21, ... 220[11]
..47̈, ... 231[2]
xiii. **...3·, ...5·**, ... 114[2]
21, ... 25
...25̈, ...27, ... 128[2]
xvi. **·8, 9**, ... 250[5]
...26, ... 100[2]
..27-31, ... 134*b*
xviii. (30,) ..... 324[5]
xix. *13-28*, ... 210[2]
24-26, ... 17
26, ... 227[4]
xx. *36-38*, ... 324[5]
xxi. (*Cap. cit.*,) ..... 328[4]

xxiv. **...47..**, ... 114[2]
47, ... 280

Johannes.

i. **...1̈, 4**, ... 159
1, 1̈4..., ... 172[3]
(12,) ..... 230[2]
13, ... 298[3]
ii. *19, 21*, ... 245
(23,) ..... 230[2]
iii. *3, 5, 7*, ... 82
(15, 16, 36,) ..... 324[5]
(17, 18,) ..... 230[2]
...27, ... 159
27, ... 88, 173
v. **...14**, ... 231[8]
(24, 25, 39,) ..... 324[5]
.26, ... 159
.29, ... 128[2]
(40,) ..... 324[5]
vi. (27, 40, 68,) ..... 324[5]
63, ... 172[2]
viii. *31-36*, ... 145[4]
ix. **.31**, ... 128[5]
41, ... 231[2]
...41..., ... 254[5]
x. *1*, ... 230[4]
2, 3, 9..., ... 230[4]
xi. **...25**, ... 159
xii. (13, 28,) ..... 230[2]
40, ... 231[9], 260[2]
(50,) ..... 324[5]
xiii. **...8, 9, 10...**, ... 151[2]
17, ... 128[3]
xiv. **..6...**, ... 159
(14-16,) ..... 230[2]
15, 21-24 = **2̈1..**, **...2̈3**, ... 128[3]
...1̈9, ... 324[5]
20, ... 263[2]
2̈0, ... 92
20-24, ... 172[2]
2̈1..., **...2̈3**, ... 33[5]
21-24, ... 326[6]
xv. (1-7,) 296
4̈..., **...5...**, ... 92
4̈..., **5**, **6̈...**, ... 263[2]
4̈..., **...5**, (7,) 30
...5̈, ... 159
5, ... 88[2], 173
7, ... 172[2]
14, **...1̈6...**, ... 128[3]
xvi. (23, 24, 26, 27,) ..... 230[2]
xvii. (6,) ..... 230[2]
(22, 23,) ..... 263[2]
xx. (31,) ..... 230[2], 324[5]

Apocalypsis.

i. *10*, ... 134*a*[3]
12-16, ... 134*a*[3]
ii. **1̈...**, **2̈...**, **.4**, **...5̈..**, ... 128[4]
.8, **9̈...**, ... 128[4]
.12..., **1̈3...**, **1̈6...**, ... 128[4]
.1̈8..., **1̈9**, ... 128[4]
iii. **.1̈**, **...2**, **...3̈...**, ... 128[4]
.7̈..., **8̈...**, ... 128[4]
(14,) **15**, **16**, ... 231[8]
.1̈4..., **1̈5...**, **...1̈9**, ... 128[4]
15, **16**, ... 18, 231[8]
20, ... 33[2], 119[3]
.20, ... 233
iv. *2*, ... 134*a*[3]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
v. *1*, ... 134*a*[3]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
vi. *1*, ... 134*a*[3]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
viii. (*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
ix. (*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
xii. *3, 9*, ... 310[5]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
xiii. (*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
xiv. **.1̈3**, ... 128[4]
xvii. (*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3], 231[5]
xviii. (*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
xix. *11-16*, (17, 18,) ..... 264[4]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3]
xx. **...1̈2**, **...1̈3.**, ... 128[4]
xxi. *1, 2*, ... 134*a*[3]
1, **5...**, ... 264[4]
(18-21,) ..... 264[4]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3], 263[2]
xxii. (1, 2,) ..... 264[4]
.12., ... 128[4]
(*Cap. cit.*,) ..... 134*a*[3], 263[2]

Epistula ad Romanos.

iii. *28*, **31**, ... 115

NOTAE CRITICAE EDITORIS.

Pag.	*Sig.*	
1	1	55 *pro* "54"
4	1	102 *pro* "132"
5	1	*faciat* (ut supra, in hoc articulo,) pro "*faciant*"
6	1	55 *pro* "54"
	2	313 *pro* "316"
	3	357 *pro* "457"
7	1	83 *pro* "53"
8	1	358 *pro* "385"
12	1	simul *pro* "non simul"
31	1	iii. *pro* 'ii."
33	1	162 *pro* "62"
36	1	sit *pro* "fit"
37	1	27 *pro* "37"
39	1	auferretur *pro* "auferetur"
50	1	esse *pro* "esset"
57	1	fit *pro* "sit"
	2	92 *pro* "90"
63	1	et enim *pro* "etnim," *nisi praetuleris* enim.
68	1	num *pro* "cum;"
74	1	facturi essent *pro* "facturos esse"
75	1	"Jesus":—*sic quoque Doc. de Domino*, n. 18. *Videatur autem V.C.R.*, n. 528, *ubi legitur* "*Johannes.*"
83	1	43 *pro* "53"
84	1	18, 19 *pro* "26"
	2	xiv. *pro* "v."
	3	2 *pro* "1"
88	1	*Sic editio princeps. A Doctore Tafel legeretur* "[non] cogitant."
89	1	duos *pro* "quatuor"
	2	vii. *pro* "vi."
	3	xix. *pro* "xviii."
	4	10 *pro* "11"
	5	1, 2. *pro* "12."
	6	ix. *pro* "xi."
98	1	obsederunt *pro* "obsiderunt"
100	1	quia *pro* "qui a"
101	1	pro *pro* "prae"
103	1	commisit (*cum Doctore Tafel*) *pro* "committit"
106	1	"variatur":—*sic editio princeps. Doctor Im. Tafel praetulit* varietur.
	2	ad *pro* "se ad"
107	1	sint *pro* "sit"
129	1	a comparandis *pro* "non a comparandis"
138	1	et simul *pro* "et tunc simul"
140	1	*Vide supra*, n. 192.
142	1	46 *pro* "56"
145	1	fures *pro* "furfures"
146	1	28 *pro* "25"
155	1	quae (*cum Doctore Tafel*) *pro* "qui"
187	1	xxxii. *pro* "xxii."
	2	secundum *pro* "contra"
189	1	causae (*ut mox supra*) *pro* causa
	2	129–153 *pro* "154 ad 174"
190	1	explicata *pro* "explica"
191	1	vilipendat *pro* "vilipendet"
193	1	99 *pro* "97"
199	1	5569 *pro* "5564"
202	1	sit *pro* "fit"
206	1	*Usque ad annum* 1819.
208	1	40 *pro* "42"
216	1	"274," *et seq.*:—*sic editio princeps.*
223	1	19 *pro* "14"
227	1	cerebro *pro* "cerebris"
229	1	199 *pro* "119"
	2	47 *pro* "27"
253	1	*Tertium* pro "*Quartum.*"
261	1	externo *pro* "interno"
262	1	illorum *pro* "illarum"
263	1	"316," et seq.:—*sic editio princeps.*
264	1	2 *pro* "3"

Theological Works of Emanuel Swedenborg,

PUBLISHED BY

THE AMERICAN SWEDENBORG PRINTING AND PUBLISHING SOCIETY,

No. 3 West Twenty-Ninth Street,

NEW YORK.

Send for Descriptive Catalogue. Special terms to Clergymen. All prices greatly reduced.

ENGLISH EDITION.

		POSTPAID
Arcana Coelestia, 8vo., ten vols., 5793 pp., per vol.,	$0.50	$0.70
Apocalypse Revealed, 8vo., two vols., 1098 pp., per vol.,	.40	.56
True Christian Religion, 8vo., 982 pp.,	.60	.92
Heaven and Hell, 8vo., 375 pp.,	.40	.56
—— 24mo., 416 pp., paper cover,	.15	
Miscellaneous Theological Works, 8vo., 526 pp.,	.40	.60

This volume contains

The New Jerusalem and its Heavenly Doctrine, 156 pp.
—— The same in paper covers, 10 cents.
Brief Exposition of the Doctrines of the New Church, 87 pp.
—— The same in paper covers, 10 cents.
Nature of the Intercourse between the Soul and the Body, 32 pp.
—— The same in paper covers, 5 cents.
The "White Horse" mentioned in the Apocalypse; with Appendix.
The Earths in the Universe.
The Last Judgment; with Continuation.

Conjugial Love, 8vo., 434 pp.,	.40	.58
Divine Love and Wisdom, 8vo., 254 pp.,	.30	.42
—— 24mo., 384 pp., paper cover, 15 cents; cloth,	.30	
Divine Providence, 8vo., 400 pp.,	.40	.56
Four Leading Doctrines, 8vo., 247 pp.,	.30	.42
Apocalypse Explained, 8vo., six vols., 3056 pp., per vol.,	.50	.70
—— Index to Apocalypse Explained, 8vo., two vols., 1261 pp., half leather, per vol.,	1.25	1.45
The Spiritual Life, 24mo., 196 pp., paper, 15 cts.; cloth,	.30	
God, Providence, and Creation, 24mo., 249 pp., paper, 15 cts.; cloth,	.30	
Creed of Athanasius. The Lord. 8vo., 54 pp., paper cover,	.10	

LATIN-ENGLISH EDITION.

Latin and corresponding English on opposite pages. Octavo, half leather.

Apocalypse Explained, twelve vols., 6000 pp., per vol.,	1.00	1.20
Divine Love and Wisdom, 508 pp.,	1.00	1.20
Divine Providence, 600 pp.,	1.00	1.20

LATIN EDITION.

Octavo, half leather.

Apocalypsis Explicata, six vols., 3517 pp., per vol.,	1.50	1.70
Apocalypsis Revelata, two vols., 936 pp., per vol.,	1.50	1.70
Quatuor Doctrina and De Ultimo Judicio, 408 pp.,	1.50	1.70
De Amore Conjugialis, 410 pp.,	1.50	1.70
De Caelo et Inferno, 398 pp.,	1.50	1.70
Opera Minora, 503 pp.,	1.50	1.70
Vera Christiana Religio, two vols., 904 pp., per vol.,	1.50	1.70
Divina Providentia, and Divinus Amor et Divina Sapientia, in one vol., 600 pp.,	1.50	1.70

SPECIAL NOTICE.

THE CLERGY AND THEOLOGICAL STUDENTS are supplied with several of Swedenborg's Works *free* on personal application or receipt of postage.

PUBLIC LIBRARIES also supplied with the Writings *free*.

All friends of the New Church are requested to co-operate in these distributions. Send for Circulars and Application Blanks.



THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

4108.